CONCIONES
SIVE
CONCEPTVS
THEOLOGICI.

IN OMNES TOTIVS ANNI DOMINICAS.

TOMVS SECVNDVS.

A Festo Pentecostes usque ad Aduentum Domini.

Authore
R. D. PETRO BESSEO SS. THEOLOGIAE DOCTORE.

Nunc primum Latinè è Gallico conuersi.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Kinckium sub Monocerote. Anno M. DC. XII.



APPROBATIO.

NOs infrascripti SS. Theol. Doctores in alma Vniuersitate Parisiensi, notum facimus legisse & visitasse Conceptus Theologicos in Euangelia Dominicalia, à festo Pentecostes vsque ad Aduentum; Authore M. Petro Besseo S. Th. Doctore: neque in eis quidquam reperiri, quod s. Rom. Ecclesiæ Apostolicæ aduersetur. Act. Parasijs 5. Aprilis. Anno 1609.

A Soto.

Dauid.

DOMINICA I. POST PENTECO-STEN.

Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Luc. 6.

FIGVRA.



CVM infinitum Agens, omniumq; humanarum rerum architectus, in mundi primordio, cuncta ex nihilo procrearet, æternus ęternum sibi volens nomen comparare, hominem ad suam formauit imaginem, in quo Diuinitatis arcanis reconditis, exemplari & prototypo in cœlorum sublimitate remanente, opus in terra constitui voluit. Dehinc diuinus Sponsus charissimam in corde hanc gestare imaginem contentus non fuit, sed & in brachio eam gestare voluit. O mysterium! ô figura! hęc namque omnia in hunc tendebant finem, vt creatura Creatori simillimam se ab extrinseco considerans, in interiori similitudinem creatoris adipisci conaretur: animam verò sponsam charissimam duo exemplaria gestare voluit, vt alio in corde fixo, eum ex toto corde diligeret; alio brachio affixo, in operationes similes tenderet; vt quemadmodum Deus misericors est, ita nos charitate repleti alijs bene facere studeremus, sicut iustus & infallibilis in omnibus operibus, quique nostrarum non reminiscitur iniquitatum, ita nos similes illi redderemur. Ad quod nos excitat Euangelica lectio, quæ misericordiam prædicat, atque vt de alijs non improbè iudicemus exhortatur. Vt verò aliquid dignè eloqui valeam, vosque cum animæ fructu percipere, Diuinam simul implora-

Genes. 2.

Cantic. 8.

referant imaginem.

Cuius virtutis præstantiam considerans Salomõ in Prouerbiorum penè initio, eam mortalibus cõmendat dicens: *Misericordia & veritas te nõ deserant, circumda gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.* Nec abs re Iustitiam misericordiæ connectit, cum sint aliqui adeò induratæ malitiæ, vt in alios prodigi, suis sint parentibus auari, cũ tamen secundum iustitiæ leges amicorum potius teneamur subuenire necessitatibus, quam aliorum. *Prou. 3.*

Quam etiam in tantum excellentem, duodecim prophetarum alter, Oseas arbitratus fuit, vt eam sacrificio pręferre non dubitauerit. dicit enim: *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Cuius verba non exiguo confirmabat testimonio Christus, qui loquẽs Pharisæis aiebat: *Euntes, discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Cuius dignitatem etiam Iudicio præferre non dubitauit D. Iacobus, dum inquit: *Superexaltat autem misericordia Iudicium.* Quasi diceret, si æqua lance ponderentur misericordia & Iudicium, hęc multo grauior inuenietur. D. Augustinus in Psalmum 143. κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως; *exultat & gloriatur misericordia aduersus iudicium;* nec mirum: *Quia miserationes eius super omnia opera eius.* Oecumenius verba Iacobi supra allata ponderans sic explicat: *Gloriatur (inquit) misericordia aduersus iudicium, siquidem misericordes misericordiam consequentur.* *Osea 6.* *Misericordia præstantior sacrificio.* *Matt. 9. & 12.* *Iacob. 2.* *D. Aug. in Hom. 143.* *Oecumen. in commenta. Epist. D. Iacobi.*

Quanti fuerit olim habita misericordia, nõ solũ apud homines veræ fidei lumine illustratos, sed etiã apud eos, quib⁹ infidelitatis caligine oculi tenebãtur, fidẽ facit quod referũt Pausanias & Plutarch⁹, qui ambo altare quoddã Athenis in honorem misericordię, quam Deam putabant, erectum esse in quo millia populorum sacrificia offerre solitos fuisse ferunt. Nos tantum quidem non ei deferimus honorem, neque stultè Deam arbitra-

oliuæ virentibus folijs in ore suo: nam anima columbino illustrata nitore, arcæ veræ, Paradisi nempe, ingreditur gaudium, dum misericordiæ pallentibus decoratur folijs. Denique hanc, quoniam à dæmonis infestationibus nos munit & conseruat, Oecumenius oleo quo se antiqui inungere solebant, vt aduersariorum euaderent insidias, comparare non dubitauit. Sicut enim corpus oleo perfusum facilè inimicorum euadit insidias, sic anima misericordiæ sacro inuncta oleo, Diaboli nullo negotio euadit fraudes. Vnde D. Augustinus lib. 50. Homiliarum, exclamat: *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.* His adiungit D. Ioannes Chrysostomus eam esse, qua cœli gaudia nobis nullo negotio comparare possimus: mirabile lucrum in hac vita obstupescens, cũ pro exiguis misericordiæ operibus, misericordiæ Altissimi infinitis dotamur remunerationibus, iuxta illud: *misericordes misericordiam consequentur.* In cuius etiam virtutis gratiam, verbis D. Lucæ aientis: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est,* innixus, hucusque longioribus vsus ambagibus protraxi sermonem, quem etiam eodem fundamento suffultus prosequar, ostendamque iudicium temerarium fugiendum.

D. Aug. lib 50. Homiliarum, Homil. 39

Chrysost. Hom. 5. de Pænitentiâ.

Quæ quidem virtus tantum apud omnes, etiam omnis humanitatis expertes nationes valuit, vt sine illa vitam humanam sęuitiam esse dicere non dubitauerint: Solebat enim Marcus Antoninus Verus, referente Iulio Capitolino, dicere: *Inhumanum planè esse humanis casibus & calamitatibus non ingemiscere.* Quem simili rationis verę augurio subsequutus Martianus, *veras & certas diuitas esse,* (aiebat) *non aliena rapere, sed sua indigentibus elargiri.* D. Bonauentura refert S Franciscum, paupertatis sedulum, atque misericordiæ inquisitorem, dicere solitum fuisse, misericordia diuinum amorem comparari, quem qui negligeret, auaritiæ atque auri cupidita-

Capitolinus in Antonin.

Zonaras in Martiano.

S. Bonauent. in vita. S. Francisci. c. 9.

te obcæcatus, stultum & insanum esse arbitratur.

Misericordia Iustitiam significat ex sacra Scriptura.

Tanti denique meriti ponderisque est virtus hæc, vt solemnioribus soleat nuncupari nominibus, misericordia namque, Eleëmosinæ, Sanctitas, & Iustitia idem significant, vt sacra docet pagina, hanc siquidem Prouerbiorum sententiam; *Facere misericordiam & Iudicium, magis placet Deo quam victimæ*, sic verterunt Septuaginta Interpretes; loco enim *facere misericordiam*, habet eorum translatio *facere iusta*, alij autem *facere iustitiam*: nec mirum; cùm misericordia seu Eleemosynæ, Sanctitatis omnis & Iustitiæ sint primitiæ, quam eodem vocat nomine D. Paulus, eam Corinthijs commendans, *frugem iustitiæ*: vbi enim deest misericordia, nullatenus iustitia superabundabit. Secundam priori connecto rationem. Quoniam qui misericors est vnicuique quod suum est retribuere videtur, quæ quidem actio Iustitiæ typus est: nam sibi humanos humanitatis officia exercenti satisfacit, pauperes debito sustentat alimento, Deo denique quod à nobis exigit tribuit: *quod vni ex istis fecistis, mihi fecistis.*

Corint. 9.

Matt. 25.

Osea, 1.

Tanti igitur meriti est virtus hæc, vt hanc diligentes maximis Deus prosequatur fauoribus, odientes autem summis etiam subijciat calamitatibus, atque supplicijs. Oseas horrendum referens supplicium, ait: *ablactauit eam, quæ erat absque misericordia*, innuens synagogam, quæ quia proximi miserta non fuit, diuinæ gratiæ lacte priuata remansit; miretur quispiam hoc verbo *ablactauit* vsum fuisse: Nam in Genesi legimus: *Ego Deus omnipotens*, Hebræi codices habent: *Ego Deus Sadai*, id est, *Deus qui habet vbera.* Ob id etiam Sponsa in Canticis inquit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Quod

Genes. 16.

Cantic. 3.

cum

eum indecorum indecenſque videatur, myſterio tamen non vacat. Vbera namque Dei gratiæ & fauores ſunt, quibus tanquam lacte animam vagientem adhuc fouet & nutrit, his priuati, qui miſericordia carent, & parum erga proximum afficiuntur.

Nec tamen ſemper ſola gratia priuat, & gratuitis ſpoliat beneficijs eos, qui inhumani ſunt; ſed etiam cruentis dirisque afficit ſupplicijs. D. Auguſtinus loquendi mihi præbet materiam; *memento* (inquiens) *quid purpurato diuiti contigerit, qui non ideo damnatus eſt, quod aliena tulerit, ſed quod egenti pauperi ſua non retribuerit, & in inferno poſitus ad petenda minima peruenit, qui hic parua negauit.* hincque infert, Paradiſi gaudia miſericordiæ amantibus deberi, inferni verò pœnas inhumanis retribui; quod etiam teſtantur verba Diui Hieronimi dicentis: *Non memini me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter charitatis opera exercuit: habet enim multos intercesſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri.* Non immerito igitur nobis Euangelica lectio hanc proponit, dicens: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* *D. Aug. de confliſt. vitl.* *Hieron. ad Nepotian.*

Non exigit à nobis Deus, vt Patrem in potentia imitemur; hæc namque præſumtio Luciferi ruinam attulit: neque vt in Sapientia æqualitatem ambiamus; quæ ambitio Euæ infortunium malumque quotidianum peperit; ſed vt in miſericordia Patri ſimiles nos efficere ſtudeamus. Ad quam imitationem Epheſios prouocans Diuus Paulus inquit; *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi.* Ioannis verò 8. Dominus Iudæis loquens ait: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Patrem enim ſequitur ſua proles. *Epheſ. 5.* *Ioan. 8.*

AEneas etiam Aſcanium filium alloquens aiebat:

Lib. 12. Aeneid. *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.*
Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Deus etiam nos, dissimilibus tamen, hortatur verbis: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* quasi dicat, nisi patris misericordiam imitari studeatis, atque misericordes efficiamini, degeneres estis, naturæ Patris prorsus nihil habentes, illegitimi, à natura Patris & bonitate discrepantes, atque ob id filiorum Dei nomine indigni, quippe quorum decus & honos in dedecus & ignominiam vergat, iuxta illud:

Dedecus est natis claros habuisse parentes,
Ni studeant illis moribus esse pares.

Valer. Max lib. 3. 6. & 5. Refert Valerius Maximus Scipionem Africanũ filium Cneum Scipionem habuisse, quem cum amici à parentis magnanimitate, cuius gloria toto orbe sublimis erat ob res præclarè gestas, deficere viderent, indignatione iusta perculsi, annulum, cui caput parentis insculptum erat, è manibus extraxerunt, eo eum indignum iudicantes, qui præclarè gesta, fortiterque peracta, imitari recusaret. Nunquid igitur in cælestibus idem iudicandum? nunquid filij nomine dignus erit immisericors, qui misericordem Patrem imitari refugeret? Absit.

Alexander Macedo belli fulgur, adolescentem quempiam nominis eiusdem secum perspiciens, moribus verò & magnanimitate discrepantem, huic dixisse fertur: *Adolescens aut nomen, aut mores mutato.* indignum digno arbitrans nomine eum, qui moribus & virtutibus omnino differret. Pari modo Christianis se filios Dei ventilantibus, & inhumanis, dico: *Christiane aut nomen, aut mores muta.*

ta. Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est.

Tertij Regum c. 7. & 4 c.25. & 2.Paralipom. c. 3 & Hieremiæ 25. meminit Scriptura duarum columnarum, quas ante templi porticum statu t Salomon, dicens: *Ante fores templi fecit duas columnas, quæ 35. cubitos habebant altitudinis.* His Iudæi, vt refert Lyranus, robur & stabilitatem regni solijque Dauid intelligunt; sed Rupertus duabus his columnis misericordiam & iustitiam intelligit, suamque ex Canticis probat opinionem, vbi dicitur: *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas:* nam quemadmodum pedum auxilio gradimur vlteriusque progredimur, ita Deus misericordia & Iustitia in progressibus suis vtitur; iuxta illud Psalmi: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas; His duabus columnis* (inquit Rupertus) *tota domus incumbit, totum sanctæ Scripturæ innixum est ædificium.* His vtitur pedibus Diuinitas; his vti debet pariter & homo, vniuersosque vitæ labilis gressus stabilire, atque solidare, totumque se in hac misericordia Patri conformare, prout docet Euangelista, dicens: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

3. Reg. 7. & 4. Reg. 25. & 2. Paral. 3. & Ieremiæ 52. Rupertus in lib. 3. Regum. Cantic. 5.

Columnis similes Iustitia & misericordia.

Apocalypsis 4. vidit Ioannes thronum Dei Iride circumcinctum; qua Ioachinus Spiritum sanctum intelligi arbitratur, qui Ecclesiam ad modum Iridis circumcingat & protegat, iuxta illud Psalmi 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui:* Richardus verò de Sancto Victore, quoniam Iris arcus similitudinem præsefert, signum belli esse arbitratur, atque ob id iudicij summi diem significare putat; quod autem sit in circuitum sedis, innuere ait Iudicem & bonos & malos iudicaturum. V. Bæda alteri innixus basi, nouam struit opinionem, atque hac Iride Sanctorum exercitum significari putat, qui quidem thronum Dei continuò circundant. Horum quidem bonæ sunt opinio-

Misericordia Iridi similis.

niones;attamen literalis horum verborum sensus, communiorque opinio est, hac Iride, cum clementiæ pacisque sit symbolum, misericordiam significari, quæ Deum cingit, veluti Iris thronum Dei, quæ, inquam, in Deo maximè elucet, & à quo imitationis primordia sumere debere nos docent hæc verba: *Estote misericordes, &c.* Hæc igitur Virtus in Deo esse deprehenditur, non per modum accedentis, sed per modum Essentialis formæ. Vnde Idololatræ, diuinique cultus prorsus ignari statuas suas, suorumque simulachra Deorum oliuæ ligno effingere solebant. Cartharius namque refert Romanos Iouis simulachrum, quamuis marmoreo opere excellens, auroque radiante insignitum, Oliuæ folijs redimire solitos fuisse: quoniam hæc arbor misericordiæ semper figuram præsetulerit. Quæ oliua, quæ, inquam, misericordia ad instar coronę Deum cingit & redimit. *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester,* &c. Ad cuius virtutis amorem non paucæ, sed etiam pulcherrimæ mouent rationes, quas infimis mediocribusque postpositis, paucis enucleabo.

Essentiale est Deo esse misericordem.

Carthari' de imaginib. eorum fol. 314.

Rationes mouentes ad misericordiæ amorem.

Primò: Homo alterius miseriæ compati, aduersæque fortunæ proximi condolere debet, vt vicissim, si in eadem mala miseriasque similes venire contigerit, (quippe qui mille malorum sit scopus) alij eius doleant vices, fortunamque miseram hominis in hac vita positi defleant, de quo ait Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miserijs.*

Secundò: Non naturalis solummodò ratio ad huius virtutis amorem propellere nos debet, sed continua diuinæ bonitatis atque clementiæ commendatio: nihil siquidem est neque in nouo, neque in veteri Testamento, quod sæpius Deus

commen-

commendent. Hanc non habere, læsæ maiestatis crimen esse testatur Scriptura. Ezechiel verò Sodomorum ruinam misericordiæ defectui tribuit omninò: *Tenebant* (inquiens) *panem, & omnia bona terræ, & non extendebant manum ad dandum pauperi.* S. Matthæus refert Christum inuerto languenti manumque aridam habenti præcepisse, vt eam extenderet, quæ mox sanata fuit; ad quod scribens quispiam inquit: *Nulla res tantum valet ad recipiendum sanitatem, quã aperire manum, & dare Eleemosinam.*

Ezechiel 16.

Matth. 12.

Denique, hæc ad huius virtutis amorem ratio protrudere debet, quòd in brutis animalibus, rationisque expertibus, pietas & misericordia reperiatur, quæ cum in hominibus ratione vtentibus non reperitur, eos reprehensione dignos reddit. Iob etiam indecorum arbitrans, inhumanos homines, prorsusque immisericordes sic alloquitur: *Interroga bestias terræ, & docebunt te; aues cæli, & dicent tibi; loquere terræ, & respondebit ad propositum; & piscibus maris, &c.*

3. Misericordia in brutis reperiatur.

Neque mirum videri debet, quòd animalia etiam misericordia esse dixerim: siquidem pulchra patent exempla.

Elephãtis innata pietas.

AElianus lib. 12. Satyrarum refert, Elephantes, dum flumen magnum transmeandum est, illudque violentum, solere in vnum multos congregari, ibique fortiores viam transitumque alijs facilem præbituri, vndis se inijcere, fluctus feros scindentes, atque aquarum gurgites post terga relinquentes, alijs interim cruribus humeris priorum impositis transnatantibus, sicque periculum omnes, & priores fortitudine, & posteriores imbecilliores que priorum auxilio euadere. Refert idem author, venatores atque horum Elephantorum inquisitores, per angustas vias, quibus transituros sciunt

AElian. l. 8. c. 14.

tes Elephanti aduertentes stupent quidem, sed charitate mutua periculum euadunt, vnus namque eorum in foueam sese demittens, in monticuli similitudinem erecto, viam cæteris transitumque veluti super pontem facilem præbet; hi verò, quibus salutem in periculo constitutus attulit, ramos ex arboribus decerpunt, illosque adeò exaggerant, donec facilem è periculo consocio præbuerint exitum, sicque mutua charitate astutiam alludunt venantium, charitatem pari charitate compensantes.

Leonis Charitas & mansuetudo.

Physici, naturæ animantium indagatores, leonem (cui quamuis sit inhumanitas natiua) ferunt paruula animalia nisi in extrema necessitate capere solitum non esse, sed ea præda quotidiana ad instar ducis enutrire. Et nunquid dolebit immisericors se ad animalium scolas remitti? docent etiam immisericordes, misericordes aues. Ciconiæ siquidem parentes decrepitos fouent & sustentant, eosque, quia volare non valent, alis sublatos, in exteras, dum expedit, regiones deferunt. Sed & coruus, teste AEliano, maioris adhuc charitatis esse perhibetur, qui se decrepitum videns, nec ad prædam inquirendam aptum, pullis suis seipsum in cibum obijcit, charitatis & misericordiæ insigne ostentans exemplum.

AElian. lib.3.c.41.

De piscibus verò refert idem author, femellam delphinem cum pisciculis suis, iunioribusque delphinibus per mare deambulare, quorum si quempiam à piscatoribus capi contigerit, mater clamore edito alijs fugę dat signum, accedensque ipsa propius, piscatoribus sese in prædam offert, malens mori, quã natis priuari. Si autem eorum quispiam mortuus fuerit, alij eum sublatum in profundum deferunt, vbi etiam iusta funeralia adimplentes sepeliunt.

AElian. lib.12.c.6.

Denique: *Loquere terræ, & respondebit tibi ad propositum.* Quæ verba considerans S. Ambrosius, Elemento

mento non peiores homines esse monet: si quidem terra non auara, non immisericors esse deprehenditur, sed benigna, quæque omnia producat in vsum hominum. His dictis ad quartam redeo rationem, à qua me horum irrationabilium schola auerterat.

Quæ meo iudicio non inefficax est, vt nobis misericordiæ infigat amorem: siquidem misericordes multis varijsque pręmijs ditatos à Deo, pro paruula eleemosyna largita, deprehendimus. Quid Salomon sentiat audiamus: *Alij* (inquit) *diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Quotidiana frequensque experientia dictum probat Sapientis dicentis: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.* Et hæc quidem argumenta sunt, sed sequuntur probationes. 4. *Prou. 11.* *Prouerb. 3.*

Mulier quędam Sareptæ incola, vt habetur 3. Regum 17. hac virtute dotata, Heliæ Prophetæ semel eleemosinam impertita, multiplicibus varijsque beneficijs remunerata fuit: illa siquidem audire meruit: *Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* 3. Reg. 17.

Paulus Diaconus in hystorijs refert, Tyberium Imperatorem ob Regni diuitias pauperibus distributas vituperatum respondisse: *Deus non deerit fisco nostro*: cuius responsionem fidéque mirabilis consequutus est euentus. Ille siquidem die quadam deambulans, lapidem marmoreum signo crucis insignitum pedibus conculcari vidit, quæ cum eleuari, atque in loco decenti collocari (redemptionis signum pedibus supprimi non passus) iussisset; alius denuò lapis eodem notatus signo apparuit, quem cùm pariter sustulisset, tertium videt; hunc & similiter eleuans, thesaurum inæstimabilē reperit, opes *Paul. Dia. Hist. Longob lib. 6. c. 3.*

regi-

regias deprehendit, quas postea munificus retribu- tor largè pauperibus erogauit.

In Prato Spiritali c. 185. Simile quoddam *in Prato Spiritali* refertur exemplum. In ciuitate Nisibæ mulier quædam Christiana erat virum habens gentilem, quibus cum tenuis esset fortuna, habebant tantum numismata quędam, quę cum vir fœneratori tradere vellet, ait vxor viro: Cum ea numismata fœneratori tradere velis; veni, demus illa sub fœnore Deo Christianorum, illo autem interrogante, vbinam habitaret Deus Christianorum, mulier ait: eum tibi ostendam, apprehensum itaque manu cum deduxisset in templum, multitudinem pauperum languentium ostendit dicens: Istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio cæpit numismata pauperibus erogare. Cùm verò post menses aliquot necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil, vt video, daturus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, & nunc angustamur præ nopia. Respondit mulier, & ait illi: Vado vbi illa dedisti. Qui sine mora in Ecclesiam venit & circuiēs totā Ecclesiam, neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuo sedentes. Cum ergò cogitabundus hæreret, aspexit ante pedes suos in marmore numisma iacere, quod eleuans sustulit in domum. hocque cùm vxori ad pisces comparandos tradidisset, illaque emisset, eos exenterans, lapidem mirabilem inuenit, quem cum lapidario vendidisset, trecenta numismata recepit, suam ex diuina prouidentia cum fœnore recipiens pecuniam, quoniam misericors fuerat in pauperes, *Prou. 19. 5.* prout testatur Salomon: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quinta, & postrema ratio, qua ad eius virtutis amorem moueri debemus, est iudicij extremi dies, in qua, cæteris postpositis criminibus, ex-

actissimam à nobis misericordiæ inquiret rationem: concuerens siquidem dicet: *Esuriui, & non dedisti mihi manducare: sitiui, nudus fui, in carcere fui*, quibus verbis adiungit S. Iacobus: *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam*. Contra verò Matth. 5. *Beati misericordes* (prædicantur) *quoniam ipsi misericordiam consequentur. Estote* (igitur) *misericordes, sicut Pater vester misericors est.* *Matth. 25.* *Iacob. 2.*

Priori concionis discussa parte, ad secundam veniamus necesse est: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Postquam nobis Dominus imitandam misericordiæ virtutem proposuit, ecce vindictam fugiẽdam, iudiciumque temerarium deuitandum monet. Nec abs re, cùm misericordia, siue charitas rancoris iudicijque temerarij aduersariæ sint, sitque impossibile, *contraria duo in eodem esse subiecto*: necesse igitur est, aut charitatem excludi, aut iudicium temerarium dimitti. Quod etiam prohibet multis in locis sacra scriptura. Ioannis 7. *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.* *Ioannis 7.*

Præceperat Deus Leuitici 13. leprosos septem diebus recludi, Sacerdotisque iudicium diebus totidem suspensum esse volebat. Nolebat die primo, tertio, vel quinto morbi iudicium dari, ne fortè properatio, iustitiæ æquitati erogaret. Idque vt nos instrueret, non ex defectu minimo in proximi vita perspecto, sinistrè statim opinandum esse, sed maiori, maturioriq; vtẽdũ esse consilio, priusquam vitæ proximi iudices efficiamur. Quid inhibeat audiamus: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* *Leuit. 13.*

Putat impius omnes sibi similes esse, ob idque frequentissimè sinistram de proximo concipit iudicium. Nero crudelissimus, sicut & impudi- *Impij, omnes sibi putant esse similes.*

minandam magis efferuescunt. Hæc ita sentit Plutarchus. Sed exemplum proferam. Religiosus quidam Patrem eiusdem Ordinis religiosum interrogauit, quare ita peruersa consuetudine aliorum vitam intueretur, atque de eorũ operibus sinistrè iudicaret. Qui respondens ait: Quoniam, inquit, tuã ipsius vitam non inspicis. *Nolite igitur iudicare, & non iudicabimini.* Solent mercatores fideles æquali lance tum lucris, tum in damnis participare, iustè quidem: æquitati siquidem consentaneum est, vt qui in lucro participat, & damnum, si euenerit, sustineat. Fideles Christiani per charitatem boni proximorũ participes efficiuntur, ideoque iustum est, vt quandoque miseriæ proximorũ participent, quod docuit Apostolus 2. ad Corinthios 1. dum inquit: *Sicut socij estis passionum, ita & consolationum.* Rom. [illegible]
Quæ quidem associatio frangitur, dum per iudicia temeraria vitam proximi, frequenterque bona opera despicimus, de eis sinistrè iudicantes. Quod vitium Christiano homini detestandum maximè iudico. Siquidem hoc vitio infecti priuatorum locorum mundatoribus similantur. Sicut enim hi inter ciues immundissimi & abiectissimi habentur, ita inter Christianos vilissimum genus est hominum, malè de proximis opinantium.

In hoc vera perfectaque emicat misericordia, vt nunquam malum vel linguæ, vel etiam cogitatationis in anima admittamus. (*Charitas* enim teste 1. Corinth.
Apostolo) *non cogitat malum.* Ob id siquidem proto- 13.
plastus Adam, quato tempore innocentię cingulo præcinctus fuit, nuditatem suam nõ aduertit, quã statim malo perpetrato, malorea dãno cognouit. Aesopus, antiquorũ recreatio, dicere solebat, hominem duas gestare mãticas, alterã ante, retrò alterã: hanc quidẽ priorẽ vitijs proximorum imponendis deseruire, alteram propria peccata abscondere. Quod verissimum esse deprehendimus: testatur etiam Poeta Persius, dum inquit:

Vt nemo in sese tentat descendere: nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Quibus versibus innuit, commune esse vitium mundo, aliena peccata intueri, propria verò non videre. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Huius vitij enormitatem intuens oratorum decus Cicero, inquit: *Proprium stultitiæ est, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum.* Quibus suam quoque S. Gregorius annectens opinionem, inquit: *Stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto profundius sua ignorant.*

Cicero lib. 3. Tusc. quæst.
S. Greg. in Moral.

In quos inuehitur Dauid, dum in principio Psalterij Deum orat, dicens: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus suis, secundum impietatem eorum expelle eos:* quasi diceret. Domine iudica iusto tuo iudicio temerarios iudices, quorum os sepulchro assimilat. Sicut enim ex sepulchro nihil, præter putrida ossa patet: nullus odor, præter fœtidum & intolerabilem, erumpit; ita ex ore horum temerariorum, vltra iudicium insanum, nihil prodit, quo & vitam præteritam inficiat mortuorum, & præsentem scandalizet viuentium. Raguel, Tobiæ iunioris socer, cum septem filiæ maritos violenti manu inimici vidisset interfectos, iamque Tobiam desponsatum idem periculum incursurum arbitraretur, totam noctem in sepulchro construendo consumpsit, quoadusque manè elucescente, inquit: *Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies.* Quem si per modum dialogi interrogauero, cur ita sedulo sepulchrum necdū mortuo præparauerit, respons urum scio; quoniā ita de alijs factum fuisse sciebam. Ita prorsus, huncque in modū sese gerunt iudices temerarij, qui impijs iudicijs assuefacti cōfusim bonos malosque iudicant. *Iudica ergo illos Deus.* Hos rectè impios sceleratosque appellat Dauid, quos etiā in terra nunquā dirigendos testatur: *vir linguosus* (inquiens) *non dirigetur in terra, virum iniustum mala capiet in interi-*

Psalmo. 5.
Tob. 8.
Psal. 139.

interitu. Linguosos verò eos dicit; vel quia proximò lingua, & nutibus, & opere detrahunt; vel quia confusè & bonos & malos iudicant. Non igitur populari vulgarique famæ statim credendum est: siquidem sæpissimè fallax depræhenditur, organis Pani Dei Romanorū comparata, (quæ quidem gestare fertur, vt fallacitatem eorum ostendat, qui se semibestiam & semihominem existimabant, vt refert Plato in Cratylo) atque ob id *virum iniustum mala capient in interitu;* secundū græcam scripturam, *mala venabuntur in interitu;* secundum expositionem verò Chaldaicam, *virum prauum & malignum venabitur Angelus mortis, & detrudet in gehennam:* quæ omnia temerarij iudicij iustam intentant punitionem.

In quos apertiùs denuo inuehitur Dauid, dicēs: *Pone illos vt rotam, & sicut flammam quæ comburit montes.* Quosdam autem montes igneos esse, referentibus antiquis codicibus, luce clarius constat. Quærenti verò cuipiam, atque harum flammarum causam inuestiganti, respondet Philosophus: Fodinas quosdam sulphureas esse, quæ accensæ, vi aëris inclusi, in altum prouehuntur, & in modum fornacis flammas euomunt. His montibus eos cōparat Dauid: sicut enim ex his incendiorum generibus, flamma circumuicinas comburens terras sola apparet; ita ex hominis impij, iudicisq; temerarij ore, nisi flamma honorem proximi vastans exire potest: nam malus animus sinistræ cogitationis calore accensus, iudicij tenerarij flammas ad instar clibani euomit. *Nolite igitur iudicare, & non iudicabimini.*

Salomon, quanta præponderatione iudicium ferendum indigeret, instruens, hanc meditandam mortalibus protulit sententiam: *Verba sapientis statera ponderabūtur.* Nā sicut in statera linguicula non huc illucque vacillat, sed æquali pondere remanet immota: ita hominis prudentis lingua, æquali *Eccles. 21.*

ſimque totam, eorumque furorem in ſuam nauim tanquam in ſcopum iactari proſpicit, eorum violentiæ cædens, vela dimittit, ne reſiſtens naufragiū fortè patiatur. Pari modo Chriſtianus, dum furoris & iracundiæ æſtu exagitatus eſt, furori cędat condonādo, ne fortè iracūdiæ obſiſtēs, ſalutis animæ detrimentum patiatur: *dimittite, & dimittetur vobis.* *Similitudo.*

Antiqui Poëtæ Cerberum inferni cuſtodem ferunt mellito quodam fruſto deceptum, impeditum fuiſſe à latratu, quem edere ſolebat, verum quod illi fabuloſæ nectebāt narrationi, nos ſacro inſeremus eloquio. Cerberus eſt furor malus, quem mellito dulcis eloquij fruſto ſedabimus, ne ſolito modo latret & ſæuiat, teſte Scriptura: *Reſponſio mollis frangit iram.* Quod patientiæ dulciſque eloquij fruſtum, vt ſibi innatum oſtenderet Propheta Dauid, aiebat: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Aduertendum eſt hîc, cum *ſupra dorſum*, non ſupra pectus dixiſſe *peccatores* fabricaſſe. Impij namque in eos conuicia detractionumque vndas violento iaciunt impetu; iuſti autem iniuriarum obliti, poſt ſe eas ponunt negligentes & immemores effecti, ſeſe Euangelico accommodantes imperio: *Dimittite, & dimittemini.* Solebat Pythagoras dicere: *Ollæ ab igne remotæ nullum relinquendum in cinere veſtigium,* hinc inſtruens, cordi noſtro nullam relinquendam eſſe vel minimam furoris ſcintillam, neque vllum iracundiæ veſtigium. Hoc idem docent Clemens Alexandrinus, & S. Iſodorus, dicens; In aquæ ſuperficie ſcribēdas inimicitias, vt citò euaneſcāt; in ære verò condendas amicitias, vt in æuū perſeuerent. *Figura.* *Prou. 15.* *Pſal. 128.* *Pythagoræ inſtru.* *Clemens Alex. lib. 5. Stroma.* *S. Iſidorus epiſt. 12. ad Euſtathium.*

Antiquos olim in hac virtute exercitatiſſimos fuiſſe non parum miror. Socratem enim D. Baſil. colapho à quodam accepto ſola nominis inſcriptione contentum fuiſſe refert. Quod nomen non vltionis cauſa fronti inſcripſit; ſed vt tumor apparens, nō inferendam proximo iniuriam indicaret. Seneca narrat Aulicum quendam interrogatum, *D. Baſil. lib. de legendis li. Gentiliū.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam, & vocauit multos. Lucæ 14.

FIGVRA.



ssuerus rex potentissimus, qui regnauit ab India vsque in Æthiopiam super viginti septem prouincias, tertio imperij sui anno, conuiuium grande optimatibus suis apparauit. Similiter anno primo naturæ legis elapso, secundoque Legis scriptæ præterito, tertio Euangelicæ Legis decurrente, Rex regum Dominus ad conuiuium beatitudinis inuitat omnes. Cuius hodie conuiuij splẽdorem parabola tectum, mortalibus ostendit, quæ vobis detegere dum volo, Sancti Spiritus opem imploremus per Virginem, cui offeremus supplices: *Aue Maria.* *Esther 1.*

Nobilitatis gloria sublimis, maiorique Sanctitatis excellentia adornatus Bernardus, Ingratitudinis culpans vitium, dicebat: *Ingratitudo est hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo.* Huic etiam sese opinioni accommodans Petrus Rauennas Italus, ingratitudinis vitium pluribus exaggerat verbis, dicens: *Nihil est, quod adeò indignationem prouocet Altissimi, sicut ingratitudo; ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio.* *S. Bernar. ser. 1. de septem misericordijs.* *Petrus Rauen. in quadã ep.*

Hos ætate præcedens Seneca, culpationis huius vitij antecellebat excellentia. Dicebat enim: *Per se fugienda res est ingratum esse, quoniam nihil æquè concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium.* *Seneca li. de Benef. cijs.*

Plutarchus ingratitudinis volens pariter mortalibus malum ostentare, dicit: *Serpentem alit, qui apud*

 ingra-

Plutarc. in Moralib. *ingratum beneficium collocat.* Quemadmodum enim beneficij quicquid aspidi vel serpenti contuleris, veneni nequaquam minuit naturam, quoniam amicitię sũt incapaces;ita etiã ingrat⁹,quo plus recipit beneficij,tanto pl⁹ benefactorũ redditur immemor. Vnde idem author cadaueri putrido ingratum assimilat animum, dicens: *Perinde facit qui ingrato beneficium confert,ac si cadauer pretioso obliniat vnguẽto.* Nam sicut corpus ex mortuum animę & omnino sensibus captum oleo diliniens, in vanũ & frustra laboratum qui;ita ingrato beneficia confert,& oleum perdit,& operam.

Pythagor. Symbol. Pythagoras inter admiranda, quæ hominibus consideranda dicta reliquit, vnum non minimum, sermonique nostro deseruiẽs fuit, cùm dixit: *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas,* hinc innuens omni consortio indignum ingratum, eumque ab omni soliditate expellendum, cuius Hirundo typum gerit. Nam hęc auis, postquam in domibus nostris, æstiuo tempore,communi vsa est domicilio, insalutato discedit hospite,nihilque præter stercora memoriæ relinquit:ita ingratus,multis varijsque affectus beneficijs,non solum non refert gratiam, sed etiam plerumque iniurias immeritò refert pro beneficijs acceptis.

S. Bernar. sup. Cant. Ingratitudinem nouis impetit verbis D. Bernardus,inquiens:*Ingratitudo, inimica est animę, exinanitio meritorum,virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens,siccans fontem pietatis, &c.* Denique inuectiuis in eam orationibus recepta est Scriptura; queremonias mille, mille ingratis cernimus maledictionem imprecari. Iudicum 2. cũ Angelus Domini populum Israel grauiter ob ingratitudinis vi-

Iudic. 2. tium obiurgasset, seuereque admodum reprehendisset,illi pudore confusi eleuantes singultibus voces,fleuerunt. Iacob ingratitudinis nimiæ, seruitijque male compensati accusat Laban,dum ait: *Per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro*

filia-

filiabus & sex progregibus tuis:immutasti, quoque mercedem meã decẽ vicib⁹. defuit merces, ingratitudo. Genesis 40. Præpositi pincernarũ regis Pharaonis nimia reprehẽditur ingratitudo, qui sui benefactoris in pristino honoris gradu restitutus, nullaten⁹ meminit. *Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Non minus illa Saulis erga Dauid obiurgatur, 1. Reg. 19. sed illa Ieroboam erga Dominum cæteras etiam excellit in impudentia: nam cùm è statu vili ad regiam sola superorum gratia subleuatus fuisset potestatem, impudens à veri Dei cultu populum seducens, Idololatrare suasit. Ipse Deus per Isaiã peccata populi intuẽs, de eorum ingratitudine conqueritur. *Filios* (inquens) *enutriui, & ipsi spreuerunt me: cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit.*

Gènes. 31.

Ephes. 4.

Quanta supplicia retribuuntur ingratis! Matth. 18. seruus ingratitudinis conuictus in tenebras mittitur exteriores. Lucæ verò 17. nouem leprosi à Domino sanati ingratitudinis pro gratia non relata accusantur. D. Paulus ad Timotheum scribens, dicit, inter peccata, quæ sũt in cõsũmatione sæculi grassatura, ingratitudinem fore maximam: *Hoc autem scito* (inquiens) *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti.* tam longo exordio ingratitudinis tentaui damnare vitium, quoniam hodierni Euangelij sacra lectio, etiam damnare contendit: Tria namque inuitatorum ad cænam producit genera, qui tamen omnes nescio quibus friuolis curis præpediti, sicut ingratè ità stulto à cœna sese absentarunt: *Homo quidam* (inquit) *fecit cœnam magnam & vocauit multos.* His innixus verbis de cænæ sublimitate atq; præstãtiã, deinde de inuitatorum ingratitudine atque impudentia, tractare decreui, hisque duobus punctis totum explanare Euangelium.

2. Timot. 3

infinitæ, nullum habitura terminum. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saſientis in vitam æternam:* Fælix cœna quæ fine caret. Magna dicitur ad differentiã mundi cænarum, quæ non ſolum breues & anguſtæ eſſe ſolent, ſed etiam omni crudelitate & ſæuitiâ ſunt repletæ. Adonibezech cænã quidẽ extruebat, verum tanta crudelitate repletam, quanta cænam refertam ſæuitia, cogitare quis poſſet; teſtatur ſcriptura: *Dixitque Adobezecth, Septuaginta reges amputatis manuum & pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Huic tyranno mundus ſimillimus eſt, qui cum epulatur & reges & principes vinctos ſub menſa tenet, eis animalium ſolum tradens reliquias. Nunquid ſub hoc tyrannico mundi iugo verſabatur bonorum diſſipator, atque patrimonij proditus puer, qui de ſiliquis porcorum ſaturari exoptabat? Nunquid peccatores ſunt tyranni huius pediſſequi & ſerui? nunquid mundani his infimis ſeſe oblectantes, atque terræ ſterquilinia & excrementa inquirentes ſerui iure dicuntur? quid enim eſt aurum, quid argentum, quid diuitiæ quibus ſe inebriant mortales? fęx ſane nihilque aliud. His illud Pſalmiſtæ competit, *veneruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Attamen hæc, noſtræ non ſunt fercula cænæ.

Iõis 4.

Iudic. 1.

Luc. 15.

Magna iterum dicitur, quoniam magnis nobis deſeruit cibarijs, nil præter gaudia ſubminiſtrat curis vacua, gaudijs repleta, conſolatione referta, mœrorem neſciens. Quæ omnia fercula mundana cæna non habet, varijs ſemper permixta doloribus. Semel namque protoplaſtum Adam, matremque cænaturus inuitauerat Euam, quibus cum fructus arboris propoſuiſſet edendos, miſceri infortunium totius humani generis inuenere. Dein idem mundus cœnam fecerat filijs Iob in domo primogeniti, vbi loco gaudij & recreationis, præter mœrorem & eiulationes adduxit nihil, domo concuſſa

Geneſ. 2.

Iob. 1.

& obru-

possimus perspicere oculo, ab inferioribus argumẽtantes quæ sint supernorum gaudia vix coniectura assequimur.

Sicut enim aulam principis ingressus quispiam, videns seruos furfureis attamen gratissimi saporis vesci panibus, iudicaret optimos esse panes quibus princeps vtitur: ita de huius mundi rebus suspicari licet: Nam si mundi oblectamenta, terræ fœces, animalia bruta, ita gustui sunt accepta, quid de dilicijs fine carentibus, iudicandum erit? fœlices animæ quæ his reficiuntur cibarijs. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* *Similitudo.*

Hæc cæna cum toti satisfaciat mundo, excellentiam quandam & magnitudinem præsefert, nam omni careret inuidia, cum Sanctorum minimus in ea æquè reficiatur, sicut maximus eorum. Quod olim figuratum fuisse videmus Exodi. 16. vbi dicitur. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum gomor, per singula capita.* Mirum sanè, quod eadem mannæ mensura, æqualiter sufficeret tam magno quam paruo, mirum inquam, & verum veræ beatitudinis fuisse patet symbolum, in qua verum manna diuina essentia æquali mensura suam diuidens sanctis visionem, æqualiter reficit in gloria. *Exod. 16.*

Ioseph fratribus splendidum apparauit conuiuiũ in quo ordo primogenitorum seruabatur testante scriptura: *Et sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam, & mirabantur nimis sumptis partibus quas ab eo acceperant.* Stupendum reuera quod in hac cæna ij qui inuidia fuerant olim repleti, iam in apparato cõuiuio epulantes inuidiæ omnem deposuerint stimulum. Ita fiet in cęna beatorum in qua nulla erit inuidia, nulla cõtentio, sed omnes splendorem mirabuntur cœnæ, & nunquid iure dicitur: *fecit cœnam magnam*? *Genes. 43.*

Magna igitur cæna, tum ob rationes supra allatas, cum propter loci præstantiam in qua hæc paratur.

tur, qui locus tantæ est excellentiæ vt humano percipi non queat intellectu. Quod cum ita sit humana tamen similitudine ad eius quandam cognitionem appropinquemus. Si Rex quispiã sumptuosum vellet construere pallatium, ad quod si reges totius mundi opes adderent, si homines vniuersi opem & subsidium conferrent, quantæ pulchritudinis putas fore illud ædificium? quod si Angelus etiam isti operi manum adhiberet, longe cæteros omnes superare arbitrareris, alijs autem cœlestium Spirituum exercitibus adiuuantibus, magis mirareris, sed Deo etiam manum admouente, nihil præstantius reperiri posse fatereris. Cum igitur non Rex vnus, non reges omnes, non orbis vniuersus, non cælestium spirituum exercitus, illam construxerint aulã, quãtæ sit amœnitatis cuiusue splẽdoris cum à Deo solo facta sit, spectate. Huic considerationi Dauid piam subnectit meditationem: *Quam dilecta* (inquiens) *tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Cõcupiscit anima mea ibi esse, vbi *Homo quidam fecit cænam magnam.*

Locus in quo cæna paratatur.

Psal. 83.

Quare non prandium, sed cæna vocatur.

Cænam vocat non prandium, quoniam hoc prandium sub meridie sumitur, cæna verò sub vesperã. Idque præcipue vt ostendat mundi fallaciam, qui suos inuitat ad prandium, incænatos verò remittit. In medio florentis ætatis tempore, quod per meridiẽ significatur, delicijs fouet, blandimentis nutrit, sed sub vesperum, incænatos dimittit rubore & confusione plenos. Baruch loquens in persona mundi inquit: *Nutriui illos in iucunditate, dimisi autem illos cum fletu & luctu.* de mundanis autem sic loquitur Psalmista. *Conuertentur ad vesperam & famem patientur vt canes.* Leonidas Atheniensium dux milites suos ad pugnæ studium excitans aiebat: *Prandeamus modo tanquam ad inferos cænaturi.* Agite milites vel strenuo marte decertantes, victoria nobis continget, vel certo exitu mors eueniet. Hac

Baruch. 4.

Psal. 58.

Cicero lib. 1. Tuscul. quæst.

lugu-

lugubri oratione mundanos animat mundus, quibus quidem prandium subministrat, apud inferos verò cænaturos expellit. Testatur Iob dicẽs: *Ducunt in bonis dies suos*, ecce prandium, *& in puncto ad inferna descendunt*, qualis cæna! Non ita Deus, qui & in hoc mundo prandium suis subministrat, & in altero iuxta Euangelium cænam parat. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Sed hæc parua respectu sequentium. Nam licet bonitate amplissima cænam fidelibus apparatit, maiori tamen bonitatis amplitudine, ad eã inuitat omnes: *Et vocauit multos (idest omnes) vult. n. omnes homines saluos fieri.* Sed varijs nos inuitat modis, siquidem vocat per ministeria Angelorum, per oracula Prophetarum, per prædicationem Apostolorum, per instructiones Doctorum, per merita gratiarum, per flagella peccatorum, denique per tribulationes, & exaggerationes malorum. *misit namq; seruos vocare inuitatos.* In lege naturæ misit Patriarchas, in lege conscripta misit Prophetas, in lege gratiæ proprium misit filium. Sed pro dolor! nemo comparet, nemo huic interesse studet cænę. *Et cœperunt simul omnes excusare* frequẽs communeque est mortalibus innatum vitium, vitia vitijs palliare, nec ad culpæ cognitionem vnquam deuenire, quod quidem à parente primo Adamo traditum, à nobis optimè seruatum fuit, qui interrogatus cur de ligno prohibito comedisset, vxorem culpat propriæ immemor culpę; *mulier* (inquiens) *quam dedisti sociam ipsa dedit mihi & comedi.* Quæ similiter interrogata, vitij causam, culpæque occasionem fuisse dicit Serpentem, *Serpens decepit me.* Nos verò similiter agimus, alij namque à diabolo se deceptos dicunt, alij à carne seductos, alij mala consuetudine iuductos, denique nemo culpandum se putat, sed omnes integræ inculpatęque sese arbitrantur vitæ, sicque nos Harpastæ stultę mulieri similes efficimus, quæ prę senectute oculis priuata, nullatenus se cæcam existimabat, sed domum suã vmbra-

Iob. 21

Deus inuitat omnes ad cænam.

Seneca.

todacæ etiam Babylonis Rex vt regni aliquantulũ ventillaret potentiam, Regem Iuda quem vinctum tenebat eiusdem mensę regiæ efficiebat participẽ. Quæ omnia quanti sit honoris regijs assidere mẽsis, quamque intolleranda sit horum inuitatorum culpa ostẽdunt, qui friuolis innixi excusationibus quarum tria sunt genera, se ab hac dulci & exoptãda cœna subtraxere.

Primus, Superbus & Ambitione plenus est, hũc, talem mihi verba propria designant: *villam emi* (inquiens) *& necesse habeo exire & videre illam*. vilam emit, vt in alios dominium habeat, possessiones acquirit, fodinas parat, vt singularis prærogatiua dominij cœteros excellat, & hoc est ambitio. Quæ re-uera, turbo procellosus est, cœlicus morbus, varios in cerebro generans dolores, vitium animas alienans à semita recta cœlorum, & quod pro modica honorisscintilla, infinitis priuat bonis; teste nostro Euangelico homine qui villam inuisurus à suauissimose subtrahit regis conuiuio. *Superbus se ab hac cœna excusat.*

Aduertendum hic tria esse genera peccatorum quæ totum inficiunt orbem, quæ quidem D. Ioannes ordinẽ pulchro describit dicens: *Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* *3. peccatorum genera.* *1. Ioan. 2.*

His tribus pestibus intelligit Luxuriam, Auaritiam & ambitionem, quæ tria vitia sicut grauia sũt, ita grauiter à Domino castigata fuerunt. Puniuit namque in cœlo Ambitionem Angelorum, eos à cœlestis regni sedibus expellendo, Luxuriam castigauit tempore Noe: (*Omnis enim caro corruperat viam suam.*) vniuersum orbem aquis diluuij perdendo, Auaritiam autem plectet in fine mundi, cum *refrigescet charitas multorum & abundabit iniquitas*, quæ tria licet magna sint, tamen Ambitio primatum tenet. *Genes. 6.* *Matth. 24.*

Præceperat Deus Deuteronomij 20. vt: *Si quis homo qui ædificat domum nouam, & non dedicauit eam, vadat &* *Deuterono. 20.*

mulier gaudijs cælestibus postponendam diuitiarum amphoram, atque mundi deliciarum puteum, potiusque sequenda cœlestia, quam terrena sectanda.

Giezi auarus homo, ambitionis aura percussus cum pecuniæ aliquantulum haberet, emit vineas posseditque illas, vnde heri sui & Elisæi gratia priuatus lepra Naaman quæ erat alba percussus fuit. Simili modo homines auari quibus in opibus comparandis tota cura incumbit, Dei gratia priuantur, & eodem genere peccatorum plectuntur quo infideles, eodem inquam lepræ genere quæ & alba est. nam sicut nix visum impedit, ne eam semitā rectā intueamur, ita Auaritia viam cæli abscondit ne eam sectemur. 4. Reg. 5.

Nec hoc solum, sed etiam animas seducit, prudentiores reddens insipientes, & quod insipientiæ signum est, qui auaritia obcæcati sunt; se dum stulti sunt, sapientes arbitrantur. vnde Plutarchus exclamat. O miseriam, si quis appetitu insatiabili cuiusuis generis cibaria deuorat, medicum consulit vt morbi cognoscat originem & si morbus est: & qui insatiabili diuitiarum cupiditate torquetur morbum non putat esse, sed valetudinem. O insipientiam! Sed quemadmodum hydropicis, eisque quibus stomachus ciborum pondere premitur, non noua eis præbentur sumenda cibaria, sed magis laxatio alui consulitur: ita, vt Auarus semoto malo sua cōcetus sorte viuat in pace necesse est, vt a[u]ri argentiq; cupiditatem extinguat. Ob hanc causam Plato diuinus, hominem auaritiæ stimulis excæcatum vidēs ait ei. *O improbè ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.* nec abs re cum alterum scilicet auaritiæ studere maximæ sit insipientiæ alterum verò summæ sapientiæ. Nunquid verò hunc nostrum auarum insipientem quis arbitrabitur, qui propter quinque iuga boum etiam beatitudinem recusat

Plutar. li. de cupiditate diuitiarum.

1.

Similitudines.

2.

Stobæus sermo. 8. de iniustit.

nes semel interrogatus cur palleret aurum, sapienter respondit: *Quia nusquam non habet insidiatores.*

Sed fami comparatur auaritia, quia nunquam contenta est, sed nouas semper quærit accumulare opes. Vnde D. Gregorius Nyssenus auaros ollæ iam tritæ & vndequaque pertusæ assimilat, in quam si totius mundi aquam inieceris replere non valebis. Ita inquit auaros licet vniuersi orbis opes in vnum congregatas præbueris, satiare non poteris. Quos Psalmista Leonculis comparat, qui calore naturali repleti, quamuis multa deuorent tamen semper esuriunt, nam vbi legimus *Diuites eguerunt & esurierunt*, littera hebraica habet; *Leones eguerunt & esurierunt*: Phrasis verò chaldaica, *Catuli Leonum eguerũt & esurierunt*. Ita verè veri leonculi sunt auari qui licet alienorum vniuersam deuorent substantiam, quam tamen satiari queunt.

Gre. Nyss. in orat. funebri.

Psal. 18.

Auari leonibus comparati.

Hos ego mulis & asinis comparo, qui persæpè bona humeris non tamen sibi gestant cibaria, cum card uis & vrticis vesci dumtaxat soleant, sic auari cum opibus summis abundent, in summa viuunt egestate, diuitias non sibi sed alijs cumulantes.

Pierius lib. 16.

Pierius vir eruditissimus, refert olim columnam in sinu maris Africi fuisse visam, in qua homo formatus erat, quem cum serpens graui veneni cuspide momordisset, extremæ siti relinquebat subiectum, ob idque Mulieres astabant quæ varijs illi homini obsequijs ministrabant, alia aquam haurientे, alia autem sine intermissione propinante. Auari veram gestabat imago imaginem, nam cum semel auri cupiditatis morsu percussus fuerit homo, sitibundus semper est, nec sitim valet vllatenus satiare. Auaritia verò similis est serpenti qui pungit sitim accendendo & adducit sitim pungendo, quique eamob rem διψὰς ἀ διψάω, id est; *sitio* vocatur.

Hanc iterum auaritiam vnam è phialis quas in-

eretita delicijs. Tertio in puncto redigetur in terram. Et vt eum de auaro loquentem credatis subito subiungit: *Audi sermonem Domini*, idque quia auarus Verbis Dei aurem nullatenus præstat, sed eam occludit. Clemens Alexandrinus super hæc verba Euangelij disserens, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autē hominis non habet vbi caput suū reclinet*: ait, his vulpib⁹ debere auaros intelligi, *Hos* (inquiens) *qui in effodiēdis, & infodiēdis diuitijs versantur, homines prauos & planè terræ filios vulpes Christus appellauit*. & hic alludens D. Bonauentura inquit: *Beatus qui terrenam foueam commutat in æternam aulam*. Quod si beati hi, quàm infœlices Auari, quam infœlix noster Euangelicus Auarus, qui quinque iuga Boum æternæ præfert beatitudini. Volens Dominus per Galilæam iter agere, Caphernaum cum ius quoddam solutionis persoluendum esset à transeuntibus, misit Petrum ad mare Tyberiadis, qui iaciens retia piscē accepit, habentem in ventre staterem argenti, nec dubium est quin eam dominus ibi creauerat quę solutioni deseruiuit. Theophylactus dicit piscē hunc, Auarū significare, qui nihil aliud præter aurum & diuitias tum in ore, cum in corde & pectore gestat. Clemens Alex. lib. 4. Strom. S. Bonaut. in Luc. 9. Luc. 9.

Mirum itaque non est si Auarus tanti curas faciat huius mundi, ita vanis oblectetur diuitijs. Diogenes trāsiens per Athieniensem ciuitatē videlq; domū cuiusdā prodigi venditioni expositā lepidè admodū dicere cœpit: *sciebam* (inquiens) *propediem vijs crapulæ obsessam domum facile euomituram*. Similiter de Auaro dicere possū qui si post cæleste cōsūptū patrimoniū tyrānnidi subiacet infernalium Erynnidū mirū esse non debet, exposuit siquidē vix pro modica voluptate & diuitiarū cupiditate cæleste & incōparabilē fœlicitatē, de qua in psal. dicitur: *Gloria & diuitiæ in domo ei⁹*. Molestū vt reor vobis est tā diu me de hui⁹ vitij turpitudine audire discernētem. Tertium genus sese excusantium examinemus. Præclarū Diogenis dictum.

Tertius itaque homo qui ad hanc cænam venire refugit, est carnalis, cuius verba hoc docent; *vxorē duxi, & ideo non possum venire.* vnde colligo & infero impossibile hominem puellarum fœminarumque consortia sectantem beatitudinis fieri participem. Luxuria namque vitium præsentissimum est quo cœlestis via recludatur. Cuius enormitatem considerans D. Petrus mundum sic exhortatur: *Abstinete*(inquit) *à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.* D. Augustinus etiam alibi intonat, *Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria.* S. Hieronimus meo iudicio aptius inquit: *Grandis virtutis est & solicitæ diligentiæ superare quod natus sis, & in carne non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem argi centum oculis obseruare.* quasi dicat: Spiritum & carnem aduersarios esse, impossibileque esse hominem carnalia sequentem desideria, cœlestibus, & sanctis inhærere operibus. Hoc fatetur nouus Amasius qui se amori implicatum negat beatitudinis cænę interesse posse; inquens; *vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

1. Petri. 2. S. August. lib. de honesta ma. c. 2. S. Hierony. epist. ad Furiā.

Sed nunquid 1. Matrimonium etiam viæ cœlesti præbet impedimentum? num etiam animarum honesta coniunctio impedit salutem? Ita sane, hocque frequenter. D. Paulus viam salutis ingredi volentibus vt ab vxoribus abstineant suadet. Sed his plura adijcio, Dico enim hanc duarum animarum in vno corpore coniunctionem, adeò tollere libertatem, vt vix persæpè per dies nupti fuerunt cū subito facti pænitent. Hæc me docuit Philosophus Socrates, quia à quodam interrogatus, num nubere consuleret, ex tempore hac vsus fuit similitudine. Quemadmodum (inquit) ô celebris iuuentus in riuuli medio pisciculi retibus necdum inclusi circumquaque cursantes intrare gestiunt alijs iam captis exire nitentibus: *sic & vos ne idem vobis accidat, videte.* hinc insinuans frequenter nuptiarum delicias

Matrimonium & Spiritale exercitiū vtcumq; incompatibilia sunt.

delicias sequi suspiria.

Paulus AEmilius diuortium cum vxore quærẽs ab amicis multum rogatus ne hoc perageret, indecens nullatenusque honestum, tantoque viro indignum dicentes, eis hoc vnum, calceum nouum ostendens dixit: *Nemo vestrum qua me parte calceus premat nouit, id tantum præsentio.* quasi dicat, Pulchritudinem vxoris, decus familiæ, dedecus prouentuum ventillatis, en ecce calceus nouus, hic qua me parte premat vestrum nemo nouit, sic neq; dolores & angustias ex matrimonio procedentes preter me non est qui sentiat. *Plutarchus in vita AEmilij.*

Cicero repudiata Terentia vxore rogatus à nobili quodam Romano vt suam sororem in vxorem duceret respondit, *Philosophiæ & vxori seruire non possum.* Hinc innuens, amoris & disciplinæ studium, duo incompatibilia esse. Quod si Philosophiæ studium matrimonium iure impedire aiebat, maiori ratione illud opera cœlestia impedire, dicere possumus. Fœmina namque tale onus homini adfert, vt in græcis sẽtẽtijs iure habeatur: μίσον κακῶν πέφυκε φόρτιον γυνὴ, hoc est, fœminam grauissimum malorum onus esse. Iure itaque se illiberum fateri potest, qui matrimonio coniunctus est. *S. Hierony. lib. contra Iouinia.* *Sentẽtia.*

Solebat enim comicus Philemon dicere nō mirari se, si homo se semel maris concessisset tempestatibus sed si denuò nauigare contendisset periculis elapsis, id stultum se arbitrari fatebatur: sed vna vxore mortua secundam querere stultum prorsus & insanum esse dicebat, teste eo qui vnius ob vxoris causam conuiuio regali interesse recusat. *Vxorem duxi & ideo non possum venire.* *Comici Philem. Apophtegma.*

Sed Deus bone nunquid legitima vxor, honesta coniunctio, viam salutis præcludit? Quid igitur cōcubina quotidianis eisque fruens amplexibus, quorum & inhonesta est amplexio & impudica magis datio? Noe semel vino propriæ vineæ epoto non alterius ablato, inebriatus est, propriamque detexit

verecundiam; quanto igitur magis similitudine sumpta si vxores vtcumque viam salutis præcludunt, concubinæ viam salutis occludent? Eua tantis dotibus gratiarum ampliata virũ decepit; eiusque fuit causa ruinæ. Viri itaque vobis considerandum est, quantum periculi pariat ille matrimonialis status, cum in Euangelio præsenti, mulier sit causa cur vir sit absẽns à cæna, inquit.n. *vxorẽ duxi, ideo non possum venire* O pusillanimes homines! ô effæminata corda! O carnales homines! O misera mundi affectio, qua ita in terram ferimur cælestibus planè derelictis! pudere deberet hominem ita voluptatibus mancipatum, vt earum non gubernator sed ab eis gubernari videatur.

Iudicium 9. Abimelech cernens se à muliere grauiter percussũ, armigerum ad se vocans ait: *Euagina gladiũ tuum, & interfice me, ne fortè dicatur quod à fœmina interfectus sim*. O si hunc animum excelsum gereret Christianus, si inquam hac magnanimitate præditus esset, voluptatibus nequaquam subderetur, neque seruus earum esset, vel in eis se submergi haud pateretur.

Dauid qui omnibus in rebus adeo se strenuem præbuerat, qui Goliath deuicerat, Leoni ora discerpserat, excellentissimos hostium duces subiugauerat, vnius ad intuitum mulieris prosternitur, neque qui tot triumphorum gloria insignis erat, hanc solam superare valuit. Vnde huius facti pænitens, quoties recordabatur, toties infinitis lamẽtis atque singultibus omnia replebat: *Cur timebo* (inquiens) *in die mala*: & subiungebat: *Iniquitas calcanei mei circundabit me*. Difficilis satis & intellectui non patens locus iste, nam varij variè sentientes suas produxerunt opiniones, quorũ quidam putarunt eum de impœnitentia loqui, alij de proditione Variæ, cum iuxta scripturam calcaneum proditionem significet: *Qui mittit mecum manum in paropsidem leuauit contra me calcaneum*, alij cum delicias atque vo-

Psal. 48.

Matt. 26.

lupta-

luptates habitas cum Bersabee deflere arbitrantur, quas putant *Iniquitatem calcanei* appellasse, cumque vereri ne propter hoc peccatum solū, magis à Deo repræhendatur. Vocat autem, *iniquitatem calcanei*, quoniam secundum medicorum certas opiniones vena quædam à calce prodit quæ libidinis fomitē excitat. Vnde Poetę finxerunt Achillem strenuum ducem in sortilegis aquis in calce fuisse vulneratū, hinc innuentes eum qui cæteris in rebus fortissimū se præbuerat, à sola sortilega sēsualitate fuisse prostratū, sensualitate. q̄ potius animalia bruta decet q̄ homines. Noster nāq; inciuilis, brutalis homo ad instar bruti respondet. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Verè brutalis sensualitas quæ hominem transformat in bestiam. Meminit scriptura Adolescentis nomine Sichem, qui tanto feruore Dinā filiam Iacob adamarat, vt cum honoris dispendio & vitæ periculo ea potitus sit sed hic brutalis erat. *Simeon & Leui* (inquit scriptura) *necauerūt Sichem:* D. Ioannes Chrysostomus conuertit, *Fratres Dinæ necauerunt taurum.* Et rectè, vt ostendat quanto feruore amoris hic adolescens ad instar bruti animalis filiam prosecutus sit. *Poetarum fabula.* *Genes. 34.*

Quam horrendum detestandumque vitium est! hoc ego sextæ phialæ apocalypsis comparo, quæ effusa fuit super flumen magnum Euphraten. Euphrates namque voluptates significat, quæ ad instar rapidissimi fluminis homines demergunt: tum quia aquæ delicias huius peccati figurant. Iob has voluptates ignem vrentem vocat, maximumque criminum dicit esse. *Si deceptum est* (inquiens) *cor meum super muliere, & ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea: & super ea incuruentur alij, hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* *Omnia eradicans genimina*, hoc est secundum D. Hieronymum, *Omnia bona virtutum deuorans, atque vniuersa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.* *Apoc. 16.* *Luxuria ignis dicitur.*

Hanc

quid Dalila meretrix quam insatiabili prosequebatur amore? Obid D. Hieronymus inter cęteras quas Rustico tradidit admonitiones, hanc in initio singulariter commendabat: *Fœminæ nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant.* O salutaris monitio! *Obscuritas mentis filia Luxuriæ.*

Sed Luxurię tam immanis est Tyrannis, vt alijs corporis reliquias, alijs corporis nihil pœnitus relinquat. Licet igitur peccatoribus omnibus rectè conueniat illud psalmistæ, *In imagine pertransit homo,* quia nihil hominis habent quod prauis non subiaceat passionibus; tamē singulari ratione Luxuriosis conuenit, quibus nihil omnino præter hominis imaginem hominis residuum est. Cuius vitij enormitatem morti vicinus considerans Iacob, filium Ruben hac seuera monitione & animaduersione reprimit: *Effusus es sicut aqua, ne crescas, quia ascendisti cubile Patris tui.* loco *ne crescas*, alij habent, *ne ascendas*, hanc interpretationem sequitur Chaldaica quę habet: *Quod huic filio Ruben quia maior natu erat, summū sacerdotium, regnum, ac maioratus debeatur, sed propter illam sensualem libidinem, ea omnia amisit.* Tribus namque Leui summum sacerdotium obtinuit: Iudæ Tribus, diademate fuit gloriata: Ioseph aūt priuilegijs primogenituræ donatus fuit. Neque solum Luxuria honore spoliat, Sacerdotio priuat, sed mentis nos impotes facit. Obid versiculū psal. 118 vbi dicitur: *Coagulatum est sicut lac cor eorum,* verterunt quidam, *incrassatum est velut adeps, cor eorū.* quasi dicat, vitium adeo enorme esse, quod vltra honoris priuationem quam parit, soleat hebetudinem ingerere, mentisque stupiditatem cōciliare. Hanc ob causam D. Thomas eam vocat matrem infœlicem atque meretricem, quippe quæ filias sit enixa, mentis obscuritatem, Inconsiderationem, Dei odium, sui amorem, Inconstantiam, terrenorum affectionum voluptatem, denique æternam desperationem. Dauid sic de earū prima loquitur: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* hoc est, superuenit Luxuria & *Psal. 38.* *Genes. 49* *Psal. 118.* *D. Thom. 2. 2. q. 53. art. 6.* *Filiæ Luxuriæ.* *Psal. 57.*

animæ solem videre non potuerunt.

Luxuria denique vinculum est quo semel quis ligatus, solui nō potest. vnde in prouerbijs sic dicitur. *Inclinata est ad mortem domus eius, & ad inferos gemitus ipsius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ* O formidanda monitio! licet enim è peccati luto homo nullus nisi gratiæ diuinæ singulari præsidio & adiutorio, resurgere non potest; tamen maximè ab hac luxuriæ fæce inuolutus quispiam difficulter resurgit. Iudicet quisque vestrum, huius nostri hominis Euangelici exemplo, qui ob vnius vxoris voluptates, liberum se habere negat arbitrium. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Cuius vitij turpitudinem aduertentes, filijsque abominabilem præbentes Antiqui, solebant Luxuriosorum hominum propria in fronte nomina litteris aureis vt ab omnibus viderentur depingere. Cuius rei præbet Exemplum Apocalypsis, vbi fœmina purpureo amicta vestimento depingitur, *Et in fronte nomen eius scriptum, babylon magna fornicationum mater.* Quæ nomina Tertullianus vocat: *Titulos voluptatum.* Hoc etiam vitium adeo abhorret Deus vt non solum illud nolit in effectu nos perpetrare, sed neque de illo etiam cogitare. Numerorum 37. statutum erat nemini dandam victoriæ coronam qui viros tantummodo occidisset, sed ei qui mulieres pariter, virginibus & pueris exceptis interfecisset. Hic est statuti ordo. *Iratus Moyses principibus exercitus, tribunis & centurionibus qui venerant de bello ait: Cur fœminas reseruastis? nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionē Balaā & præuaricari vos fecerunt in Dominum? ergo cuncta interficite.*

Apoc. 17.

Tertul. li. de Pudicitia.

Nume. 37.

Duplici modo hæc verba possunt sumi. Primo, Eos præmia in cælo non mereri qui homines solum necant, idest, qui Superbiam vincunt, Inuidiam superant, & similia peccata, quæ hominibus quasi cōmunia videntur, & luxuriam non deuincunt, volup-

Duplex ratio superiorum

voluptates non superant, quæ mulieribus etiam sũt frequentes. Secundo, Peccata esse triplicia, alia malitiæ & Iniustitiæ, qualia sunt Homicidia, Incæstus, fornicationes, Latrocinia, Sacrilegia, quę per hominem designantur; alia infirmitatis, qualia sunt delectationes sensibiles, prauæ cordis affectiones, & hæc per fœminam significantur: alia ignorantiæ quæ per pueros intelliguntur. Sunt igitur plerique qui homines interficiunt, id est magna peccata deuincunt, sed fœminas id est voluptatibus parcunt eas sectantes. Sed sicut Madianitæ debellatores præmio frustrati fuerunt, donec fœminas iugulassent; ita & Deus pręmio priuabit eos qui peccata magna sensualitate posthabita subiugauerint. Relictis itaque voluptatibus omnibus, Auaritia & honoribus contemptis, ad cænam Iesu Christi properate, qui eam vobis parauit, vos etiam ad eam inuitauit. eius ego seruus sum, festinate, vos voco, quia parata sunt omnia. Properate nullam excusationis inquirentes occasionem, ne fortè nuncios ad vltima mundi Climata quæ sunt *Exitus viarum & sepes*, mittat vocare cæcos & claudos, hoc est populos barbaros & fide priuatos. Sed tu Domine quoniam eam nobis parasti cœnam, átque ad eam clementer à teneris annis inuitasti, statim monitionibus, iã tribulationibus mox prædicationibus, modo miraculis, fac ne in vanũ hęc inuitatio pereat, ne similes his stultis inuitatis simus, excusationes caluas prætexẽtes, ne ob honorem & villæ alicuius gubernationẽ Ciuitatis supernæ amittamus imperium, ne propter quinq; iuga boũ, amęnissimis cãpis cęlestis glorię priuemur, ne denique ob vnius vxoris causam cœlesti & æterna spoliemur beatitudine, ad quam nos perducat Pater, & filius, & Spiritus S. Amen.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores vt audirent eum.

Lucæ 15.

FIGVRA.



Olebant olim Aaron & Maria in detractionibus enutriti, contra Moysen murmurare, quod is vxorem AEthyopissam duxisset, indignam illam tanta dignitate arbitrantes. Et ecce hodie Scribæ & Pharisæi obmurmurant contra Dominum quod Publicanos & peccatores recipiat, indignam esse eius maiestati arbitrantes talem frequentationem miserorum. Vt igitur ad Dei gloriam aliquid dicere ordiamur. S. Spiritus necessarium est auxilium, quo per Angelicam salutationem implorabimus dicentes: *Aue gratia.*

Diogen. Laert. lib. de vitis Philosophorum.

Diogenes Laertius in vitis Philosophorum refert, Xenocratem Philosophũ, cum cuidam mensæ in qua detractionibus murmurationibusq; repleta erant omnia, assideret, interrogatum cur nihil diceret sicut & alij, respõdisse: *Quia fuisse locutum pœnituit sæpe, tacuisse nunquam.* Hinc docens nos, melius esse in conuiuijs murmurationibus repletis tacere, quàm loqui.

Prouerb. 23.

Docuerat idem in Prouerbijs Salomon, dicens: *Noli esse in conuiuijs peccatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt.* Quæ verba exponens D. Gregorius inquit: *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione detractionis vicissim in proximorum vitia dicere.* Ita vt iuxta hanc expositionem, carnes edere, tropicè sit murmurationibus & detractioni-

S. Greg. lib 14. moral.

bus vitam proximorum inficere. Quod detractores D. Bonauentura canibus lanionum comparabat. Sicut enim illis vi quotidianæ ossium corrosionis, os sanguine est fœdatum; ita etiam vi quotidianæ detractionis, ob habent & linguam ad detractionem semper præparatam.

S. Bonau. in diæta salutis c. 19.

In veteri lege aues carnibus viuis vescentes, inhibebantur. Scriptum est enim. *Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis, Aquilā, & Gryphem, & Haliætum & miluum ac vulturem iuxta genus suum.* Vnde Sanctus innuebat, hominem alterius vitam detractione lacerantem, coram Deo immundum esse, & per scripturas à Deo reprobatū. Angelicus Doctor D. Thomas veram essentialemque detractionis inquirens definitionem, inquit: *Detractio est alienæ denigratio famæ per occulta verba.* Cuius vitij enormitatem exaggerans D. Paulus, illud odibile super reliqua vitia dicit esse Deo: *Detractores* (inquiens) *Deo odibiles.* Salomon verò sex esse vitia displicentia Diuinæ maiestati, septimumque Detractionis maximè obidile referebat. *Sex sunt* (inquit) *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Quod vitium adeò odit Deus, vt inter cætera quæ æternis ignibus adiudicauit punienda, vnum sit è maximis teste D. Paulo qui ait: *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Quibus verbis alludit illud Ecclesiastici: *Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, neque confundaris.* Mellifluus Doctor D. Bernardus tantam eius enormitatem considerans, serpenti assimilare non dubitauit. *Nunquid* (inquiens) *vipera est lingua detractoris ferocissima?* Eiusdem opinionis esse videtur D. Hieronymus qui scribens super Ecclesiast. hanc aptè subiungit similitudinem. *Serpens*

In veteri lege animalia carniuora inhibita. Leuitici. 11.

D. Thom. 2 2. q. 73. a. 4.

Prouer. 6. Sex quæ odit Deus.

Ecclesi. 5. S. Bernar. in sermonib.

S Hieron super Eccle.

pens

pens & detractor æquales sunt; quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris virus sui in fratrem effundit. D. Bernardus adiungit: *Detractor & libens auditor, vterque Diabolum portat in lingua.*

S. Bernar. ibidem.

Quæ omnia perpendens sapiens ita consulit: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Caue inquit ne maledicum os habueris: quam maledicum os haberis qui temerariè fratris iudicat vitam. Hæc omnia produxi in medium quoniam hodiernum Euangelium Scribas murmurantes, Pharisæos obstrepentes, atque famę innocentissimi domini detrahentes, ostendit. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores vt audirent illum.* Quæ explicaturus verba, in primis agam de Pharisæorũ detractione, deinde de benigna Dominirespõsione.

Prouer. 4

Nota.

Notandum hic quod cum Dominus venisset in hunc mundum *peccatores saluos facere*, eisque eam ob causam appropinquaret, nec non cum eis benigne conuersaretur, Scribæ & Pharisæi detractione & murmuratione pleni hoc ægrè ferebant, teste Euangelio: *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes.*

O iniusta proteruorum murmuratio! improbare Creatorem ad creaturas accedere, Principem cum subditis versari, diuitem cum inopibus agere, medicum ægrotos visitare, denique Redemptorem captiuos liberare! quis vnquam etiam insanus id improbasset? Rectè semel Aristippus miranti cuidam tot circa Diuitum ianuas reperiri Philosophos, respondit: *& medici languentium ianuas frequentant.* Idem etiam murmurantibus Pharisæis responderi potest; mirari nequaquam debere, Christum qui verus est medicus languentium inuisere domos: siquidem ipsemet testatur, *Non est opus* (inquiens) *medico bene valentibus, sed male habentibus.*

Laert. lib. de vit. Philos.

Lucæ. 5. & Marc. 2

Phocion à teneris annis rerum forensium callentissimus aduocatus, deinde totius reipublicæ Atheniensis Rector, culpatus ab amicis quod iniusti homi-

Apophteg ma Phocionis.

hominis causam sustinuisset, respondit: *At nemo bonus, huiusmodi patrocinio indiget* Idem hodiè obmurmurantibus Pharisæis dicere potest Dominus, quod etiam alibi scriptum reliquit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Inter infinita penè quæ discipulis suis Pythagoras tradidit documenta illud celeberrimū erat: *Contra solem ne loquaris*. hoc est non vitam alicuius inculpatā inuestiges, neque in eum murmures qui culpā caret. Sic exponit Paulus Scaliger. Contra hoc præceptum peccauerunt Pharisæi, qui nulla habita ratione in solem iustitiæ, sicut impudenter, ita & iniustè murmurauerunt. O insanos homines! *Matth. 9.* *Præceptū Pythagor.* *Paulus Scaliger lib. 4. ep.*

Ecce ij quorum erat peccatores adiuuare, quorum intererat ad viam salutis reuocare, non solū non faciunt quod sui erat muneris, sed etiam contra eum qui id facere conatur, obmurmurāt. Ecclesiasticorum nullatenus est alijs nocere, sed magis omnibus proficere, atque omnes adiuuare. In Canticis scribitur, quod è Dauidica turri, quæ Ecclesiasticum rectè figurabat ordinem, *mille pendebant clypei*, quæ arma cum defensiua sint, non verò offensiua, ostendebant Ecclesiasticos alijs nocere, nullatenus debere. *Neminī debent nocere Ecclesiastici, sed omnibus fauere.* *Cantic. 4.*

Cum Athenis consilium contra Alcibiadis honorem & fortunam conuocatum fuisset, iamque de fortuna & honore ageretur, vt id maiori cum assensu omnium fieret, Sacerdotes omnes, virginesque vestales illuc conuocatæ, interrogatæ de opinione & sententia, earum vna respondit: *Ad nos supplicatio pertinet non execratio*. Non huius farinæ erant Pharisæi qui mortem, non vitam peccatorū exoptabant, qui in eum qui vitam largiri volebat impudenti ore murmurabant. *Exemplū.*

O horrendum & immane murmurationis vitiū! Maximarum plagarum AEgypti vna fuit ranarum immissio: *Et extendit Aaron manum super aquas AEgypti, & ascenderunt ranæ, & operuerunt terram AEgypti*

per os quasi per caminum exeunt, illudque fœtidũ efficiunt. Theologi hoc in spiritualibus quod medici in corporalibus, sentiunt, etiam tenent. Dicunt siquidem detractionum causam, ex mala animæ dispositione prodire, *siquidem ex abundantia cordis os loquitur*, & teste Psalmographo, *Sepulchrum est patens guttur eorum*: sed cur istud? *Linguis suis dolose agebant*. mille proferebant calumnias, detractiones mille, quæ omnes peste magis inficiunt. Matt. 12. Psal. 5.

Olim in veteri lege leprosis hoc mãdatum erat: *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit*, ne fortè prauo halitu cæteros inficiat obuios. Murmurator leprosus verus est, os habens sordidum, linguam contaminatam, quæ & inficit famam eius de quo loquitur, & periclitare facit eos qui illum audiunt detrahentem. Hoc vt auertere posset Dauid sæpè rogabat: *Pone custodiam ori meo, vt non delinquam in lingua mea*. O quàm malè fœtet in Euangelio illud: *& murmurabant*. Leuitici 13. *Leprosis similis detractor.* Psal. 140.

Illud vitium adeò detestabatur Dauid vt dicere soleret: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*. Oderat inquam adeò, vt alio in loco mille imprecationibus subijciat, dicens: *Erubescant impij & deducantur in infernum, muta fiant labia dolola*. sed quid hæc eis imprecaris? *Quia loquuntur aduersus iustũ iniquitates in superbia & in abusione*. Ecclesiastici 26. Sapiẽs se à tribus dicit metuisse, *A tribus* (inquiens) *timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit; delaturam Ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mẽdacem*. Peior est morte detractio, nam hæc corpus interimit solum, hæc autem & honorem & famã simul cum corpore interficit. Psal. 100. Psal. 30. Eccles. 26

Antiquitus inhibitum erat maledicere surdo, nã Leuitici 19. legimus: *Non maledices surdo*. Hæc mysterio non vacant, hinc namque colligo absenti nullatenus detrahendum. S. Gregorius hæc verba explicans: *Surdo* (inquit) *maledicere, est absenti ac non* Leuitic. 19. S. Greg. in Pastorali p. 3.

Plutarch. in moral. *audienti derogare.* Plutarchus in moralibus, murmuratores noctuis comparat dicens: *Sicut noctuæ aues inauspicatæ sunt quæ noctu tantum volant & gemunt, sic detracto qui noctu tantum & in absentia, loquitur.*

Coruus sicut & cæteræ aues carniuoræ in lege erat prohibitus. *Hæc sunt quæ de auibus sumere non debetis & vitanda sunt vobis; aquilam & gryphem, & Hallicetum & miluum, ac vulturem iuxta genus suum, & omne coruini generis in similitudinem suam.* Coruus maledici symbolū est hominis, totus namque homo ille niger, & à Deo reprobatus est, similisque coruo, quem emiserat Noë ex arca, qui non rediit, neque enim semel ex rationis arca egressus, ad viam salutis reuertitur; manens supra alienorum vitiorum cadauer.

Coruo similis maledicus.

Apoc. 9. Vidit D. Ioannes in Apocalypsi multitudinem locustarum, quam ita depingit: *Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam coronæ similes auro: & facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes Leonum erant.* Non dubito multis sanctorum Patrum innixus sententijs, his locustis eos comparare detractores, qui locustarū more rodunt, & consumunt quicquid in anima pulcherrimum est; habent verò Leonum dentes, quoniam sicut hæc animalia carne viuunt; ita hi similiter totum destruunt & dissipant, hominis honorem, iuxta illud psal. *Appropriant super me nocentes vt edant carnes meas.* Cui etiam addit D. Paulus scribens ad Galatas: *Quod si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini.* Iob conquerēs de ijs qui quotidie omnia eius facta examinabant dicebat: *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* quæ verba exponens D. Gregorius, *Sciendum* (inquit) *est, quia hi etiā qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur.*

Locustis similes detractores.

Psal. 26.

Iob. 19.

Bestia terribilis quam viderat Daniel detractores mystice figurabat: *Et ecce bestia quarta terribilis atque*

atque mirabilis, & fortis nimis : dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis autem erat cæteris bestijs quas videram ante eam, & habebat cornua decem. nam dentes ferreos atque acutos habet, quia usque ad ossa minuit & rodit famam hominis iusti, pedibus conculcans reliquias meritorum : decem cornua habet; quia adinuenit mille modos pungendi atque alienam vitam inuestigandi; denique alijs dissimilis animalibus esse perhibetur, quia in prauitate & impudentia, peccatum hoc etiam alia superat. Cumque aliorum animalium nomina expressisset, illud vnum reticuit, hinc ostendens detractionẽ vno non posse nomine comprehendi. Ob id etiam Psalmista ait, *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* *Daniel. 7.* *Psal. 49.*

Tanti sceleris malitiæque est vitium detractionis, vt ad instar Diaboli hominem efficiat. Hoc patet ex epistola D. Pauli Apostoli ad Timoth. vbi habetur: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes.* Græcus codex habet μὴ διαβόλους id est non diabolicas. Monet communis textus vt mulieres sint pudicæ & non detrahentes, græcus autem, vt sint honoris amantes & non diabolicæ; adeò vt detractor & Diabolus inter se conuertantur. *2. Tim. 3.* *Detractor est Diabolus incarnatus.*

Regius psaltes de hoc vitio differens ait: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Plinius regium admirans prophetam linguam serpentis dicit esse, *tenuissimam, trisulcam, & longissimam, & atri odoris.* & rectè hoc adiungit, nos instruens, detractoris linguam trisulcam esse, siquidem illa nocet sibi, nocet ei cui detrahit, nocet etiam detractionem audientibus: longissimam dicit, quia & viuos & mortuos mordet: ob idque sagittis comparatur, *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ.* Denique atri est odoris; quia verba sunt insulsa, quæ ab illa prodeunt. *Psal. 139.* *Plinius lib. 5. naturalis historiæ.*

Inhibuerat Deus olim canem sibi offerri in sacrificium. *Non offeres* (inquiens) *mercedem prostibuli,*

nec pretium canis in domo Dei tui, quicquid illud est quod vênerint: quia abominatio est vtrumque ad Dominum Deum tuum. Sed cur adeò hoc animal odisti? fidelis est enim hero, lupos arcet, domos campestres tuetur, Hæc est ratio, Dētes habēs mordet, & incessanter latrat. Vera iterū detractoris figura, qui incessāter latrat in proximū, & dētibus bonā ei⁹ lacerat famā. & Dētes itaq; ouiū nō canū habere nos cōuenit. Siquidē Ecclesiæ decētes ouiū dētibus assimilātur, *dētes tui sicut grex ouiū quæ ascēderunt de lauacro.* hinc instruēs Christianos, veros Ecclesiæ filios, nō canū dētes, sed ouiū debere habere, quibus nō mordeam⁹ inuicē, sed defectus minusculos supportemus.

Similis cani detractor.

Cant. 5.

Dentes Christianorum vt dentes esse debent.

In eodem Canticorum loco, silabia sponsi describuntur. *Labia eius lilia, distillantia myrram primam.* Quibus quidem sponsi labijs similia esse debent labia Christianorum, distillare namque debent myrram mortificationis, & esse candida lilio charitatis, vacua autem vitio detractionis.

Cantic. 5.

Labia Christianorum qualia esse debeant.

Hanc ob causam arbitror voluisse Deum emunctoria templi esse aurea, cum ait: *Emunctoria & vbi quæ emuncta sunt extinguantur fiant de auro purissimo.* Sicut igitur in Salomonis templo emunctoria erant aurea, ita in Ecclesia Dei omnia esse debent charitatis auro radiantia. Hoc inquam dico, nunquam cum honoris alterius dispendio loquendum esse, quemadmodum nostri Pharisæi hodie loquuntur de Domino, *& murmurabant.*

Exod. 25.

Refert Plinius lib. naturalis historiæ, Animal quoddam esse, quod *Bonasus* dicitur, tantæ malitiæ atque deprauatæ naturæ, vt cum cornibus à natura implicatis hominibus nocere non possit, persequētes se, pestifero odore inficit, qui ad instar ignis vrit. Huic animali similem arbitror detractorem, qui sæpissimè alijs per diuinam prouidentiam ad nocendum armis priuatus, malitiose famam inficit aliorum, quæ quidem igne magis vrit.

Plin. li. 10. naturalis hist. c. 70.

Quidam Philosophi piscem quendam esse dicunt

cunt nomine Pastinaca Raiæ quoddam genus, cui tanta veneni insit præstantia, vt proiecto ab infimo maris loco ad instar roris super eosq; in ripa deambulant, veneno eos subitò inficiat & morti infallibiliter subijciat. Hoc veneno, asserunt plerique Telegonum interfecisse patrem suum Vlyssem consilio matris vsum. Eius namque tanta est efficacia, vt illo in arboris radice posito statim arbor exarescat. Huic pisci similis est detractor; qui & periculosus est ad instar eius, illeque maxime qui in secretò & quasi de maris profundo venenum iacit in transeuntes. Hæc namque detractio est quæ in via salutis & virtutum gradientes inficit. Hæc est quæ ad instar veneni posita, contra radicem bonorum operum, honoris arborem destruit, & exsiccat. O horrendum venenum! *& murmurabant.* *Venenum præstans.*

Similes sunt hodierni Pharisæi primogenito illi qui eo quod Pater prodigum filium benigne recipiebat, murmurabat, ægre ferens; similes inquam, quoniam Domino obmurmurant peccatores ad se venientes recipienti. dicebant enim: *Quoniam hic peccatores recipit.* Maria Moysis soror, alioqui virtutibus decora, sed in hoc malè morigerata, murmurabat quod Moyses AEthyopissā duxisset in vxorem: *Locutaque est Maria & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Aethyopissam*, inquit scriptura. Hanc filiam regis Aethyopum quidam fuisse dicunt, inter quos Iosephus, quam quidem cum pacem composuisset, duxit in vxorem. Alij autē & vt communis opinio tenet, dicunt fuisse Sephoram filiam Ietro, ex Madianitatis oriundam. Parum refert vnde sit, sciebat illa. Attamen synagogam huic Mariæ similem dico, quę hodię contra fratrem Dominum nostrum obmurmurat, quod animas peccato AEthyopissas, venerit reconciliare, & sibi desponsare. *Et murmurabant, quia hic peccatores recipit.* Truculenta nimis Pharisæorum malitia! Magna nimis Christi misericordia! Infinita sane Dei misericordia, qua *Luc. 1.* *Numer. 12.*

Babylonij regis arioli atque aruspices differentes de modica suorum Deorum maiestate ineptè dicebant: *Exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio*. neque enim nouerant Iesum Christum, Deum & hominē venturum, atque cum peccatoribus conuersaturum. His melius prænouerat Moyses, dum inquit, *Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis*. En ecce cum peccatoribus agit, cum eis conuersatur, eos reuocat ad vitam. *Daniel. 2.* *Deuter. 4.*

Dauid confugientes ad se angustiatos omnes benigne recepit, sicut scriptum est: *Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Hic autem verus Dauid Iesus Christus, non alieno ære obstrictos liberat, sed peccatorum nexibus implicatos soluit. *Quia hic peccatores recipit.*

Sicut enim ad arcam Noe tempore diluij vniuersa confluebant animantia, ita tempore diuinæ Iustitiæ qua vniuersum delectebat genus humanum, peccatores confluūt & veniunt ad Iesum veram arcam diluuij. Quid dicat Euangelista audiamus. *Erat appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores.* At plus æquo huic immoror materiæ, ad secundam partem transeamus necesse est. *Genes. 7.*

II.

Cognoscens itaque Iesus murmurantium Pharisæorum malitiam eos duabus similitudinibus admonet & eis respondet, quarum vna est de lapide prætioso amisso, altera est quæ ita se habet. *Quis ex vobis homo qui habet centum oues, si vnam perdiderit, non relinquens nonaginta nouem inquirit eam quæ perierat?* quam cum inuenerit nunquid familiares inuitat & congaudent de ouis inuentione? &c. His parabolis calumniam deuitat Pharisæorum & bonum malo præualere ostendit. *Responsio Christi.*

Quod antiqui pulchre significabāt Hierogliphico:

soles

ordium. Hinc enim deuiare cœpit à recta diuinorum mandatorum semita, & in peccatorum barathrum decidere. Hoc nobis intelligendum præuenerunt Prophetæ. Esaias in primis *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Deinde Ezechiel *Errauerunt greges mei in cunctis montibus & in vniuerso colle excelso & super omnẽ faciem terræ dispersi sunt greges mei.* Dauid etiam se his ouibus annumeras exclamat: *Erraui sicut ouis quæ perijt quære seruum tuum Domine.* Reuera homo est ouis illa quæ perijt, propter quæ Deus de cælorum sublimitate, assumpta carne, descendit, hunc inquirit, & ad inquirendum ministros mittit. Nec mirum si hanc ouem quærit pastor, pluribus namque rationibus mouetur. Prima est gloria patris, quæ non gloriatur in animarum perditione, sed in earum salute delectatur, teste scriptura quæ ait: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum* Secunda, quia homo opus manuum suarum est teste Iob: *manus tuæ fecerunt me Domine, & plasmauerunt me totum in circuitu.*

Homines sunt censsima ouis

Esaiæ.34.
Ezech 34
Psal.118.

1.

2.

Cum Ionas Dominum Niniuitis parcere velle videret, ægrè ferens vidit Emblema sequens: Hedera erat cuius radicem vermiculus exortus rodere cæpit, quæ corrosa exaruit, Ionæ autem arbusculæ vicẽ dolenti ait Dominus. *Tu doles super Hedera in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt, & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ in qua sunt tot homines & iumenta?* Hinc concludens maiori ratione deflendam animæ perditionem, quam alicuius arboris exsiccationem.

Ionæ.4.

3.

Tertio, quia Dominus pœnas æternæ gehennæ peccatorib⁹ debitas aduertit, quas solus cognoscẽs innata pietate animas ab eis auertit. Hinc est quod destructionẽ vrbis Hierusalem aduertens, fleuisse dicitur: *videns ciuitatem fleuit super eam.* Si igitur ob vrbis destructionem fleuit, quanto putas afficitur do-

antiqui Authores bonos Angelos esse arbitratur, certũ nãq; & õi luce clarius est creaturas oẽs Dei oues esse;inter quas homines à vera semita deflexerũt,& creauerũt alijs immotis permanẽtibus. Angelis.Sic sẽtit.S.Ireneus.Sic tenet etiã,Origenes,S.Cyrillus Hyerosolymitanus,S.Hilarius,S. Ambrosius, S.Gregor. & alij plures Sic etiã nobis sẽtiẽdum est, nisi fortè absurdã Origenis absurdè sequi velimus sẽtentiã dicẽtis, Deũ etiã pro Angelis qui peccauerãt descẽdisse.Sẽsus itaq; parabolę nõ est Deũ sine vlla peccati labe reliquisse nonaginta nouẽ oues,vt vnã inquireret;sed tanti eum facere vnius animæ salutẽ ac si cẽtũ solũmodo homines in mũdo essẽt, ex quibus vnũ perditũ,relictis alijs,ad inquirẽdũ proficisceretur. Quod boni opus pastoris est:& etiã Mat.18. dicitur. *Nõ est autẽ voluntas ante patrẽ vestrũ qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

Iren. l.3.c. 21. & 39. Origene. hom.2. in Genes. & hom:7. in Iosue. Cyrill. Hier. catec.in15. S.Hilar. in 18 Mat. S. Ambr. in Apologia Dauidis. cap.5. S.Greg. hom. 24. super Euã.

Summæ clemẽtiæ Christi in hac parabola elucet exẽplũ,qua dignatur perfidis Iudęorũ interrogationibus respõsũ dare. Quod nõ semel,sed sępissime interrogatus fecit. Culpatus nãq; ꝙ Sabbatha violaret sanãs infirmos, clemẽs clemẽti bonitate respõdit. Cui⁹ vestrũ bos si ceciderit in foueã die Sabbati non cõtinuo extrahitur? ꝙ si ita est, maiori ratione animã è diabolico puteo extrahẽdã esse iudicat. Hodie murmurãtib⁹ ꝙ peccatores admittat, benign⁹ benigno respõdet alloquio, *Quis vestrũ habẽs cẽtũ oues &c.*

Mat.18.

Clementia Dei.

Plinius lib naturalis historiæ refert,Balænã insecutam à pisciculo quodam inimico iurato qui fœtorẽ insupportabilẽ emittit per mare,odorẽ suauissimũ quem ab Electro quod in pectore fouet extrahit,pariter emittere,quo odore fœtorẽ omnem pisciculi dissipat. Simile quippiam hodierna suggerit parabola. Ecce namq; Dominus huiusce mũdani maris Balęna, insecutus à pisciculo,Iudæorũ nẽpe synagoga,quæ pessimũ calũniæ & murmurationis immittit fætorẽ,dulcissimũ ècontra responsionũ emittit odorem. Mirantur & stupent Iudæi.

Miramini haud dubito & vos, quos longa similitudinum serie & detractionis enormitate tenui, prolixitatem nimiam verborum. Restat vnicum vt vos moneam, ne quam vitio isti detractionis subiaceatis, neue male absentis famam corrodatis, insuper vt Dei misericordiam admiremini, qui adeò clementer & benignè recipit peccatores. Nullus est qui peccatores recipiat, nisi Deus in quem peccata redundant. Ille solus recipit, cæteris creaturis in eos

Sapien. 5. sæuientibus, iuxta illud: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* & infra: *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus in-*

Sap. 16. *iustos.* Retinet Deus atque creaturarum manus amouet ne peccatorem interficiant. Vnde Prophe-

Thren. 3. ta quidam ait: *Misericordia domini, quod non sumus cõsumpti.*

Genes. 4. Fratricida Cain videns se à facie Domini eiectũ, vices suas dolens aiebat: *Ecce proijcis me à facie tua, omnis qui inuenerit me occidet me.* Omnia mala in me tanquam in scopum vergent. Nulla namque securitas est peccatori, nisi Deus infinita bonitate manum supponat. Quod ita in se factum agnoscens

Psal. 30. D. Augustinus, exclamat: *Ego te offendebam & tu me defendebas.* Mirum sanè, quæuis creatura reum lęsæ maiestatis quærit interficere, & Deus non permittit. *Abscondis eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* Securè igitur decantet peccator: *Deus refugium nostrum & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.*

Tu igitur ô Domine Deus refugium es peccatorum! tu inquam nostræ iniustitię operimentum, quo si careremus, proculdubio in nos creaturæ omnes exsurgerent, nosque interficerent. Hanc ob causam ad te confugiunt hodie, quos nequaquam despicis sed benignè recipis, vnde sine ratione murmurat Synagoga. Quid ni enim ad te confugiant peccatores, cum in te necessaria quæuis recipiant? Si mortui sunt tu suscitas, si à recta semita deuiarunt,

ad viam salutis reducis, si debiles sunt, vires præstas; si cæci, lumen concedis. Denique teste D. Ambrosio quæuis remedia in te reperiuntur, nam æger ex te medicinam accipit, febre correptus sanitatem accipit, auxilio indigens potentiam accedit, cœlum denique ingredi volenti viam præbes. Ad te igitur confugimus hodie pietatis parēs, tibi verecundię plagas detegimus, nobis faueas, nos qua soles benignitate recipias, nobis gratiam semel cælestem ingrediendi patriam concedas, vbi regnas cum Filio & Spiritu S. in secula seculorum. Amen.

S. Amb. li. de virginitate.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Duc in altum & laxate retia vestra in capturam. Lucæ 5.

FIGVRA.



Obias Iunior beatæ illius mentis iussu in salum descendit, piscationeque haud quaquam inutili, portētum marinum extraxit, prodigiorum nouorum causa futurum. Omnis siquidem malitiæ authorem expulit, connubium eius omni fœlicitatis genere cumulauit, patri decrepito visus beneficio carenti visum restituit. Dissimilem hodierna die piscationem perspicere licet: adest enim omnium Christi asseclarum Coripheus, & animarum piscator Petrus, qui cœlestis illius Patris atque arcanorū Dei angeli iussu, freto retia sua committens, adeò copiosam piscium aduexit multitudinem, vt retia rumperentur, quod summopere mirantur mortales. Rem hanc prodigio quam simillimam exponendam habeo, quàm Diuina ope fretus per Virginis

Tobiæ 6.

Nunquid & animas & corda audientium hominũ rapiet? Ad rem facit quod sequitur. Laertius refert Diogenem adeò Eloquentia Antisthenis Philosophi adactũ, vt verberibus percussus diceret: *Cæde, non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te quamdiu aliquid dixeris quod discam, arcere poterit.* Si tantum in vobis esset animi ad diuina verba percipienda, quantum in nostro Diogene erat ad audienda Philosophię verba; nihil vos arcere posset. *Laert lib. 6. de vit. Philos.*

Si tantæ fuit Eloquentiæ Salomon vt Regina Saba audita eius fama, ad eum venerit eum auditura, atque permulti venerint vocis eius gratiam exauditiuri quæ solum humana erat; Quid poterit sacri eloquij virtus? Quid inquam Regis regum prudentia: Quidue eiusdem Sapientia? Nunquid Christianorum poterit allicere affectum? Hunc grato audire animo bonæ conscientiæ signum est. *3. Reg. 10.* *Eloquij diuini vis.*

Eiusdem opinionis esse perhibetur D. Ioann. Chrysostomus qui ait: *Quemadmodum esurire bonam valetudinem declarat: sic sermones appetere, spiritualis animæ sanitatem arguit.* Sicut enim qui bonum gestit cognoscere piscem eius debet intueri aurem, quæ si madida est, & nitida signum denotat valetudinis; ita qui bonam intueri optat conscientiam, videat si libens verba Dei audiat, qui enim ægrè verba Dei audit, is morbo animæ laborat, teste Scriptura quę ait: *Qui ex Deo est verba Dei audit, & contra.* *Chrysost. hom. 2. in Esaiam.*

Quam benè ex Deo se esse ostendebat Dauid cũ dicebat; *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* quasi diceret. Quemadmodum milites capta ciuitate quadã, deprædationiq; tradita pretiosa quęuis rapiũt & eis q̃ possũt maximè sese onerãt: ita mi Deus vocẽ tuã audiẽs & eloqa tua percipiẽs facultates omnes animæ onerabam, replebamque & cor & intellectum his sermonibus tuis, *lætabarque super eloquia tua sicut qui inuenit spolia multa.* *Psal. 118.*

Hic erat Regius feruor, hæc veri principis Deuo,

Similitudo. tio. Vtinam simili quisque nostrũ deuotionis incēdio fulgeret. Sed quid nos remoratur? Si Rex quispiam Ciues omnes lesę maiestatis reos morti adiudicasset, & loco spiculatorum qui caput amputarent legatos mitteret gratiæ atque misericordiæ latores, quis ciuium illorum regios non curreret auditurus codicillos? Ecce Rex regum, Dominus noster, qui toties nos ni sua bonitas & clementia retinuisset, perdere poterat, quotidie legatis suis admonet vt amicitiam secum ineamus, vt ad gloriam tendamus, quanta igitur alacritate eos audire debemus?

His verborum ambagibus concionis huius texui exordium, quoniam verbi Dei multos refert hodiernum Euangelium amatores, quorum tanta erat copia, vt non solum se inuicem premerent, sed nec Domino concionanti locus relinqueretur. Euangelica producamus verba; *Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat, secus stagnum Genesareth. &c.*

Mundus mare dicitur. Vt igitur ordinatè huius concionis cursum dirigamus statui in primis mare illud explicare, deinde de piscationibus agere, denique de piscatoribus aliquid referre.

Stagnum itaque Genesareth mũdum hunc, mille fluctibus repletum, sexcentis ventorum generibus subiectum figurat, mundum inquam Superbia inflatum, ambitione stimulatum, Luxuria spumosum. Quem hunc in modum describit Ioann. *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* *1. Ioan. 2.*

Pisces, homines mihi designant, Nauis, Ecclesiam; mare, mundum, vnde inquit dystichum sequens loco D. Petri.

Ecclesiam pro naue rego, mihi climata mundi
Sunt mare, scripturæ retia, piscis homo.

Et sicut in mari deglutit piscem paruum, maior; ita & in mundo diues pauperẽ opprimit. Hoc testa-

testatur D. Iacobus inquiens: *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos*: Hoc Abacuc enodatè magis declarat dum inquit: *Et taces deuorante impio iustiorem se, & facies hominis quasi pisces maris.* Et sicut Pelagij pisces salis non sentiunt amaritudinem, putantque dulces esse aquas in quibus degunt: ita mundani, suauibus in delicijs enutriti, mundana quæque sapida esse putant, suauique voluptatum sapore repleta. *Abac. 1.*

Quanto tēpore filij Israel in Aegypto fuerūt allijs & cepis vescebantur, tantumque dulcedinis in hoc cibo reperiebant vt delicatissimum manna mellitumque cibum huius desiderio contemnerēt. His similes sunt Mundani, quibus adeò placent voluptates quæ iustis summoperè displicent, arridentque adeò huius vanitates, vt nil sit, neque inueniri possit, quod eis æquiparare velint. Sed vnde digressi sumus reuertamur. Sicut pisces maris nutritij sine fluminibus vitam agere non possunt; ita neque filij lucis sine Baptismalis fontis aquis vitam salutarem ducere possunt. Hoc docet Euangelista. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Cuius figuram rei præbet vetus testamentum. Nobilis namque Naaman nunquam à lepra mundatus foret, nisi Iordani aquis ablutus fuisset. Licet etiam, pisces maris incolę, piscatorum infinitis subiaceant insidijs; pluribus tamen subiacet homo mundanus Diabolicis fraudibus & astutijs. Diabolus namque concursator est huiusce Mundani maris, inquirens animam deuiantem, retia tendens vt eam capiat, teste Psalmista: *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Commodè magis explicat Sapiens: *Sicut pisces capiuntur hamo* (inquit) *sic homines in tempore malo.* Hic autem per tempus malū intelligit tempus tentationum; sicut & D. Paulus dum ait: *Accipite armaturam fidei, vt possitis stare in tempore malo.* O periculosos piscatores! qui totum penè mundum tempore diluuij, & exercitū

Pulchra allegoria. *Mala mūdi non sentiunt Mūdani.* *Ioan. 3.* *4. Reg. 5.* *Diaboli sunt piscatores.* *Psal. 148.* *Eccles. 9.* *Ephes. 6.* *Genes. 7.*

suæ subijcit voluntati, & pisces maris suo iubet obedire nutui. Qui licet pisces omnis sint vltra cætera animantia disciplinæ incapaces, hodie tamen diuinę obedientes voluntati, quasi in certum refugium in D. Petri retia sese conijciunt. Ita vt rectè de Deo dici possit: *Quis est hic, quia mare & pisces obediunt ei?* Quarto vt ostendat diuinæ iustitiæ miranda opera. Quoniam enim D. Petri naui ad prædicationem vsus fuerat, ne ingratus esset, piscationis beneficio multitudine piscium eàm onerat; vt etiã nos instrueret recipientes Prædicatores, nunquam mercedis fructu cærituros. Antiqua id probant exempla. Mulier namque Sareptana quia Heliam Prophetam exceperat hospitio, olei multiplicationis remunerata fuit beneficio. Elisæus etiam cum per aliquod temporis spatium in domo Sunamitidis infœcundę mulieris habitasset, compensationis loco ei prolem impetrauit, quam postea mortuam, idem suscitauit. Ob id dicebat Dominus: *Qui vos recipit, me recipit.* Nunquid sufficiunt hę rationes? Aduertite, interim ad piscationem recurro, in qua multa notatu digna aduerto.

4. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Matt. 10.

Primo: Dominum hac piscatione miraculosa vsum, vt animas Apostolorum piscaretur. Vtitur namque Dominus, naturæ nostræ inclinationes agnoscens, remedijs conuenientibus: Magos siquidem (quoniam astrologi erant) stella ad se pertraxit; Apostolos verò quoniam piscatores erant, mirabili piscatione ad se perduxit: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores anim[illegible].* Secundo: Priusquam Dominus mirabilem hanc piscium ostenderet prædam, iussit Apostolos à terra dimouere, dicens: *Reducite à terra pusillum.* vt hinc nos instrueret qui in Ecclesię naui constituti sumus, terrena sectari, & terrenis inhiare voluptatibus dedecere, sed magis cœlestia esse spectanda, & retrahendas animas ab omni terrenarum voluptatum affectu: Idque decere præcipuè prædicatores, quorum vita

1. 2.

debet prælucere alijs exemplo. Hi namque sunt qui per tubas argenteas quas præceperat Dominus per Moysen fieri, cum ait, *fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem quando mouenda sunt castra*, figurantur. Sunt enim illi qui prædicationis tuba peccatores excitant, & à vitiorum fœce, affectuum castra mouere iubent. Verum debent esse argenteæ tubæ, id est eorum verba, & mores prorsus à terra alieni. Deinde debent esse ductiles non fusiles, quia prædicatores, nihil laboris subterfugere debent, quo minus animas semper saluare contendant. Hæc autem piscatio diurna non nocturna fuit, multas in se continens significationes. Prima. Nox, legem Moysis significat quoniam tenebris & obscuritate repleta erat; *vmbram habet lex futurorum bonorum*, in qua neque gratiam, neque iustificationem aliquam, accipere licet. 2. Nox, Mundum designat qui cæcus est, omni vitiorum genere obcæcatus, quique in tenebris continuo versatur, *In tenebris ambulant*, in quo qui laborat, sudores solum continuosque carpit dolores. 3. Nox, peccatum significat, cuius tempore, nihil prodest piscatio bonorum operum, exaggeratio, virtutumque accumulatio. 4. Nox hæc, horam mortis significare potest, in qua neque mereri neque demereri quis potest, hæc nox est de qua dicitur in Euangelio, *veniet Nox in qua nemo potest operari*. Laborandum itaque est tempore huius vitæ labilis, quanto tempore Sol gratiæ in animas nostras suos radios immittit, tempore legis Euangelicæ, in qua gratiarum cumuli, [illegible] fulgentiarum riuuli, Misericordiæ piscatio haberi potest. Aliud aduerto.

Cur fuerit hæc piscatio facta die. 1. 2. 3. 4.

Hæc miranda piscatio fit per domini imperium, Petrus namque dicebat, *In verbo autem tuo laxabo rete*, vt ostēderet omnia opera nostra, debere nomen Dei præcedere, sine quo, nulla stabiliuntur, sed quæ sunt stabilita diruuntur, sine quo similes sumus Apostolis, qui tota nocte laborantes nihil cæperant,

Infœlicitas malorum Prædicatorū.

quorum

quorum hæc est quærimonia, *Tota nocte laborantes nihil cæpimus.* Similes his sunt prędicatores, qui licet prędicent, nullum tamen ex sua prædicatione animarum hauriunt emolumentum, quemadmodũ neque potuit Elisęi seruus filium Sunamitidis suscitare, vnde dicebat: *Non surrexit puer, non est vox, neque sensus.* idque quoniam finis eorum alio tendit quam in gloriam nominis Dei. Sicut enim Naaman aquis Iordani immersus, quoniam à Propheta illuc missus erat, fuit à lepra mundatus, alijs plerisque quos Propheta non miserat remanentibus immundis: ita hi solũ proficiunt, q̃ in nomine Dei prædicant, secus facientes dicere possunt, *Nihil cæpimus.* E quorum numero sunt ij prædicatores, qui quia honoris auram captantes populo prædicant, licet assiduis studiorum sese enecent laboribus, nihil omnino fructus colligunt, neque vel minimam animæ salutem. Similes Apostolis qui non solum nihil cæperant, sed & retia sua frangerant, scriptum est enim: *& reficiebant retia* Nam sicut hi præter laborem & onus nihil profecerant: ita isti prẹter studiorum quotidianas exercitationes nihil prorsus extrahunt, quibus illud Propheticum conuenire arbitror; *ventum seminabunt, & turbinem metent.* Sicut etiam pistrinum ventilatum, tamdiu mollit, quamdiu ventus in illud agit, ita prædicatores vani tantò tempore multa referunt, quantò honoris aura & vanæ gloriæ zephirus in eos agit, qua cessante & illi pariter cessant. Huius non erat farinæ D. Paulus qui in epistolis suis ait: *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.* Mirum itaque non est si illi qui aliter prædicant nullum referunt emolumentum, & clamant: *Nihil cæpimus.*

4. Reg. 4.

4. Reg. 5.

Osea. 8.

1. Thes. 2.

Mundani vanam faciunt piscationẽ

Huius sortis sunt mundani, qui sæpissimè retia super ambitiones, voluptatum maria tendentes, toto vitę tempore nihil capiunt, Quos Isias araneis

Idolatræ consumpserat, qui ingratus labores serui sui non considerabat. vnde conquerens Iacob, atque deceptiones toties iteratas exaggerans, dicere solebat: *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Labā Idololatra Mundus est, Gener autem eius Mundanus, qui diuitiarum amore c ptus, quæ Mundanus, qui diuitiarum amore captus, quæ mundi filiæ sunt, sæpissimè non recompensatus dicere cogitur, *Tota nocte laborantes nihil cæpimus.* Gen.3.

Rectè quidem nihil etenim Mundanis restat, mille doloribus, mille sustentatis laboribus. Peccatum enim solummodo residuum est, quod iuxta D. Augustinum nihil est: *Et sine ipso factum est nihil, id est peccatum.* Hinc instruxerat Apostolus qui 1. ad Corinth. 13. scribit: *Si charitatem non habeam nihil sum.* hinc instruens nos, peccatum creaturas omnes omnibus priuare, & ad nihilum redigere, sic aiebat Dauid: *Ad nihilum redactus sum & nesciui.* Et Ezechiel de Lucifero ait: *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* O infortunatum! O omni cæcitate dignissimum peccatorem! qui vt aliquid vitæ capiat Deum offendit, qui vt vitam augeat contra creatorem peccat, cum tamen vita nihil sit, vt testantur Dauid: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Et Iob, *Nihil enim sunt dies mei.* Qui vt nobilitatis decus stabiliat, tantum sustinet laboris, cum nobilitates & honores nihil sint: *Ecce vos estis* (inquit Isaias) *ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est.* Qui inquam ita vanitati & popularis famæ acquirendæ studet, & in ea sibi complacet, cum tamen nihil sit: *Nam si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Qui denique ambitioni inhiat, auctoritatem quærit, Dominiū postulat, cum neque hæc sint aliquid; teste Apostolo, *Si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Qui diuitias accumulat, cum nihil sint: *Diuitias enim nihil esse duxi in comparatione illius.* Denique Mundus totus nihil est, vt testatur Hieremias dicens: *Aspexi*

Peccatum est nihil.
1. Cor. 13.
Peccatum est priuatio bonorū.
Ezech. 28.
Psal. 38.
Iob. 7.
Isaiæ 41.
Ioann. 8.
Galat. 6.
Sap.

Hier. 4. *Aspexi terram & ecce vacua erat & nihil.* O infœlix, cur igitur Deum offendis? audi Psalmistam regiū

Psal. 9. conquerentem: *Propter quid irritauit impius Deum?* Vnde patet huius mundi piscaturam planè inutilem, cum in mundo præter nihil, nihil reperiatur.

II.

Ad secundam partem procedamus & piscatores examinemus. *Duc in altum & laxate retia vestra in capturam.* Quorum piscatorum duo aduerto

Duo genera piscatorum. genera, alterum bonorum, malorum alterum. Boni sunt Ecclesiæ Doctores, Prædicatores, verbi Dei

Matth. 4. instructores, quibus dicitur Matth. 4. *faciam vos fieri piscatores hominum:* quorum ministerium piscatio est; verbum Dei retia; Pisces animæ sunt. Hinc apprimè piscationi instructus erat Petrus, qui laxatis

Act. 2. verbi Dei retibus, vnico actu tria millia animarum cæpit: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sūt in die illa animæ circiter tria millia.* Et iterū quinq; millia; *Multi autē eorū qui audierunt verbū,*

Act. 4. *crediderunt; & factus est numerus eorum quinque millia.*

Verum inter omnes piscatores similis Christo non reperitur, is siquidem fuit, qui alios piscandi

Christus piscator magnus est. arte docuit, atque ita piscationi animarum in hoc procelloso Mundi mari addictus fuit, vt etiam vitā in ea finierit: *Veni* (inquit) *in altitudinem maris, &*

Psal. 68. *tempestas demersit me.* Hic piscator est, qui animas omnes saluauit è faucibus tartari. Similis factus Torpedini; qui cum se irretitum, atque cum alijs piscibus captum videt, statim fascinum immittit, quo mentes nautarum sopore premit, & adeò, vt & retia relinquere & pisces liberos abire, sinere debeant. Sathan pari modo eum retibus suis includere dum conatur, vi vires suas edomitas videt, atque labefactas, ita vt non solum eum, sed & cæteros homines liberos dimittere cogatur. Vnde Da-

Psal. 115. uid gratias referens dicebat: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Ignari

Ignari piſcatores Hæretici, falſæque doctrinæ diſſeminatores ſunt, qui ſub prętextu reformatæ libertatis, animas ignorantiæ retibus includunt, de quibus dicebat Hieremias, *Ecce ego mittam piſcatores multos dicit Dominus, & piſcabuntur eos*. Hi inquã ſunt piſcatores ſemper in his Mundi turbulentis fluctibus deliteſcentes, & ſub Tyrannico Dæmone, animarum archipiſcatore in peccatis verſantes, teſte Dauid, *Cadent in retiaculo eius peccatores*, Huius iniquæ perditæque ſortis erat Arrius qui falſę doctrinæ rebus, erroriſque retiaculis totum pæne orbem incluſerat; Totus orbis terrarum ingemuit, & ſe Arrianum eſſe miratus eſt, inquit D. Hieronimus, in quibus plus ducentis annis deceptum retinuit. Macedonius huic in malitia par extitit, qui errore perdito arbitratus, Spiritum S. puram eſſe creaturam, populorum millia decepit, maioremque Eccleſiæ plagam inflixiſſet, ni conſilium Conſtantinopolitanum eius retia dirupiſſet. Pelagius his ſuccedens perdita opinione, qua affirmabat infantes in vtero materno eſſe innocentes, naturamque peccatorum remiſſionem tribuere, totum infecerat mundum, niſi D. Auguſtinus & D. Hieronymus fallacia cognita retia detexiſſent. Neſtorius eiuſdem farinæ piſcator, multas falſorum dogmatum retibus animas cepiſſet, qui Virginem incontaminatam non eſſe appellandam Matrem affirmabat, negabatque Iudæos Chriſtum crucifixiſſe; niſi eius fraudulenti venena detexiſſet piſcatoris, Concilium Epheſinum, & S. Cyrillus Alexandrinus. Manichæus etiam ſecta perdita totum peragrauerat orbem ducẽtorum annorum ſpatio, cuius doctrinæ retibus annis aliquot incluſi fuere, D. Auguſtinus, Fauſtus, Fœlix, Fortunat⁹, & alij plerique, qui deinde ad Euangelicæ veritatis lumen reuocati, infenſiſſimi falſæ doctrinæ facti ſunt oppugnatores. His omnibus perditis piſcatoribus ſucceſſerunt, perditiſſimi Lutherus, Zuinglianus, Melanctonius,

Hæretici ſunt perditi piſcatores.
Hier. 16.
Pſal. 148.
S. Hiero. in dialog. contra Luciferian.
Hiſt. tri. par. lib. 4. c. 8.
S. Aug. li. de Natu. & gra.
S. Hiero. tom. 3. par 114.
Epiph. lib. 2. tom. 2. & Aug. lib. contra Fauſtum

lanctonius, Oecolampadius, Caluinus, qui omnes
falsorum dogmatum armis miras in Germania,
Gallia, Hispania, Anglia strages ediderũt, millia a-
nimarum infinita decipiẽtes. Appositè dixi *decipientes,*
siquidem Hæretici nõ capiunt, sed decipiũt. Nã animæ
hæreticorũ falsitate peruersæ, non *in capturã* ruunt,
sed *in deceptionẽ & perditionẽ*. Nemini. n. dixit Chri-
stus præterquã Petro & successoribus, *Laxate retia
vestra in capturã*. Extra nauiculã nãque Petri animas
capere, decipere est, neque solum in loco certo pis-
candi dedit Dominus Petro facultatem, sed in om-
ni mari, dicit enim: *Duc in altum.*

Quam sublimiũ cogitationum perfundit imbrẽ
istud *Duc in altum*. Prima est. *Altum* æquiualet pro-
fundo, iuxta id quod habetur Ioannis 4. *Puteus*
Ioann. 4. *altus est, idest profundus*; Et in Psalmo 68. *Veni in*
Psal. 68. *altitudinem maris & tempestas demersit me*, idest, *in
profunditatem maris*. Et secundum hanc significatio-
nem videtur Petrus relictis humanitatis riuulis in
profundum Diuinitatis, mare vela dedisse, dum di-
Diuersæ ceret: *Tu es Christus filius Dei viui*. quasi dicat. Alij in
interpre- humanitatis vndis fluctuantes, arbitrantur te esse
tationes Heliam, aut vnum ex Prophetis; at ego in Diuinita-
Duc in al- tis spacioso nauigans mari, te non Prophetam so-
tum. lum, sed Deum, Dei filium agnosco.

1. Secundus sensus est. *Duc in altum*, idest, Cum tu ô
2. Petre! Ecclesię (vel Nauis) gubernator sis, non hæ-
D. Aug. rendum in stagno Genezareth, vel in compitis Iu-
lib. 2. dææ delitescendum tecto, sed in profundum naui-
quæst. E- gandũ, idest, in exteras gentilitatis nationes Euãge-
uang. liũ propagandum. Sic hunc locum interpretatur D.
quæst. 2. Augustinus & alij, qui ait: *Quod dixit Petro: Duc in al-
S. Greg. li. tum & laxate retia vestra in capturam*, *& remotiores
17. mor. gentes quibus postea prædicatum est, pertinet: sicut Isaias
c. 2. Beda dicit; tolle signum in gentes ad eas quæ propè, & ad eas quæ
in cõmen. longè.*

c. 5. Tertia interpretatio est. *Duc in altum*, idest: Anti-
3. quitus Põtifices, mysteriorum superficiem solum-

modo

modo viderunt, vestrum autem est, & latum & profundum inuestigare. *Duc itaque in altum.* Nam sinagoga vmbram figurasque continuit, Ecclesia verò, corpus figuratum aperuit; Lex antiqua imperfecta erat, Euangelica verò ita perfecta, vt perfectior inueniri non possit. In cuius rei testimonium complures figuras in medium producere possem, quas breuitati studens negligo, præcipua adducens.

Differentia inter Legem Mosaicam & Euangelicam.

Tempore veteris testamenti, Danieli apparuit Angelus zona aurea renibus cinctus; Nouæ autem legis tempore visus est in Apocalypsi ad mamillas præcinctus: cuius cincturæ diuersitatem Euangelicam designasse perfectionem ostendit Richardus de Sancto Victore, cuius verba sunt hæc: *In veteri testamento visus est Angelus prophetæ cinctus renibus, quia ibi carnis opera expressim prohibebantur; in Nouo autem visus est Ioanni præcinctus ad mamillas, quia nunc vel ipsæ cogitationes illicitæ, manifestè refrænantur.* Enodatè magis eandem cincturæ diuersitatem exponit Pannonius dum ait: *Apud Danielem præcinctus apparet ad renes, quia scriptura veteris testamenti ipsum opus Luxuriæ arcet, Nouum autem Testamentum etiam ipsas cogitationes.* Hoc enim idem præcipit Christus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Qui igitur ab opere, ad cogitationes ipsas refrænandas venit, huic rectè dici potest. *Duc in altum.*

Daniel 10. Apoc. 1. Figura. Richard. de S. Victore.

Pannon.

Matth. 5.

Huic similem colligit opinionem D. Gregorius, visionem Ezechielis attendens, in qua viderat hominē albis vestitum, lineo funiculo Templi magnitudinem mensurantem; dum ait: *Censura legis veteris funiculus fuit, sed lineus non fuit, quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per pænæ sententiam, non peccata cogitationis sed operis resecauit: at Christus funiculum lineum in manu sua tenuit, cum dixit Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis, dico autem vobis, quia qui viderit mulierē &c.*

S. Greg. hom. 13. in Ezechiel.

Legis antiquæ imperfectio.

quasi

Matth.5. quasi dicat. Olim vobis carnalia inhibebantur opera; nunc verò, carnales prohibētur cogitationes. Hæc est Euangelicæ legis perfectio: hæc est Ecclesiastici pelagi profunditas, In hoc spatioso Euangelij mari vela dare præcipit Christus dicens: *Duc in altum.*

Origen. hom.12.in Exodum. Exod. 34.&4. Idem significari arbitratur Origenes, ex eo quod Moyses facie quidem lucente ad instar solis, manus habuerit lepræ macula infectas, & quod Christus in die transfigurationis, facie & reliquo corpore micante, ad instar syderis discipulis visus fuerit. Quoniam antiqua opera per manus figurata omnino erant imperfecta, Legis verò gratiæ opera sunt planè perfecta, adeò vt D. Paulus ad Galatas scribens antiquæ legis homines infantes dicat, Nouæ verò legi subiectos, quasi perfectione singulari illustriores, homines appellat. Ad hanc Euangelicæ legis perfectionem erecta tendunt vela Ecclesiæ cui dicitur; *Duc in altum.*

Hæc inquam antiqua lex, timoris erat lex: Noua verò, gratiæ & amoris; Vnde in Veteri testamento Dominus cultrum gerebat, tum circumcisionis, cùm etiam punitionis, in Nouo autem stellas in manibus gestat, vt patet ex Apocalypsi. Et tūc quidem Iustitiæ & vindictæ signum; nunc verò gratiæ & Misericordiæ symbolum gestabat. & hoc vt ostendat perfectiorem legem gratiæ lege antiqua, cui dicitur: *Duc in altum.*

Psal.135. Duobus luminaribus similes Lex noua & Vetus. Psal.18. Apoc.1. Exod.34. Quas duas leges insignis Arnobius duobus luminaribus assimilat, quorum vnum erat maius, aliud minus, hæc sunt verba auctoris: *fecit luminaria duo magna, vnum in die noui testamenti, quod sicut sol radiat in lumine agentibus; aliud in nocte iudaica conuersantibus.* Dehinc in fauorem Euangelij ausus est dicere Psalmographus. *In sole posuit tabernaculum suū.* Ideo etiam in Apocalypsi facies Iesu Christi similis soli perhibetur, Moysis verò ad instar Lunæ, cornuta depingitur, signum imperfectionis in hac, per-

perfectionis verò maximæ in priori. *Duc in altum.*

Denique graue nimis, excessiueque ponderosũ onus erat legis antiquæ, quam nomine ponderis describunt verba quæ habentur Actuum 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil imponere vobis vltra oneris, quam hæc necessaria.* D. Thomas in commentarijs, prærogatiua quadam singulari Iudæis hæc verba dicta arbitratur; *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Scripserat ante hunc etiam D. Paulus ad Galatas, *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Ponderosum ergo nimis erat onus, sexcentis onerata, lex, vt refert Lyranus, & Abulensis. At lex noua vix quicquam oneris portanti se tribuit; *Iugum enim* (inquit Christus) *meum suaue est & onus meum leue.* Cuius rei figuram aduerto.

Actuum 15. *Matth. 11.* *Galat. 5.* *Matth. 11.*

Cum leuitæ deferrent arcam Domini à domo Obededom, ad locum quem assignauerat Rex Dauid in Hierusalem, stupendo miraculo Arca Domini sola gradiri videbatur, nec quicquam oneris ferentibus Leuitis importabat, vnde in gratiarum actionem sacrificium obtulerunt, prout testatur scriptura quæ ait: *Cumque adiuuisset Deus Leuitas qui portabant arcam fœderis in Hierusalem, immolabantur septem tauri, & septem arietes.* Figura reuera legem gratiæ figurans, quæ nihil põderis, nihil oneris importat gestantibus & obseruantibus se, huic legi gratiæ dicitur, *Duc in altum.* O admirabile *Altum!*

1. Paral. 15.

Quorum verborum nouam iterum aduerto interpretationem. *Duc enim in altum, id est, ad plenitudinem legis accede.* Dominus præcipiens D. Petro in altum ducere, potestatem dedit legis, plenitudinẽque accedendi, significabatque deinceps figurarũ neque ceremoniarum fore tempus, sed perfectæ legis plenitudinem. & hoc quia Vetus testamentum vacuum erat, reseruabatur enim Euangelio perfectionis adimpletio. De qua perfectione agens D. Paulus aiebat: *At vbi venit plenitudo temporis, misit*

Noua significatio. *Galat. 4.*

descendit super Apostolos, vt ostenderet imperfectionem veteris testamenti per balbum figurati; perfectionem verò Noui in linguis ignitis adimpleti, vt quæ Moyses balbutiendo omiserat, hic linguis perfecti explicarent. Hieremias veteris testamenti Propheta, Sacrosanctæ Trinitatis mysterium obstupescens dicebat *â.â.â. Domine nescio loqui quia puer sum*, & ecce Apostoli nouæ legis prædicatores lingua soluta exclamant: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Præcepit etiam Deus Isaiæ Prophetæ vt volumine accepto, *scriberet in eo stylo hominis*; quibus verbis innuebat mysteria tot seculorum tẽporibus abscondita per Euangelicæ veritatis aductum reuelanda, cui dicitur *Duc in altum.* *Exod.19.* *Exod.4.* *Hierem.1.* *Esaia.8.*

Denique *Duc in altum* significat; *Duc in maiorem diuinorum mysteriorum cognitionem*, quoniam enodatius clarent nouæ legis mysteria quam veteris testamenti. Ob eam causam Animalia quæ vidit Ezechiel figuratiua veteris testamenti, quatuor tantum alis erant contecta, cum ea quæ vidit Ioannes in Apocalypsi sex alis fuerint conuestita. Nec abs re, cuique animali duæ superadduntur alæ, siquidem Patres Noui testamenti, mysteriorum nouis explanationibus fuerunt illustrati. Quibus alludens Psalmista dicebat, *Et nox sicut dies illuminabitur*, quasi diceret, In lege gratiæ tanta erit diuinorum mysteriorum reuelatio, tantaque eorundem explanatio, vt respectu huius legis, lex vetus & scripta, quasi nox appareat & velut tenebræ videatur. Neque enim legis Doctores aliud quam Idiotę fuerunt, si in comparationem cum Apostolis veniãt, quos Deus ipse Magisterij titulo insigniuit, & quos antea docuit teste Apostolo, qui ait: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Quis autem sub tali institutore etiam difficilima quæque capere non posset? Is namque ait; *Duc in altum.* *Alia.* *Ezech.1.* *Apoc.4.* *Heb.1.*

turæ ſalutis in Eccleſia per pænitentiam, qua perducimur ad regnum cœlorum Amen.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

FIGVRA.



Onoris ſubditorum amantiſſimus Rex Dauid, legatis illatam non tulit iniuriam, quam Ammonitarum euerſione atque deſtructione, iuſtè vltus fuit. Et ecce Euangelica hodiernæ diei lectio non abſimile nobis thema proponit. Nam verum Dauidem Ieſum Chriſtum in tantum ſuæ gloriæ cupidum, honoriſque ſubditorum amantem oſtendit, vt non ſolum eis mala inferre vetet, ſed etiam contra eos iraſci prohibeat: quod facere perfectionis eſt Euangelicæ, negligere, Phariſæorum malitiæ. His innixi præludijs, hodiernam producemus Concionem, ſi adſit Sancti Spiritus auxilium, interueniente Virgine Matre cui offeremus cœlicum, *Aue Maria.* 2. Reg. 10

Coſmographi atque octiduanæ machinæ indagatores, hanc totius operis admirandi vniuerſam naturam in duas diuiſere regiones, quarum vnam Elementarem, alteram cœleſtem appellauerunt. Non abſimili modo Theologi arcanorum myſteriorum perquiſitores, totius ſacræ ſcripturæ volumen magnum in duas diuiſerunt partes, quarum vnam Vetus, alteram Nouum teſtamentum dixerunt. Et ſicut Cæleſtis regio Elementari præualet, *Mundus in duas diuiſus regiones. Mundi partibus aſſimilatur Vetus & nouum teſtamentum.*

ita Nouũ testamentũ, vetus multis modis superat & antecellit. Sicut verò Elementaribus corporib⁹ Meteoricis impressionibus subditis, passionibusque nec non corruptionibus subiectis, Cœlestia corpora remanent intaminata: ita Lege veteri iam deleta & corrupta, noua corruptione vacans, inuiolabiliter remanet incorrupta. Et sicut Cœlum Solem luciferum possidet à quo inferiora elementa lumẽ capiunt; ita Nouum testamentum Iesum Christum continet Vniuersæ gratiæ largitorem, à quo vetus testamentum meritorum lumen totum accepit. Denique sicut, nube repulsa cœlum tenebras depellit, nouamque inferioribus lumen ingerit; ita nouum testamentum, figurarum obscuritate depulsa, Veritatis lumen aperit, & vt paucis eloquar, legem gratiæ perfectam arbitror, Mosaicam imperfectam fuisse dico. Quam obcausam D. Paulus Corinthijs scribens ait: *Littera occidit, spiritus autem viuificat.* quæ verba expendens D. Ioannes Chrysostomus sic exponit: *Lex*(inquit) *eum qui sabbatho ligna colligit lapidibus obruit, hoc est quod Paulus ait littera occidit, gratia sexcentos homicidas & latrones accipi; lex vetus eum qui depræhensus fuerat, ex viuo mortuum reddit. Lex nostra, reum, ex mortuo viuum efficit.* D. Augustinus eadem verba exponens, legem antiquam litteram occidentem dicit, quod ex se vitam præstare non posset; Nouam verò gratiæ legem, Spiritum viuificantem appellari dicit, quia animæ vitam quæ gratia est conferat, nec peccatores morti tradat, sed Misericordiæ vinculo deuios ad rectam semitam reducat. In cuius testimonium hæ sunt figuræ.

1. Corint. 3

Num. 15.

Chrys. in 2. Cor. 3.

Figura.

Eliseus Propheta olim seruum suum baculum in manu tenentem, ad suscitandum suæ hospitæ filium transmisit, qui nihil proficiens, neque baculo quicquam vitæ mortuo conferre valens ad Prophetam redijt, necessariũque fuit, vt ad mortui suscitationem,

4. Reg. 4.

tionem, ipse Propheta pergens sese supra defuncti cadauer curuaret, quod subitò suscitauit. Deus non absimili modo Moysen legem ad instar baculi in manu tenentem misit in Mundum, quo non valente hac ratione hominem iam emortuum suscitare, Filium hominis, hominis carne sumpta, necesse fuit curuari, qui gratiæ & misericordiæ dulci respiraculo hominibus mortuis vitam tribuit.

Sicut verò hominem illum longè infortunatissimum à prædonibus captum & sauciatum, S cerdos præteriens, neque Leuita vltrogrediens, eius misertus sanare potuit, quem Samaritanus oleo vinoque fotum misericordia motus sanauit: Ita Adam cum posteritate tota grauissima à Dæmonibus plaga percusus iacebat in via. Hunc neque Aaron Sacerdos, neque Moyses Leuita, neque innumera holocaustorum quæ offerebant sacrificia sanare potuerunt. Et ecce is quem Iudæi ironicè Samaritanum appellabant, *Nonne benedicimus nos quia Samaritanus es?* Misericordia motus, vulneratum curat genus humanum; & cum vita donat, quem neque Mosaica lex, neque Aaronis Sacerdotium saluum facere volebat. *Luc. 10.* *Iesus Christus Samaritano comparatus.*

Quapropter eum in Apocalypsi, Dauidis radicem appellari autumo, *Ego sum radix & genus Dauid.* Nam sicut ex radice & trunco, arboris rami succum vitæque extrahunt vigorem, ita ex Iesu Christo vniuersi Patres virtutum, nec non gratiæ incrementa sumpsere. Duo Cherubim hanc ob causam faciem versus propitiatorium conuerterant, vt ostenderent duos populos, Iudaicum nempe qui præcesserat, & Christianum qui aduentabat, totam spei anchoram salutisque portum iacturos in Iesum Christum verum Mundi totius propitiatorium. Quem D. Paulus hoc nomine appellabat cū dicebat: *Christū proposuit Deus propitiatorē in sā-* *Apoc. vltim.* *Iesus Christus Radix Dauid dicitur.* *Exod. 29.*

guine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissio-
Rom.3. *nem præcedentium delictorum.* Quæ verba IesumChri-
stum verum fuisse propitiatorium astruunt. Ego
verò infero legem antiquā mysteriorum fuisse vm-
bram, nouam autem mysteriorum omnium per-
fectionem, testante scriptura: *vmbram habet lex fu-*
Heb.10. *turorum bonorum.* Nunquam tantæ virtutis fuit ve-
tus Testamentum vt cœlos aperire posset, at Noua
lex illud nobis quotidie reserat & aperit, Nouæ nā-
quæ legislatori omnis data fuit potestas cum di-
ctum est ei: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Quos e-
tiam cœlos in martyrio apertos vidit S. Stephanus
qui aiebat. *Ecce video cœlos apertos.* Videt pariter tem-
Matth.3. pore Baptismi Iesu Christi cœlos apertos Præcur-
Apoc.21. sor. Videt D. Ioannes in Apocalypsi duodecim
portas cœli apertas, quæ omnia figurabant cœlum
in nouo testamento reserandum, quod in veteri
fuerat reclusum.

2.Esd.7. Valida authoritate fretus Neemias statutum hoc
sanxerat: *Non aperiantur portæ Hierusalem vsque*
ad calorem Solis. Et ecce Deus verus Neemias non
absimilem videtur dedisse legem: Non aperiantur
portæ cœli, donec Messias ad instar solis veniat in
Mundum, illuminaturus animas in tenebris deli-
tescentes, & calefacturus animas, peccati frigore
algentes.

Numer.35 Deus Numerorum 35. hanc legem filijs Israël
statuerat: *Exules & profugi ante mortem Pontificis nul-*
lo modo in vrbes suas reuerti poterunt. Huius legis sen-
sus esse videtur. Patres omnes, peccatores vniuer-
sos à regni cœlestis gloria exules, nec non à gratia
Dei profugos, ante mortem Iesu Christi summi sa-
cerdotis verique Pontificis, nullo modo ad cœli
ciuitatem redire posse. Vnde ex prioribus iudicari
potest, quantum imperfectionis antiqua lex, quan-
tumque perfectionis in se noua continuerit. Nec
vltra mei discursus sermonisque verbis indiget
Nouæ legis virtus & perfectio, quam hodierna
Domi-

Domini nostri opinio præ cæteris reddit singularem, cum ait: *Nisi abundauerit Iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quibus verbis innixus ceptum prosequar sermonem, in quo quidem de Iustitia Pharisæorũ, deinde de perfectione Euangelica, proximi commendans amorem agere decreui. fauete.

Quantum ad primum, antequam vlterius progrediar aduertendum iudico, iustitiam hoc loco non virtutem particularem, sed virtutum vniuersitatem significare, iuxta illud commune dictum: Iustitia in se virtutes continet omnes. D. Hieronymus hunc locum iustitię explicans, Iustitiam æquiualere dicit huic; non peccare verò, obseruantiam diuinorum includit mandatorum. D. Augustinus aliter sentit, arbitrans Iustitiam, decorẽ quendam esse animæ, quo anima accepta & grata sit oculis Diuinæ maiestatis, quæ pariter in se contineat malum euitare & bonũ sequi. Hoc modo Noë dicitur iustus, cui similes decem postulabat Deus Abrahamo ad auertendã euersionem Sodomorum. Hanc etiam à nobis requirit Deus, dum maiorem in nobis quam in Pharisæis iustitiam exigit. *Nisi inquit abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum,* & hoc varijs de causis. Quarum prima est. Humana planè terrenumque sapiens erat Scribarum & Pharisæorum Iustitia, qui proprijs innixi meritis, sine vllo Messię adiutorio salutem se consequi posse arbitrabantur; Cum tamen sine Dei misericordia opera nostra virtutis nihil in se contineant, quippe quæ in meritis Christi & passione, vigorem, splendorem, claritatem accipiant. Sic sentit D. Paulus dicens: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemtionem quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Quibus verbis subiungo figuram.

In lege veteri pro peccato hominis immolabatur agnus, figura verè venturum quandoque agnũ,

Gen. 6. *Gen. 18.* *Iustitia Pharisæorum in operibus proprijs fundata.* *Rom. 3.* *Figura. Leuit. 7.*

verè agnum qui pro hominum peccatis in crucis arbore immolandus esset. Adeò vt iam hinc pateat, nulla opera valida esse quæ in Iustitia humana proprijsque meritis salutem ex se inquirant. Aquæ Hiericho amarissimæ & insulsę, saporis dulcedinem consequi nequiuerunt, quoadusque Elisæi sale conditæ fuerunt: Sic pari modo opera nostra insulsa & insipida sunt, ni Passionis & meritorum Christi sale condiantur, sicque meritoria efficiantur. Vnde Iudæorum Iustitia hinc alienata nihil roboris, nihil virtutis in se continebat, ideoque nostram meliorem esse firmioremque decebat.

Opera nostra inualida sine Christi merito.

4. Reg. 2.

Horum namque Pharisæorum iustitia imperfecta erat; quippe quam in rebus externis ab internis auocantes constituebant, cum tamen Iustitia vera de interiori, & non de exteriori procedat, atque anima veræ iustitiæ sedes sit. Ideò Christus eorum iniustitiam potius, quam iustitiam repræhendens, aiebat: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia.* Et alibi eos vocabat: *Sepulchra dealbata.* Christianorum autem Iustitia in corde figi debet, à corde procedere, & in corde permanere, quoniam; *Omnis gloria filiæ regis ab intus.*

Pharisæorum iustitia in externis

Christianorum à corde.

Matth. 23

Psal. 44.

Quantum autem Deo Iustitia à corde procedens, accepta sit, facilè ex eo colligi potest, quod in veteri lege pinguedinem animalium, intestinis vicinam specialiter sibi offerri postulabat: *Offerent ex ea caudam, & adipem qui operit vitalia. Duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia est, &c.* Hinc innuens se in nostrarum actionum sacrificio, non solum exteriora requirere, sed & interiora postulare. Vnde Dauid Dominicæ non inscius voluntatis continuò canebat: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt nomini Sancto eius.*

Leuit. 7.

Psal. 102.

Differebat etiam Iustitia Pharisæorum à Iustitia Christianorum, quoniam illorum, in vanam gloriam

gloriam tãquam in scopum tendebat præter beneplacitum Dei;Christianorum verò, tota voluntati & beneplacito Christi innititur; non in vanam tendit gloriam, non hominum appetit laudes, sed soli Deo placere studet, ab eodem ritè edocta qui ait: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Qui & alibi vitiosos huiusmodi culpans aiebat: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Quos ego circulatoribus assimilo, qui postquam membra saltu gesticulatorio quotidiano fatigata, sopori dederunt, grauiter dolent, & defessos se sine mercede conqueruntur; ita & hi qui Iustitiã coram hominibus operantes toto vitæ tempore laborarunt, sub vespetum vitæ, nihil mercedis inuenientes, vanam iustitiam, vanum opus se fecisse dolent. Quorum querelam audire videor. *Ergo errauimus à via veritatis, & Iustitiæ lumen non illuxit nobis; & sol intelligentiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Hæc est Iustitia Pharisæorum quam inhibet Deus ne sequamur, volens iustitiam nostram longè perfectiorem esse. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.* Pharisæorum Iustitia nihil boni, nihil solidi continebat, sed quædam apparens iustitia erat, quam ex legis ignorantia eliciebant. Putabant namque odium, rancorem, inuidiam & similes passiones non vitio siue peccato tribuendas, sed innocentiæ & simplicitati, virtutũque exercitui adscribebant, contra id quod Dominus hodie in Euangelio ait: *Audistis quia dictum est antiquis &c. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio.* quasi diceret: Antiquitus, homicidia, furta, adulteria inhibebantur, quæ omnia exteriora sunt; Nunc autem & interiora animæ vitia prohibentur, qualia sunt irasci, inuidere, iniuriari, quæ fugere & cuitare Iustitiæ Christianæ est.

Matth. 6.

Matth. 23.

Sap. 5.

Plinius

Plinius li. 2.c.16. Plinius naturæ indagator vigilantissimus, refert Regem apum, quem natura cæteris duplo maiorem effecit aculeo carentem in aciem procedere, armis offensiuis planè vacuum, hinc instruens eos qui maiora virtutum & honorum attigere culmina, eos inquam, sine armis offensiuis, sine inuidia, rancore, conuersari debere, sic enim docet Euangelica lectio, quamuis antiqua lex contrarium tenere videatur. Illa namque vitium in opere non autem in voluntate statuebat, adeò vt preceptum non occidendi, non adulterandi de opere solo externo intelligerent, atque in eo Iustitiam constituerent quæ tamen vacua erat, & quam Deus iudi-
Psal. 74. caturum se minatur, *Cum accepero* (inquit) *tempus, ego iustitias iudicabo*, supple iustitias vacuas, insolidas, inanes. Non igitur talem à nobis exigit Deus, qui ait: *Nisi abundauerit Iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Iustitia Pharisæorum hyprocrisis erat. Hos siquidem Christus sæpissimè in Euangelio huius vi-
Matth. 15. tij obnoxios arguit & repræhendit dicens: *Hypocri-*
Matth. 22 *tæ benè prophetaui de vobis.* Et alibi: *Quid me tentatis hypocritæ?* Sunt itaque hi similes æri deaurato, quod quidem ad exterius auri speciem præsefert, interius verò æris substantiam habet: pari modo boni similitudinem præseferunt, interius verò vacui sunt.

Similitudo. Referunt plerique Historiographi, iuxta mare rubrum nasci quædam poma visu pulcherrima, quę si vel minima corporis extremitate contingantur, in vaporem fœtidissimum resoluuntur; his similes sunt Hypocritarum actiones, quæ quidem splendorem præseferunt, intus verò vacuæ sunt, quæ Dei manu contrectatę, in fumum & vaporem fœtidissimum coram Deo & hominibus abeunt.

Struthio auis est pulcherrimis ornata plumis, quales etiam Aquila & Herodius habent, vt ait Iob,
Iob. 38. *Penna Struthionis similis est Herodij & Accipitris*, sed nun-

nunquam se à terra effert; illa alas pulcherrimarum auium alis similes gerit, sed parem volatum non habet, quæ licet aliquando plumas vento volare gestiens obijciat, nihilominus terram non deserit. Hypocritæ typum gerit, qui licet actionibus pietatem, sanctitatéque simulantibus illustratus sit, nihilominus tamen terram, & secularia desideria nequaquam deserit.

Cum castrum, Ciuitatem, aut locum quendam tormentis bellicis apprimè munitum intuemur, prima facie timore corripimur, stupemus, admiramur; sed sæpissimè euenit nihil intus contineri. Si enim visitentur tormenta bellica, arces lustrentur, Ciuitas inuestigetur, inuenietur nihil in his omnibus machinis latere, non ignem, non puluerem, non globos inesse. Ita facit Hypocrita, quem spiritualibus rebus, ieiunijs, eleemosynis, orationibus & reliquis bonorum operum generibus munitum quis videbit, quem tamen qui interius scrutaretur, omnia vacua, & sine igne Domini amoris, absque humilitatis puluere, sine iustæ intentionis globo hæc omnia cum egisse inueniret, & hinc fit quod nulla habent merita ad æternam beatitudinem consequendam.

Referunt Philosophi, naturalium rerum inquisitores Aquilam pullos suos nũ legitimi sint, & ex eadem stirpe oriundi, hunc in modum experiri. Contra solem oculorum dirigit aciem, quem si fixo obtuitu inspexerint, suos agnoscit, si verò hebetata visus acie palpitauerint, tanquam degeneres in terram dilabi permittit. Huic Philosophicæ cognitioni Theologicum quippiam admixtum perspicio. Qui enim filios Dei veræ aquilæ regalis pullos cognoscere voluerit, Soli iustitiæ opponat, quem si fixo visu intuiti fuerint, si in eum omnia opera, actiones vniuersas direxerint, rectè eos Dei filios cognoscat; sin autem, non solum degeneres, sed & hypocritas iuxta Euangelium aduertat. *Nisi* *Quomodo aquila pullos probat.*

sua ad amicum tuum, quare non iuisti cum amico tuo? se tamē culpæ obnoxium, cum Filius Patrem persequeretur non aduertebat. Huic non absimiles sunt ij, qui aliorum vitam indagantes, peccata culpant & repræhendunt, propria verò negligunt & non aduertunt. Quos Christus arguens in Euangelio, aiebat: *Vides festucam in oculo fratris tui, in tuo verò trabem non consideras.*

Hæc & alia Pharisæorum erat Iustitia. Alios docebant, quid facere deberent instruebant, sed quæ dicebāt, ipsimet negligebt: Similes tintinnabulis, & Ecclesiarum campanis, quæ audientes ad Diuinū officium conuocant, neque tamen vadunt. Similes etiam arcarijs Noë, qui saluti aliorum prouidentes arcam exstruunt, sibi ipsis verò nullum salutis remedium parant; His inquam similes sunt, nam alijs modos quibus à diuinæ Iustitiæ tormentis immunes essent, assignabant, ipsimet in tempestate peribāt, illi totum Mundum ad cælestia gaudia excitabant, nec tamen mouebantur vt terrena deserent. Longè dissimilem à nobis exigit Iustitiam qui ait: *Nisi abundauerit, &c.* *Comparationes.* *Genes. 6.*

Hæc rursus Pharisæorum Iustitia in hoc consistebat, vt quæ parui ponderis erant, maxima facerent; quæ verò maxima erant, nihili reputarent, muscas Elephantos nominabant, Elephantos verò, muscas esse dicebant. Conquerebantur Pharisæi discipulos Domini non lotis manibus manducare, o quod ab antiquis traditum erat; at ipsi, mandata Dei transgredi non curabant. Scatet eiusmodi pecibus adhuc Mundus, scatet inquam ijs, qui corpus curant, animam verò negligunt.

Amens quidem reputaretur is qui lacer & tris equum margaritis pretiosisque exornaret dumentis: amentiorem eum arbitror, qui anima neglecta, corpori vestiendo se totum dat & ibuit. Vnde iure Laertius Musicos in iudicium conuo- *Laert. lib. 6.*

conuocabat, eo quod cytharæ fides concordantiæ accōmodabant, mores verò ſecundum rationis dictamen non accōmodabant. Themiſtocles rogatus à quodam vt lyram in gratiam conuiuarum tangeret, inſcium ſe eſſe reſpōdit; rogatus denuò quidnam ſciret, reſpondit: *Rempublicam ex parua magnam noui facere.* hinc innuens, indignum eſſe hominem parua ſcrutari maximis poſtpoſitis. Huic omnino ſententiæ fauebo, neque enim adeò exigenda ſunt parua peccata, vt magna omittantur.

D. Aug. ep. 66. ad Dioſcor.

Amore proſtratus Dauid, cum Bethſabee intuitus fuiſſet, eam num munda eſſet interrogat, an verò nupta eſſet parum curat, in hoc Phariſęorum mores imitatus. Iudęi prætorium intrare in ſabbatho non audebant, ne forte contaminarentur, & Ieſum falſis teſtimonijs condemnare parui faciebāt. Ecce Phariſæorum Iuſtitiam, quam noſtra multis modis excellere debet, atque tantum excellere, quantum Lex noua, Moſaycæ legi præeſt. *Nam Spiritus Sanctus* (teſte Domino) *arguet mundum de iuſtitia & iudicio,* .i. Chriſtianos condemnabit, quod non perfectiores in moribus quam Moyſis filij & Synagogæ diſcipuli fuerint. Quærenti verò in quo conſiſtat Iuſtitia Chriſtiana, reſpondeo: Vt veram ſeruemus Iuſtitiam, Chriſto ex corde & animo ſeruientes, quod vitioſum eſt declinantes, quod virtutis eſt amplectentes. *Dictum eſt antiquis, non occides, & qui occiderit reus eſt iudicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit Iudicio.* .i. olim homicidia inhibebantur; nunc autē quoniā perfectior lex eſt, & iraſci fratri prohibetur. Hic datur loqui quædam de Homicidio. O quam inorme peccatum! quam deteſtandum Homicidium! Quātis pænarum generibus puniendum! Iuſtè in illud totus inſurgit Mundus, quoniam vltra hominum punitiones & iudicia Dei, conſcientia ipſa reum torquet, & nefandi culpā redarguit peccati. Cuius rectè turpitudinē agnouerat docta Abigail quæ furentem

2. Reg. 12. *Ioan. 19.* *Ioan 19.*

ſentem Regem, Dauidem inquam virum occidere volentem hoc docto compreſſit ſermone: *Non erit tibi hoc in ſingultum & in ſcrupulum cordis Domino meo, quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris.* quaſi diceret, Vide Domine Rex ne hominis ſanguine manus tuas polluas, ne mille tormentorum genera in punitionem delicti ſuboriantur. Quæ verba attentius perpendens D. Ioannes Chryſoſt. infortunium Cain conſiderat, qui poſtquam fratrem occiderat, vmbra mortui continuo perſequebatur nec deſerebat, vindictā homicidij infauſtiſſimi ſemper exigens. Hanc punitionis incurrit ſententiam Dauid, cum ei à Domino dictum fuit: *Vriam Hetheum percuſſiſti gladio, & vxorem eius accepiſti tibi in vxorem, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon, quamobrem non recedet gladius de domo tua in æternum.* Quoties mortui Vriæ vmbrâ inſecutus Princeps ille ſurrexit! dolebat vices proprias, dolebat alienas, mortuum quem occiderat, deflebat, quem tamen vitæ reſtituere non valebat, ideoque ab eo vexabatur, iure & meritò exclamabat, *peccatum meum contra me eſt ſemper*, nam neque die neque nocte quietem habere poterat, quem aſſiduè homicidij pœna affligebat. Perpendat hic homicida quātis ſe ſubijciat malis, quam diuerſis tormentorum ſubdat generibus, dum is quem in vita non paſſus viuere, nec mortuus viuum ceſſat affligere. Hæc ſi voles euitare, *Non occides.*

1. Reg. 25.

2. Reg. 12.

Pſal. 50.

Odioſum adeò antiquis erat peccatum, vt homicidium exilio plecteretur. Nec ab exilio reuocabantur niſi morte ſummi Pontificis interuenienie. Tunc enim eis parcendum ſtatuebatur. Cuius rationem adfert Arias Montanus. Quoniam inquit mutatio temporum perſæpè rebus ipſis quandam ſuggerit nouitatem, ideò planctus tempore etiam plangentibus miſericordiæ tribuebatur locus. Huic rationi duas alias ſubiungit Maſius quarum alteram colligit ex Haymo quæ hæc eſt. Quo-

Homicidium exilio plectebatur.

niam inquit, maioris erat æstimationis Summus Pontifex quam plebanus, ideò dum vniuersale deplorandum est damnum, speciale obliuioni traditur detrimentum. Altera ratio homicidij quidem ostendit enormitatem, sed Misericordiæ detegit claritatem. Non poterat terra homicidijs varijs polluta, nisi multorum morte mundari, eorumque qui homicidia commiserant; sed misericordiæ clementia concessum est, vt morte summi Pontificis, qui multis æquiparatur superueniente, culpa etiam tota remitteretur.

Rabbi Moyses. Haymo li. 3.c.4.

Hanc peccati huius culpam exaggerat D. Ioann. Chrysost. qui peccatum Cain maius Adami peccato fuisse arbitratur, idque ex maledictionum varietate colligit: sic scribit: *quanto maius peccatum hoc præuaricatione protoplasti fuerit, ex maledictionis varietate videre licet.* Qui modo huius peccati deformitatem considerare voluerit attentius, horrorem etiam insupportabilem reperiet. Non enim cum vno est hoste colluctandum, sed aduersus multos est habenda concertatio. Primus autem Inimicorum Mors est, quæ vindictam exigit, Sanguis namque eorum tantos edit clamores, vt ad aures vsque Dei perueniant, vt rectè notauit D. Ambrosius: *Deus* (inquit) *iustos suos audit etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.*

Homicidium maius peccato Adami.

S. Amb. lib. de Cain & Abel.

Secundus in homicidam exurgens est terra, quæ iustitiam rogat, vindictam expetit, *Vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra,* non dixit clamat de corpore, quia licet Frater parcat, terra nullatenus parcit.

Gen. 4.

Tertius, sunt ipsæ creaturæ quæ moram nullam culpæ tribuunt, sed qua possunt violentia peccatū redarguunt & increpant. Nec dubium quin ob hāc causam Cain semper trepidabat vt rectè annotauit Procopius Gazęus dicens: *Quid trepidabat qui solus in Mundo cum Patre & Matre existebat:* subdensque rationem adiungit: *Vidit virtutes cælestes peccatum abhor-*

abhorrere, insidias ferarum metuebat, quas Deus in vindictam creauit impiorum.

Quartus inimicus, (licet amicus) est ipse Deus, qui inultum numquam relinquit crimen; Homicida primus nobis exemplum præbet, qui membrorum quotidiano terrore agitatus quiescere non valebat. Huius vindictæ rigorem explicans Procopius Gazæus dicit: *Punitio fiet de te septuplum, quia viues in cruciatu vsque ad septimam generationem, in qua à Lamech occideris; qui te igitur occiderit, septem vindictas exoluet.* Hæc ad horrorem & enormitatem homicidij dicta sint. Ad priora redeamus. Neque (inquit) Euangelium, homini decet hominem irasci. *Qui enim dixerit fratri suo Racha reus erit concilio.* Verba priora perpendamus *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum &c.* quasi innueret: Lex antiqua reum dicit eum qui Fratrem fatuum dixerit, reum dicit eum qui Fratrem occiderit; at ego eum qui Fratri iratus fuerit, gehennæ adiudico; qui Fratrem fatuum dixerit, æternis supplicijs addico. Vnde notanda quædam occurrunt. *Genes. 4.* *Notanda quatuor*

1. Primum est, Deum adeò nostræ salutis esse æmulum vt in Euangelica lege exactiorem postulet viuendi normam, perfectioremque à nobis exigat vitam quam in veteri lege ab antiquis postulauerit; adeò vt eum qui in hac lege, voluntate fratrem occiderit, vti si de facto fecisset, puniat, & exactam postulet rationem.

2. Secundum est. Deum non quamuis iram inhibere, sed eam quę ad homicidium tendit, & in proximi vergit nocumentum.

3. Tertium est. Vox Racha variè à varijs authoribus solet explicari, quorum opiniones breuiter afferam. D. Chrysostomus dicit, esse verbum contemptus, qualiter si quis diceret, tune hoc faceres? S. Augustinus affirmat verbum esse hominis irati. S. Hieronymus dicit æquiualere voci *stultus.* Mal-

Maldon. in Euang. donatus colligens ex hebræo dicit significare hominem leuem & inconstantem. Quorum quælibet interpretatio vera est in suo sensu.

4\. Quartum est, hæc est verba *reus erit iudicio*, æquiualere his, *mortis pæna plectendus erit*; iudicium enim hoc loco pro condemnatione sumitur. Ad cuius inintelligentiam aduertendum est, inter Iudæos tria iudiciorum fuisse genera. Primum erat Triumuiratus in quo leues agitabantur causæ. Secundum erat caput Præsidum ex viginti tribus iudicibus compositum, in quo res magni ponderis discutiebantur. Tertium, Collocutio dicebatur in quo ordinariè conueniebant septuaginta duo viri, quibus de bello, pace & alijs rebus ciuilibus colloqui concessum erat; & quia his omnibus morti addicere reũ datum erat, ideò minoribus primò afficiebatur suppliciis, dein maioribus plectebatur tormentis. Quæ omnia suppliciorum genera in se Dei Filius expertus fuit.

Tria suppliciorum genera inter Iudæos

Ne igitur nos Christiani Sanguine Christi dealbati more Pharisæorum viuamus, opera nostra exterius ostendendo, Psalmistæ regij sequamur consilium, *Desine ab ira & derelinque furorem.* Sequamur Nautarum agendi modum, qui dum mare turbidũ est, fixi hęrent in portu; sequamur inquam, in procelloso huius mundi palago, turbam ne loquamur, exemplo Dauidis, *Turbatus sum & non sum locutus.* Quod si quandoque iræ dandus est locus, ita prudenter fiat vt nemini vindictæ noceat appetitus.

Psal.36.

Psal.76.

Te igitur ô Deus, pacis amator, & author, te supplices exoramus, vt nobis propitius sis, vt gratiæ tuæ fontem largiaris, quatenus in propseris moderati, in aduersis constantes, in tentationibus firmi, in furore frigidi, in charitate feruentes persistamus. Pharisæi linguam offerebant, cor autem eorum longe erat à te; at nos cum lingua cor totum offerimus. Suscipe voluntatis nostræ sacri-

ficia

ficia vt tibi grati effecti mereamur gaudia sempiterna Amen.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam quia ecce triduo sustinet me. Marc.8.

FIGVRA.



Cum Deus ter optimus Maximus populum Hebræum ex Aegypto per ignota loca perduceret, non prius eis mellitum tradidit cibum, quam annona defecisset prouisionis. Similiter in hoc Euangelio, non prius de saturatione loquitur sequentium, quam prouisio defecisset pænè omnium. Tunc autem opiparum parat conuiuium, in quo quatuor millia satiat personarum. Huic conuiuio pia meditatione interfuturi, hospitis benignam Matrem deuota oratione inuocabimus, dicendo *Aue Maria.* *Exod.20.*

Quamuis diuinorum attributorũ infinitus semper colligatur numerus, atque variè varij de principatu eorum disputent, tamen misericordiam facilè aliorum principem ecce dixerim. Prophetæ verba sunt hæc: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, qui quasi innuit. Licet in Deo attributa quatuor æqualia reperiantur, nempe Potentia, Sapientia, Misericordia, & Iustitia, tamen maximum cæteraque præcellens Misericordia est. Cuius luculentam D. Augustinus adfert rationem. *Maius (inquit) opus fuit gen⁹ humanũ iustificare, quam mundum creare.* Quæ antedicta verba explicãs doctus Genebrardus, duplicem adfert sensum. Prior est: *Miserationes eius super omnia opera eius:* *Misericordia primũ Dei attributum* *Psal.144.* *Aug. in Ioann.*

 id est

idest, *Omnibus operibus suis misericordiam admiscet*: Illa siquidem Potentiam superat, Sapientiam regit, Iustitiam nunquam deserit; in cœlis habitat, in terra viuit, in inferno regnat, non enim damnati secundùm merita puniuntur, sed citra merita castigantur. Posterior sensus est: *Miserationes eius super omnia opera eius*; id est, *Miserationes eius maiores sunt cunctis operibus eius*.

Quod indicare voluit D. Paulus, cum Deo illud
2.Corint.1 attributū quasi præcipuum tribuit, *Pater Misericordiarum & Deus totius consolationis*. Quemadmodum Princeps varijs decoratus insignibus nobiliora solet assumere; ita Deus inter varia Diuinitatis attributa, illud assumit quod suæ maximè conuenit maiestati. Neque solum misericordiarum pater cupit appellari, sed misericordia ipsa vult dici: *Deus*
Psal.58. *meus, Misericordia mea*. quasi dicat: Angelorum es potentia, Mundi totius Sapientia, Damnatorum Iustitia, sed tu Deus ipse, es misericordia.

Idem Apostolus diuitias Diuinarum virtutum simul congerens, easque conferens Diuitem aduer-
Ephes.2. tit Deum in misericordia, *Deus autem, qui diues est in misericordia*. Quod quidem attributum ita Deo conuenit, vt sine illo nequeat esse Deus, & sine Deo nequeat misericordia persistere. *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*. Nam vti proprium est ignis calefacere, plantarum vegetare, animalium sentire, hominum ratiocinari; ita Dei proprium est misereri & parcere. Hoc est proprium quod Philosophus vocat *Proprium quarto modo*.

Apoc.4. Viderat D. Ioan. in Apocalypsi hominem sedentem, similem lapidi Iaspidis & Sardinis: *Et qui sede-*
Plin.lib. *bat similis erat aspectu lapidis Iaspidis & Sardinis*, qui
37.c.8.& quidem lapides diuersicolorij sunt, Vnus enim vi-
73. ridis est, alter flammeus. Dei figuram præseferebat homo, sed cur ad similitudinē horū lapidū apparuerit, varias adferunt varij rationes. Primus. Ambr. Ansbertus per hominē Iesū Christū intelligit, per

Iaspidem

Iaſpidem Chriſti intelligit Diuinitatem, per Sardinem Domini noſtri purpuratam intelligit humanitatem. 2. S. Aug. Beda, Primaſius, Rupertus, per Iaſpidē qui aquei coloris eſt Diluuium iam factum intelligunt, Per Sardinē qui coloris ignei eſt, Incendium futurū ſignificari arbitrantur. 3. Richardus de S. Victore per Iaſpidem intelligit gloriam cœleſtē, per Sardinem pœnas infernorum. Probabilior tamen rationiſque magis congrua videtur opinio, qua cenſetur, Iaſpis ſignificare miſericordiam, Sardonix verò Iuſtitiam.

Attonitus hæreo in introitu lib. Apocalypſis, vbi mirabilem viſionem reperio: *Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.* Quæ ad nos nihil pertinent omittamus. Ad mamillarū cōſpectum obſtupeo, ſed admirationē remouent Patres, qui per mamillas miſericordiā ſignificari indicāt, ita tamen quod ſiniſtra iuſtitiam, dextra verò figuret miſericordiam. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*, quibus quidem mamillis bonos alit, fouet, conſeruat & regit. *Apoc. 1.* *D. Tho. 1. p. q. 21. a. 24.* *Pſal. 24.*

Adhæc ſpōſa in Canticis alludens vltra pulchritudinē ſponſi extollit vbera, *Meliora ſunt* (inquiens) *vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*. Verè & rectè laudat vbera, quibus Dominus ad inſtar veri parētis nos alit: *quomodo miſeretur pater filiorū, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentū noſtrū, recordatus eſt quoniā pulvis ſumus.* Quod ſi quis perpendere vult magnitudinē Diuinæ illius miſericordiæ, Euangelij hodierni lectionē inueſtigēt, quę ait: *Cū turba plurima eſſet, nec haberēt quod mā ducarēt, cōuocatis diſcipulis ait illis: miſereor ſuper turbā.* Quę verba vt vobis melius explanē, Euangelij ſeriē referam, deinde miraculi magnitudinē exponam. *Cant. 1.*

In primis igitur Euangeliſta refert turbam maximā cibariorū inopia laboraſſe, cui⁹ miſert⁹ Dominus diſcipulis cōuocatis ait: *Miſereor ſuper turbā, quia*

ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, & si ieiunos domum remisero, deficient in via. Dicunt autem discipuli: Vnde ememus panes vt saturentur hi? Duo hic notatu digna aduerto. Prius est Misericordia Dei, nec non erga se sequentes prouidentia. Posterius est turbæ patientia & perseuerantia. Primum discutiamus. *Misereor super turbam.* Deum quatuor claues gestare referunt antiqui Rabbini; quarum Pluuia prima est: *Aperiet Dominus thesaurum suũ optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ suæ in tempore suo.* Secunda est Prouidentia. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Tertia est, Generatio, qua aperit sterilium vterum: *Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam & aperuit vuluam eius.* Quarta est Resurrectio, qua aperit tumulos: *Ecce ego aperiam tumulos vestros.* In cuius testimonium admirandus ille homo Apocalypsis primo visus est Diuo Ioanni dicere: *Noli timere, ego sum primus & nouissimus, viuus & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferi* Harum attamen clauium pulcherrima, Prouidentia est, siquidem hodie in deserto turbam famelicam, ciborumque penuria laborantem admirabili prouidentia satiat, & per illam Mundum quotidie alit vniuersum: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore; dante te illis colligent: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

Quatuor Dei claues
Deut. 28.
Psal. 115.
Genes. 30.
Ezech. 37.
Apoc. 1.
Psal. 103

Cum attentiùs mecum perpendo inęstimabilē scalam Iacob, cuius summitas cœlum tangebat: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum;* videre videor Prouidentię diuinę ineffabilem bonitatem; ea namque est scala qua Deus cœlestia regit, atque terrestria gubernat & protegit. Cuius partes duæ sunt, nempe, Fortitudo & Sapientia: *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter;* gradibus diuersis constare reperitur, quoniam varietate modorum, varietatem regit creaturarum. Hæc inscribo quia Deus vndequa-

Genes. 28.
Prouidentia scalæ Iacob assimilatur.

dequaque manum prouidentiæ extendit, adeò vt etiam minima animalia prouidentiæ Dei beneficia percipiant. Nam vt Isidorus ait, animalia maritima, minuscula, Alcedines dicta, hyemis tempore in littore fœtus deponere solent, quos Deus ita custodit, vt ne quidem procellarum fluctus intumescentes ad eos vsque valeant peruenire. Fluctibus namque quasi imperat Deus, ne per quindecim dies (quo tempore pullos educunt ab ouis & nutriunt) littora alluant. Nunquid Diuinæ prouidentię inæstimabilis est bonitas? *Isidor. tom. 1. orat. 50.*

D. Basilius, refert circa montem Cassium tãtam quandoque locustarum conuenire multitudinem vt messes omnes erodant, iacturamque maximam, terræ fructibus afferant, quas tamen diuina disponente prouidentia auis quædam, nomine *Seleucis* edax, breui tempore deuorat & consumit. Mira Dei prouidentia! *S. Basil. hom. 8. Hexam.*

Olaus Magnus in historijs, refert in Septentrionis parte inferiori, tantam ventorum esse vehemẽtiam, vt arbores nouiter plantatæ statim eradicentur, adeò vt neque ad domorum structuras, neque ad aliarum rerum necessitates ligna reperiantur. Deum tamen mira prouidentia eis ita prouidisse dicit, vt ex costis piscium qui in eis partibus reperiuntur, ædificia construi valeant. Miranda hæc! Sed nunquid admiratione dignius est hodiernum Diuinæ Prouidentiæ exemplum? cum præcipuè in deserto, in solitudine, vbi nulla cibariorum reperiri poterat vel minima quantitas, turbam famelicam, quatuor inquam millia hominum septẽ panibus satiat, & septem sportas fragmentis replet. Huius prouidentiæ tenorem proponebat Dauid, dicens: *Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* & alibi: *Vniuersi qui sustinent te non confundentur,* qui pænè Euangelij nostri seriem attigisse videtur. *Olaus lib. 21. hist. cap. 15.*

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent

me; vbi verbum *ſuſtinere* accipitur pro *expectare*, pro-
Iob. 17. ut etiam ſumitur Iob 17. *Si ſuſtinuero infernus domus*
mea eſt. prout etiam ſæpiſſimè ſumpſit Pſalmiſta re-
Pſal. 24. gius: *Et te ſuſtinui tota die. Suſtinentes autem Dominum*
36. 129. *ipſi hæreditabunt terram. Suſtinuit anima mea in verbo*
Marc. 13. *eius.* Sicut etiam in Euangeliſtis: *Qui autem ſuſtinuerit*
in finem, vbi verbum *ſuſtinere* ſumitur ſemper pro *ex-*
pectare, perſeuerare.

Hic aduertat anima deuota quanta ſolicitudine,
S. Amb. li. in ſolitudine ſuis ſubueniat Deus. S. Ambroſius ſic
6. in Luc. loquitur: *Gratiæ* (inquit) *cæleſtis Chriſtus impartitur a-*
c. 37. *limentum, ſed quibus impartiatur aduerte: non otioſis, non*
in ciuitate, vel ſeculi dignitate reſidentibus, ſed inter de-
ſerta Chriſtum quærẽtibus. Chriſtus ipſe cum Apoſto-
Luc. 22. lis dixiſſet: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentatio-*
nibus meis, continuò ſubiungit; *& ego diſpono vobis, ſi-*
cut diſpoſuit Pater meus regnum, &c.

Aduertat denuò anima religioſa, eos qui paren-
tibus valedicentes, mundi honores ſubterfugientes
per deſerta loca Ieſum quærunt, eos inquam, cæle-
ſtibus ali & nutriri conſolationibus. Hi *triduò ſuſti-*
nent Dominum, hoc eſt, obedientia, paupertate & ca-
ſtitate Domino coniunguntur; *triduo ſuſtinent*, id eſt
in Fide, Spe & Charitate perſeuerant: *triduo ſuſtinẽt*,
hoc eſt, in contritione, confeſſione & ſatisfactione
Domino famulantur, nihil habent quod mandu-
cent, quia vltra diuinam prouidentiam veri paupe-
res nihil admittunt. Hos monet Propheta regius:
Pſal. 54. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.*

Quanto tempore Iſraelitis Aegyptiaca ſuffecit
prouiſio, cælum mellitum nunquam tribuit cibum.
Quamdiu Religioſus mundanis oblectatur alimẽ-
tis, tamdiu cæleſtium conſolationum fraudatur nu-
Geneſ. 31. trimentis. Sequiturq; Rachelem quæ domum pa-
tris exiens, Deos abſtulit patrios. Dij mundanorum
vanitates ſunt & ambitiones honorum, diffidentia
prouidentiæ ſuperorum.

Sequitur. *Quidam enim ex eis de longè venerunt.*

Præ-

Præcedentibus verbis maximè congruit ista sententia; verum siquidem Religiosum de longè venire decet. Venit de longè, in paupertate integra, in vera suiipsius abnegatione, in vniuersali omnium rerũ renuntiatione, adeò vt dicere possit: *Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te. Omnia* inquit Apostolus, quia neque voluntatem, neque mundanarum rerum minimam reseruauerat quantitatem. venerat vt loquuntur Philosophi, *ab esse ad non esse*, & rectè qui ita veniunt, veniunt de longè. Neque tamen omnes de longè venerunt, *sed quidam ex eis*, quia inter religionis angusta reperiuntur, quibus magis arrideant mũdana negotia, quam placeat diuina scientia, & hi proximi sunt. Alij autem remoti sunt, & de longè venerunt, qui assiduè vigilijs & ieiunijs insistentes merentur cœlesti refici consolatione, & de his Christus loquitur: *Quidam enim ex eis de longè venerunt.* *Perfectio boni religiosi.*

Tertiò aduertat anima Christiana, perseuerantiam admouere misericordiam, nam nisi perseuerassent, Dominus non dixisset, *Misereor super turbam*, Quare? *quia iam triduo sustinent me*. Nemo vnquam in bonis operibus perstitit, cui Deus misericordiæ suæ viscera non aperuerit. Magdalena iuxta sepulchrum discipulis abeuntibus sola remansit, & ideò diuina frui visione meruit. Cananæa rogare nõ destitit, & ideò quod rogauerat à Domino obtinuit. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Importunus ille, qui noctu tres ab amico panes postulabat, recusatus non abscessit, & quod ex amicitiæ vinculo non obtinuit, perseuerantiæ datum fuit. Sara formosa nimis in oratione perseuerauit, & post septem virorum exequias vnum Tobiam iuniorem habere meruit. Quis igitur Dei vestigia insequi non peroptet? quis cum Sponsa dicere non velit, *tenui eũ nec dimittam*? quis cum Principe Apostolorum non roget à Domino, *ad quem ibimus*? turba Deũ desere re non potest, quis recedet? *ecce iã triduo sustinent me.* *Matth. 15.* *Tobiæ 8.* *Cant. 3.* *Ioan. 6.*

Quar-

Quarto aduertendum est, quemadmodum Christus notet dies quibus eum turbæ sequutæ sunt. Aduerterat beneficia in se collata per Magdalenam, dum ea in domo Pharisæi recenset. Notauerat obedientiam Abrahæ dum diceret. *Per meipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi.* Et ecce hodie commemorat dies quibus turbę sustinent eum, *quia iam triduo sustinent me.* Numerat dies, ponderat verba, considerat actiones, inuestigat voluntates, omnia denique videt. Postquam horrida manus contra parietem scribens, in aula Balthasaris regis, visa fuisset, Daniel mysterium hunc in modum interpretatus est: *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, appensus es in statera &c.* Quod si Deus regnum totũ quod ex Ciuitatibus, Castris, Oppidis, componitur numerauit, quando magis vnius Ciuitatis actiones, nobilium defectus, populorum scelera computaturus est? Hunc præfigurabat Assuerus, qui codicibus annalium relectis bonos compensauit, malos autem suspendio condemnauit. Eodem modo se habet Deus, qui hodiernum turbæ pænè infinitæ computat obsequium, *quia iam triduo sustinent me.* Ne quisquam igitur, à Deo debita se mercede fraudandum arbitretur, dummodo seriò sua illi obsequia tribuerit. Neque enim solum actiones ipse considerat, sed & gressus nostros attendit; *Tu quidem gressus meos dinumerasti,* inquit Iob, neque solũ gressus attendit, sed etiam omnes capillos capitis dinumerat; *nam & capilli capitis vestri omnes numerati sunt,* vt notauit Lucas. D. Paulus ad Hebræos scribens sic eos alloquitur, *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Si igitur trium dierum famulos ita compensat, quomodo fidelibus qui tota ætate illi seruierunt, retribuet? Quod si in retribuendo deficeret, merito ei diceretur: *Hi vna hora laborauerunt, nos autem portauimus pondus diei & æstus, & pares illos nobis*

Luc. 7. *Genes. 22.* *Dan. 5.* *Deus regna numerat.* *Esth. 6.* *Iob. 14.* *Luc. 12. & Matth. 10.* *Heb. 6.*

bis fecisti. Sed hoc nequaquam ita fiet, neque enim Deus ad instar Mundi se gerit, qui nunquam sibi ministrantes compensat; nam Iob sic conquerebatur: *Sto & non respicis, clamo & non exaudis, mutatus es mihi in crudelem;* sed fidelis est in promissis atque suo mancipatos obsequio dignis compensat gratiarum donis. Mundus verò similis est Laban de quo conquerens Iacob in hæc verba prorumpebat, *Et ipsæ nostis quod totis viribus meis seruierim patri vestro, sed & pater vester circumuenit me & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Contingit pariter mundo famulantibus quod Sacerdotibus Baal contigisse legimus, qui à mane vsque ad vesperam deprecabantur, nec erat qui eos exaudiret: *Inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem dicentes: Baal exaudi nos, & non erat vox neque qui responderet.* Non igitur talis Deus, quia miseretur & compensat.

Matth.10. *Iob.30.* *Mundus Laban similis.* *Genes.31* *3.Reg. 19.*

Hic de Perseuerantia agendum est. Quam præclara virtus, ô quantis victoriarum exultat ornata trophæis! *Salus solum perseuerantibus datur, non enim beatus erit qui bonum facit, sed qui perseuerāter facit,* inquit S. Isidorus. D. Bernardus hanc virtutem miris exornat modis: *Scias diabolum ô Christi miles, soli perseuerantiæ inuidere, quam solam nouit à Domino coronari.* Ideò etiam D. Paulus non inscius quantæ sit virtutis Perseuerantia, sic scribit: *Sic state in Domino Charissimi, & stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quia labor vester non est inanis.* Insuper D. Bernardus postquam sic de hac virtute locutus est, *Perseuerantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus,* subiungit: *Perseuerantia, vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est pænitentiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis.* Ad allegorias veniamus.

Perseuerantiæ encomia. *S. Isid. lib. de summo bono.* *S. Bern. epist. 129. ad Genuēs.*

Præceperat olim Deus, vt in extremitate togæ pontificalis, tintinnabula cum pomis punicis depēderent;

Exod. 28. derent; signum veræ remunerationis, nam poma punica coronam gestare videntur, per quam virtutum intelligitur condigna remuneratio; tintinnabula autem, Perseuerãtiæ continuam proponebãt virtutẽ. Vnde Apost. ad Philipp. scribẽs sic ait: *Confido in vobis, quod qui incipit in vobis bonũ, perficiet vsq; in diẽ Iesu Christi.* Christi diem, mortis diẽ vocat, nã dies quotidiani, dies nostri sunt; *Dies mei* (inquit Iob) *velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* Vates autem regius inquit: *sicut fumus dies mei,* qui dies, dies nostri vocantur. Dies autem Christi, iustitię dies est, in quo operari non licet.

Philip. 1.

Iob. 7.

Psal. 108.

Quemadmodum Templi structura 7. annis eleuata, postmodum demolita, quadraginta annorũ spatio reexstructa fuit; ita qui in baptismi gratia perseuerat, breui ædificium construit, sin autem, etiam vix toto vitæ tempore exstruere valebit. Necessaria igitur perseuerantia est. Quam quidem allegoricè à nobis exigebat Deus, cum in antiqua lege primitias frugum, necnon fructuum decimas sibi postulat offerri. Nam primitiæ frugum, nostrarum sunt principia actionum, decimæ autem sunt bonorum perseuerantia operum. sic exigebat: *Primitias frugum terræ offeres in domo Dei tui.* & alibi. *Omnes decimæ terræ siue de pomis arborum, siue de frugibus Domini sunt, & illi sanctificantur.*

3. Reg. 6.

Exod. 37.

Leuit. 24.

Figurã aliã aduerto. Leuitici 22. Volebat Deus vt hi q votũ vouerãt, animalia cũ auribus & cauda offerrẽt, *Bouẽ & ouẽ aure & cauda amputatis voluntariè offerre potes, votũ autẽ ex his solui nõ potest;* quoniã Deo beneplacẽtia nũq nostra sũt opera, nisi principium & finis per perseuerãtiã ei dedicetur. Sic inquit ad hęc verba D. Greg. *In cauda quippe finis est corporis, & ille bene immolat, qui sacrificium boni operis, vsque ad finem debitæ perducit actionis.*

Leuit. 22.

S. Greg. li. 1. moral. c. vltimo.

Genes. 37.

Greg. hom. 25. in Euang.

Meminit Scriptura vestis Sãcti Patriarchę Ioseph quã talarẽ & polymitã fecerat ei Iacob, quã nõ immerito Patres perseuerantiæ accõmodarũt. Nã pręca-

clarissima inter virtutũ agmina Perseuerantia resplendet, inter vestium diuersa relucet, quia nos ab ineunte ætate vsque ad senium protegit & munit. *Ambros. c.1. Apoc.*

Ezechielis c. 1. dicuntur animalia gradi ante facies suas, *Et vnũquodq; eorũ corã facie sua ambulabat. nec reuertebantur cũ ambularẽt*. quoniã in virtutis via cũ cœperit quis ambulare, perseuerãtiæ semitã apprehẽdens, nullatenus regredi debet, ne fortè nobis id cõtingat ꝙ vxori Loth accidit, q̃ in statuã salis versa est. David Perseuerãtię hui⁹ fruct⁹ & emolumẽta perpẽdẽs in hãc prorũpit vocẽ: *Spiritu principali confirma me.* D. Hier. inuertit *Spiritu potenti confirma me.* Nec .n. languidus vel flaccidus spiritus est, sed qui cor confirmet & consolidet. Nihil nãque sine fine principium. Hanc ob causam David ignauiã filiorũ Ephrem exprobrans aiebat: *Filij Ephrẽ intendẽtes, & mittentes arcũ, conuersi sunt in die belli.* Pari reprehensione digni sunt, qui in via virtutum deficiunt, ad voluptatum sordes redeuntes, *& in die belli*, hoc est in tempore tentationum succumbunt. *Ezech. 1. Rupert. in Genes. S. Aug. li. 16. de Ciuitat. Psal 50. Psal. 77.*

Refert Macrobius, Augustum Imperatorem, ducem quendam, cicatrice notabili in fronte insignitum, attamen de rebus benè gestis sese iactantem, sic repræhendisse: *At tu cum fugies nunquam post te respexeris.* quod quidem dictũ rectè in eos quadrat, qui viam bonorum operum ingressi in ea deficiunt & ab ea declinant. Non ita turba nostra auersa est, quam Dominus his verbis extollit: *Quia ecce iam triduo sustinent me.* Cumque Dominus turbæ misertus famelicæ, panes 7. benedixisset, diuisos populo tribui iussit. ô res admirabilis! Si Rex quispiam congregatas totius mũdi aues sola die nutrire deberet, etiã infinitus thesaur⁹ nõ sufficeret: Nũquid igitur admiranda est omnipotẽtia Dei, ꝗ à tot seculis, nõ aues solũ, sed vniuersos toti⁹ mũdi pascit homines? *Aperis tu manũ tuã, & imples omne animal benedictione.* Quãta fuerit Christi misericordia aduertite. *Macrob. lib. 2. Saturnal.*

Hæc equidem multis Regibus cõmunis fuit, nõ

tamen

Munificentia Titi Imp. tamen adeò celebris in eis reperiebatur, quemadmodum in Christo hodie inuenitur. Solebat namque Titus Imperator, cum se nihil dedisse recordabatur, dicere, *Amici diem perdidi*. Alexander autem Seuerus cum à se nihil postulabatur, ita excandescebat; Vnde non postulantem, ita redarguebat: *Quid est cur nihil petis? an me tibi fieri vis debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.*

Plutarch. in apo. Dionysius Rex Siciliæ cum filij aulam ingressus, pocula aurea vndique aduertisset, sic eum alloquutus est: *Non est in te regius animus, qui his poculis quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris*; hinc innuens Reges & Principes, maximè decere largitatem. Quam prouidè in se habebat Rex noster, Iesus Christus, qui turbam maximam in deserto, cibat & reficit. *Erant autem qui manducauerunt quatuor millia.* Appositè meminit scriptura somnij *Genes. 37.* quod habuerat Ioseph cum dixit: *putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum & stare.* Nam hodie verus Ioseph per alterum figuratus, sicut ille AEgypto subuenit in inopia, sic turbæ subuenit ciborum laboranti penuria.

In immolationibus antiquis ceremoniarum *Leuit 8. & Num. 6.* quatuor obseruari solebant genera, quæ his verbis significantur: *Offerebatur vitulus pro peccato, aries in holocaustum, auis quæ erat pacifica, canistrum panis: vt sciret sacerdos se assumpturum illius seruitium qui pane cælesti, hoc est manna, in deserto pauit filios Israel.* Hæc sic interpretatur D. Thomas. Sentio pariter hic mysticè figuratum Christum, qui hodie in deserto, sicut filios Israël, turbam pauit famelicam, Vnde omissis alijs miraculis, hoc solo viso turba sibi regē concupiuit, eum qui famelicam turbam in deserto cibauit.

Exod. 25. Præceperat Deus Exodi 25. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Quæ verba diuersimodè exponunt Doctores, Iosephus lib. antiquitatum Iudaicarum similem fuisse refert hanc

men-

mensam, mensæ quæ Delphis in templo Apollinis collocata erat, de qua rerum dubiarum per oraculũ obscuritas elucidabatur. Contra autem Magister sentit, in hac mensa cœlatas fuisse Regum effigies, descendentium à Dauid vsque ad Sedechiam, qui terminus fuit tribus Iuda. Idem tenet Abulensis. Verùm quicquid sit, reor & ego, pariter verisimilius esse in illa mensa Regum effigies fuisse cœlatas, quoniam Regum muneris est subditos alere & sustentare. Ideò Christus quasi Rex noster, *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, turbam hodie sustentat in deserto, & eius succurrit miseriæ. ***Regum est subditos alere.***

Cum Regem sibi quempiam eligere vellent populi, oculosq; in quendam conijcerent, sibi Principem eum eligentes; Hic inopiam propriam attendens, in hæc verba prorupit: *In domo mea non est panis neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi*, hinc indicans eum indignum imperio, qui subditos non valet sustentare alimento. Ideò Iacob cum in Mesopotamiam proficiscens vota solemnia Deo voueret, inter cætera hoc vnicum Deo vouit, cuius verba sunt hæc: *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum*. Arbitrabatur enim eum qui subditorum necessitati subuenire nescit, indignum esse omni honore. Honore è contra dignissimum eum esse qui subditorũ saluti studet, sicut iure laudatur Pharao, qui ante sterilitatis tempora, somniabat quomodo tãtæ subueniret calamitati. *Erant autem qui manducauerant quatuor millia*. Quam præclarè nos exhortatur & admonet hoc miraculum! Docemur namque, quod ab infantia necessaria sit misericordia, quam se habuisse gloriatur Iob dicens: *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum*. Beatos autem & fœlices censet eos Dauid, qui misericordiæ viscera pandere norunt. *Beatus* (inquiens) *qui* *Esaiæ 3.* *Genes. 28.* *Genes. 40* *Iob. 31.* *Psal. 40.*

H *intel-*

intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eũ Dominus. Nec immeritò necessaria misericordia dicitur, siquidem nos misereri aliorũ expedit, sicut Deus nostri miseretur. Quæ misericordiæ ratio figurata erat in obsidione Hiericho, cum Raab exploratoribus Iosue hunc in modum locutus fuit: *Nunc*
Ios. 2. *ergò iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cũ domo patris mei.* Vnde, cum nobis pauper occurrit, necessarium conueniensque foret dicere, quod olim Dauid, Mi-
2. Reg. 9. phiboseth dicebat: *Ne timeas, quia faciens faciam tecũ misericordiam propter Ionathan Patrem tuum, & restituam tibi omnes agros patris tui Saul, & tu comedes panem in mensa mea semper.* Nec misertum Deum eius arbitratur D. Ioann. qui nec proximi pauperis misere-
1. Ioan. 3. tur. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Nihil quippe crudeliùs reperiri potest homine inhumano, qui maiorem animalis curam gerit quam proximi, vt fratris indigentis.

Cum fames dira per vniuersam Samariam gras-
3. Reg. 18. saretur, ait inhumanus Achab ad seruum suum: *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitùs iumenta intereant.* Hic animalium brutorum miseretur, nec viduarum & orphanorum calamitati compatitur. Huic similes, arbori Nabuchodonosor comparantur, quæ fructus tantũ
Dan. 4. bestiarum alimentis deseruientes ferebat, nam substantiam seculi habent, fructus diuitiarum possidẽt, & totam substantiam in equorum alimenta disper-
Luc. 16. gunt. Talis erat diues epulo, qui Lazaro pauperi denegabat quod continuè canibus distribuebat. O inauditam sęuitiam! Non adeò stultè sese gerebat Rex Niniue, qui generale indicens ieiunium, non iumẽtis magis quam hominibus pepercit, vt ex verbis
Ionæ. 3. claret: *Et clamauit & dixit in Niniue ex ore Regis & Princi-*

Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam nō bibant. Neq; rationabile iudicabat, vt hominibus esurientibus, iumenta saturarentur. Tribuit quidem Rebecca camelis Abrahami potum, sed non prius, quam famuli Abrahami quantum necessarium erat exhausissent: *Quæ festinans deposuit hydriam de humero & dixit mihi, & tu bibe, & camelis tuis tribuam potum.* Consentaneum igitur est, vt homines primo saturentur, deinde animalia sustententur. Genes. 24.

Sunt & alij quibus innata quędam crudelitas est, qui non solum pauperibus non subueniunt, sed in eos etiam inuehuntur, & eos obiurgant. Tales erant amici Iob, qui calamitatem eius non attendentes, cum verberibus & plagis oneratum, opprobrijs etiam saturare voluerunt. Huiusmodi viros similes esse existimo diabolo, qui postquam diuersimodè Deum in deserto tentasset, ei lapides obtulit. Lapides obtulit dœmon, & ecce Christus panem porrigit etiam in deserto. O inauditū misericordiæ exemplum! Stupendum miraculum, at per misericordiam, quæ miraculorum fons est & origo.

Cum Eleeser Abrahami famulus ad inquirendam puellam nubilem, in vxorem Isaac missus fuisset, fixus hærens, cum apud se diu deliberasset, sic ait: *Igitur puella cui ego dixero inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo.* Quæ verba accuratè perpendens Procopius Gazæus, sic exponit, dicitque eam solam rationem esse, per quam inductus fuit Eleeser, vt secum hunc in modum ratiocinaretur. Quoniam inquit missus sum ad inquirendam vxorem fœcundam, quæ multos pariat filios, filio Domini mei, vt impleatur quod dictum est à DOMINO: *Semini tuo dabo terram hanc,* fœcunditatis hoc mihi signum

erit, si mihi & camelis meis potum tribuerit. Hæc igitur virtus est quæ fœcunditatem indicat. Nec id solũ, sed & vitã conseruat. Nã plerique Doctores, Melchisedech, Sem, filium Noe fuisse referunt. Quẽ cum Abraham de tam longæ vitæ modo interrogasset; Respondit, per eleemosynam, rursus eo inquirente cui eleemosynam contulisset, cum tantũ in arca Noe octo animæ saluæ fuissent, adiunxit: Bestijs, quibus singulis diebus portionis quotidianæ alimenta subministrabam. Vnde Abraham remunerationis diuinæ beneficia perpendens, secum ita ratiocinabatur: si ob nutritionem animalium, tantam Deus contulit vitam, quid acturus est eis, qui non animalia solum, sed & pauperes, Christi membra reficiunt? Et ecce hodie in fauorem misericordiæ Christus tantum patrat miraculum. *Erant autem qui manducauerant quatuor millia.*

Misericordia vitæ fomes.

Faustinus Tassus ser. 4. ad Heb.

Hic confunduntur Apostoli, qui paulò antè inquirebant: *Vnde illos quis poterit his saturare panibus in deserto?* Mirum sanè! Agnoscunt potentiam in puniendo, *Vis dicamus vt descendat ignis de cœlo & comburat illos?* & non aduertunt æqualem potentiam in benefaciendo. Mundanorum mos est, qui se fortes ad mala arbitrantur, debiles autem ad bona præstanda suspicantur. Iustus è contra ad omnia bonorum genera magnanimem putat. *Omnia possum in eo qui me confortat.* & alibi: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient, current & non laborabunt.* Hic igitur Christus vt confundat eos qui impossibile esse apud Deum aliquid putant, satiat turbam ex septem panibus. Stupendum est videre turbam triduò eum sustinentem, quod non ita fit inter Christianos, qui vix vnquam ad audiendum verbum Dei conueniunt, nisi saturi, quod maximè dolendum est. Expectabat populus Hebræus ieiunans sacrificij consummationem; *Hic est, hodie enim*

Luc. 9.

Nihil impossibile iusto.

Philip. 4.

Esaiæ 40.

venit

venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso, ingredientes vrbem statim inuenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum, neque enim comesturus est populus donec ille veniat. & interim vix Christiani per horam vnicam ieiunare volunt, donec verbum Dei audierint. Eleeser fatigatus negauit se manducaturum, priusquam noua indicasset Domino, *nō comedam nisi prius loquar sermones meos*. hinc ostendens quanto cum affectu Domino suo famulabatur. Quæ quidem promptitudo animi longè abest à multis, qui potiùs ad instar filiorum Israel, qui murmurabant contra Moysen, *etiamsi fuerint saturati & murmurabunt*, verbum Dei (licèt saturi) negligentes clamant: *reuertamur in Aegyptum*. Non ita hæc turba, quę triduo sustinet Dominum, quam nō prius satiauit Christus, quàm humanæ virtutis auxilium defecit. Genes. 24. Num. 14.

Vt igitur animos vestros ad huius virtutis amplexum exhorter, dicam cum Propheta Samuele, *Nolite recedere à tergo Domini, & nolite declinare post bona quæ non proderunt vobis*. Dicat pariter anima Christiana cum Patriarcha Iacob: *Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque ad præsentem diem*: hunc exoret, qui nos ab incunabulis fouit & nutriuit; huic inquam dignas rependat laudes. 1. Reg. 12. Genes. 48.

Nec immeritò faciet, quisquis id faciet; Tu namque solus es qui totius mundi curam geris, qui vniuersum mundum nutris, qui famelicos tuæ gratiæ cibo reficis vt hodie claret. Tu inquam es, qui ciborum condimenta temperas, salem admiscens melli, amaritudinem dulcedini. Nutrix ablactatura filium, absynthium imponit vberibus, & tu ad instar matris, tuum exploraturus populum, penuriam pati permittis, vt visa inopia qua afficimur, ad te verum & viuum panem recurramus, vt cum postea tuæ misericordiæ alimento refecti fuerimus, tui vultus delectatione perfruamur in cœlesti glo-


ria, cuius nos participes efficiat Pater & Filius & S. Spiritus. Amen.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

FIGVRA.

2. *Mach.* 5.



Ntiochus crudelitatis immane spectrum, Apollonium sui ducē exercitus misit in Hierusalem, vt fortissimos quosque atque ad arma paratissimos interficeret, vxores autem & liberos alienis elocaret. Qui proficiscens, cum ad ciuitatem vsque peruenisset, pacificum, sed malitiosum simulauit ingressum. Dudum enim cum incolis ciuitatis conuersatus, tandem impij operis facinus aggressus fuit. Nam cum in Sabbatho ad orationem in templum Iudæi conuenissent, ipse fictitius pariter aduenit, non vt orationes funderet, sed vt orantes perimeret. Aggressus inauditum scelus, percutit quoscumque obuios, iamque non auditur oratio, sed deploratio. Hoc vt auertat Christus, salubrem hodie tradit monitionem, dum similes hypocritas detegit, & modum auertendi docet. Quod planiùs prosequemur dicto *Aue Maria.*

Perplacens inter antiquos Patres, iucundaque semper fuit quæstio, scire vtrum opera bona homini catholico necessaria essent, & vtrum Deus ex sola voluntate hominem remuneraret. Quæ quidem à varijs variè agitata & discussa, plurimas detexit opiniones. Quidam enim censebant intentionem

solam

ſolam ſine operibus poſſe iuſtificare, innixi huic frequenti axiomati; *Volũtas reputatur pro facto.* quod ſæpiſſimè in iure canon. reperitur, *in Cap. homicidarum, & cap. Omnis, & cap. Si propterea, de Pœnit. d. 1.* Authoritatem præterea S. Bernardi allegabant, quã ſibi omninò fauentem arbitrabantur: *Intentio ſufficit ad meritum, bona actio requiritur ad exemplum.* Inhærebant præterea Gloſſæ ordinariæ, quæ verſiculum hunc Dauidis exponens, *Dixi confitebor, &c.* inquit: *Votum pro operatione reputatur.* Quam expoſitionem confirmat D. Gregorius, dicens: *Nunquam eſt vacua manus à munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate.* Denique ſuæ opinionis fortiſſimum aſſertorem, decretum quoddam habebant, in quo dicebatur: *Amplius reſpicit Deus ad ſpontaneas voluntates quam ad actus.* Quamobrem inſerebant Deum ſibi in ſacrificijs antiquis hæc poſtulaſſe, ſcilicet: *Et offerent de ſacrificiorum hoſtia ſacrificium Domino: adipẽ & caudam totam cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem, atq; vniuerſa vitalia.* Per caudam intelligunt perſeuerãtiam, per adipem bonam voluntatẽ, quia *quicquid agant homines, intentio iudicat omnes.*

S. Bern. lib. de libero. arb.

Leuit. 3.

Contrà verò alij bona opera cenſent neceſſaria ad ſalutem. *Fides ſine operibus mortua eſt.* D. Petrus in epiſt. inquit: *Satagite vt per bona opera veſtra, certam vocationem & electionem faciatis.* D. Paulus eos reprehendit & arguit, qui bona opera non exercent. D. Ambroſius ad idem concurrens inquit: *Non ſatis eſt benè velle, niſi ſit etiam benè facere.* Vndè his me coniungens idem cum Ariſtotele & alijs Patribus ſentio, qui ait: *Tria ad perfectionem virtutis requiruntur: ſcire, velle, & operari.* Vnde D. Dionyſius Areop. rectè ſenſiſſe dicitur, dum inquit: *Perfectio totius Theologiæ eſt praxis.* Noſtræ fauent opinioni, Sacræ ſcripturæ tropi, quos adferre graue vt reor non erit.

Iacob. 2.
2. Pet. 1.
Amb. lib. de Offic.
Eth. 2.
D. Dionyſ. lib. de myſt. Theol.

Inter eos quos à ſuo famulatu Deus exulare volebat, hi notatim exprimuntur, quibus manuũ defectus erat: *Homo de ſemine tuo per familias qui habuerit*

Leuit. 21.

Opera bona ad salutem necessaria. *maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius; si cæcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu. &c.* Manus autem in sacra scriptura, bonorum operum est figura. Vnde hinc claret sine bonis operibus neminem salutis portum consequi posse, Ideò etiam Dominus vineæ operarios otiosos reprehendit, *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui tamen intentione & voluntate laborabant, *sed nemo nos conduxit*, opere tamen non exequebantur. Hanc ob causam in Canticis Sponsus sponsam hunc in modum alloquitur: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Non petit voluntate amari, sed amorem rogat in effectu demōstrari. Sic Deus intentionem quidem cernit, at bona opera semper exigit. Nec est quod amplius litigemus, lis decisa, definita, conclusa. Veritatis verba perpendite. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur; & in ignem mittetur.* Euangelij attendendum principium. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Statui de his falsis prophetis primum agere, deinde arborem hanc & fructus inuestigare.

Matth. 20

Cant. 8.

Igitur antequam narrationem texamus, videndum est quomodo sępissimè & diuersimodè Ecclesia, varijs fuerit persecutionum generibus circundata, quarum tamen, tres frequentiores inuenimus. Prima est Tyrannorum, qui innocentium fuderūt sanguinem. Secunda hæreticorum, qui falsæ doctrinæ semina vbique dispersērunt. Tertia impiorū Christianorum, qui Deum ore confitentur, factis autem negant. Quę quidem persecutionum genera, optimè explanauit D. Ioannes, dum in Apocalypsi quatuor equos se vidisse refert, quorum primus candidus, Victoriæ Christi trophæum figurabat, alij autem Ecclesiæ persecutiones demonstrabant.

Tria persecutionū genera.

Apoc. 6.

Secundo aduertendum est falsorum propheta-

rum diuerſa genera reperiri. Primum namque Diabolus eſt, qui in peccatis deliteſcentes magis fouet. Secundum eſt caro, quæ ſenſualitatei conſulit, delicias ſuggerit, appetitum mouet, vt quæ ſunt voluptatis ſedulò ſequamur. Tertium eſt mundus, qui non ſolum falſum ſuadet, ſed continuò ſuos decipit amatores, *Tranſit enim mundus & concupiſcentia eius.* Quartum eſt Prædicator mendax, qui verbum Dei facit irritum, cuius miſeriam deplorat Hieremias Propheta, *Stupor* (inquiens) *& mirabilia facta ſunt in terra, Prophetæ prophetauerunt mendacium, Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.* & infra. *In prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantis, & iter mendacij.* Quintum eſt Hæreticus, Sextum Chriſtianus peruerſus. His ita ſe habentibus, certum eſt falſos prophetas modis duobus intelligi poſſe. Nam vel ob doctrinam falſam falſi ſunt, vel ob intentionem malam quam in docendo habent. E primis erat Sedechias filius Chanaana de quo ſcriptura: *Fecit quoque ſibi Sedechias filius Chanaana cornua ferrea, & ait; Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Qui tamen deceptorè huic illudebat Principi, nam loco victoriæ, maximum vitæ incurrit periculum, ideoque falſus Propheta dictus eſt: *Spiritus mendax erat in ore eius &c.* Prophetæ quoque mali (licet veri) erant Balaam & Cayphas, quorum alter modum Balac Regi Moabitarum quo deciperet populum oſtendit; alter vera prædicit, ſed vt Chriſto noceat, vt eum è medio tollat. De quibus Prophetarum generibus loquitur Hierem. dicens. *Vidi ſimilitudinem adulterij, & iter mendacij.* Adulterij namque tunc ſpecies claret, cum veritas prolata, intentionis malæ tegumento velatur. Iter mendacij eſt, cum falſa & indiſcreta proferuntur. Hos itaque vitare conſulit Chriſtus, dicens; *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos.* Appoſitè autem & expreſſè dicit, *Attendite,* quaſi diceret, *diligenter conſiderate,* nec enim

[Margin notes: *Hierem.* 5 — *Hier.* 23. — 3. *Reg. vlt.* — *Num.* 23. & 24. — *Ioan.* 11.]

cuiuis spiritui credendum est, sed ei qui veram sciētiam sapit, *Nolite* (inquit D. Ioannes) *omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Hunc qui insanè cuiuis occurrenti credit spiritui, Sapiens, stultum & leuem iudicat, *Qui citò credit leuis est corde.* Quem pariter Apostolus infanti assimilat: *Non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* Idem autem Apostolus ad Galat. scribens, eos temeritatis & inconstantiæ arguit; *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium. Attendite* (igitur) *à falsis prophetis.* Falsi Prophetæ sine dubio Hæretici sunt, qui sub velamine veræ pietatis, insanam tegunt doctrinā, & sub ouina pelle, lupinam contegunt naturā. Talis erat Balaam, qui benedicto populo Israël, inimicis viā nocendi ostendit, & quemadmodum Moabitæ & Madianitæ filijs Israël præualere possent, demonstrauit: *Mittens scandalū corā filijs Israel, edere & fornicari.* Quæ quidem insania maximum populo peperit nocumentum. Ita hodierni hæretici varijs modis sacram scripturam palliant, sub velamine doctrinæ, falsam seminant doctrinā. *Attendite à falsis prophetis.* Hi nāq; sub ouis vellere, ad vos veniunt, intus autem sunt lupi rapaces. Sub specie namque religionis sacræ, scripturam (non reformandam) reformare velle videntur, sub specie virtutis, virtutem destruunt; sub specie boni, spirituale ædificium demoliuntur. Virtutes prædicant, virtutes odiunt; bona opera proponunt, bona opera fugiūt. Quę hypocrisis! Simulatā fingunt Ecclesię restaurationē & ipsi verę Ecclesię pastores oderūt cane pei⁹ & angue.

1. Ioan. 4.
Eccles. 19.
Ephes. 4.
Galat. 1. & 3.
Num. 24.
Num. 22.
Num. 25.

Philippus Macedo fortunam optimam Atheniensium dolens, eorum Ciuitate obsessa, legatos qui hæc verba referrent destinauit: Si pacem tranquillitatemq; Ciuitatis vestræ diligitis, decem oratores quos elegero mihi tradite. Quibus verbis auditis, fama vt solet per totam vrbem volitante, Demosthe-

mosthenes in medium protumpens, frequentiam populi sic allocutus est. Viri Athenienses, conferebant tempore quodam lupum cum pastore. Lupus fraudulenter agens pastori dixit: quærelam totam, controuersiam vniuersam quæ inter me & te est, canes tui procurant, hos si mihi tradere volueris, pax erit, tranquillitas vigebit, nulla denique deinceps inter nos erit cõcertatio. Credidit verbis fraudulenti, pastor, & datis canibus ouium custodibus, ouile statim dissipatum est. Idem, idem de vobis fiet Athenienses, Philippus Macedo, lupus est rapax, vos Ciues, estis oues, nos sapientes, canes sumus, quos sibi quasi infensissimos postulat tribui. Idem ô Christiani conantur Hæretici; Si Ecclesiæ prælatos in suam redegissent potestatem, quam celeri pede miseram Ecclesiæ nauem conculcarent. *Atten dite ergò à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Hi sunt falsi Prophetę de quibus dicebãt Dominus per Hieremiã, *Ipsi currebant, & ego non mittebam eos*. Bonos se fingunt, pietatem simulant, nomen Dei inuocãt, misericordia in eis splendet, Iustitia relucet, sed vt decipiant in vanitate: hoc ostendit eorum noua religio, inaudita regnorũ perturbatio, seditiones quotidianę, eos lupos ostẽdũt, q sub specie pietatis ouile Christi disperserũt *à fructib' eorũ cognoscetis eos.* *Hierm. 23*

Dũ peruersã horũ hęreticorũ mecũ attentius perpẽdo doctrinã, simillimos Gabaonitis reperio. Qui audita fama Iosue, intellectis victoriarũ trophæis, vilibus induti saccis, vilib. accinctiuestimẽtis, ad Iosue qui erat in Galgala perrexerũt, ad quẽ sic locuti sunt: *De terra longinqua venimus, pacẽ vobiscũ facere cupiẽtes.* Qui tamẽ dolosè vniuersũ populũ cũ Principe deceperũt. Nõ absimiles his dico hęreticos, qui fingẽtes se de lõginquo, à tẽpore Apostolorũ, ex visceribꝰ matris Ecclesię prodire, populũ decipiũt, fraudulẽtis dogmatibꝰ plebẽ inficiẽtes. Et per hãc simulatã pietatẽ plerosq; in ruinã pertraxerũt, qui cũ eis, *Iof. 19.*

non

non secus ac si boni fuissent côuenerût; *Susceperunt*
Iof.6. *igitur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt.* Hi sunt qui veniunt in vestimentis ouium.

Venatores solent vestimentis, similibus bestiarum quas venari volunt indui, ne dignoscantur. Piscatores variè varijs hoc modo illudunt piscibus. Refert namque AElianus piscem quendam nomine *Sargos* adeò caprarum amantem, vt piscatori capræ pelle circumtecto, nulla salutis habita cura sese obijciat, de quo sic Alciatus in Emblematibus:

AElian. lib.1.de animal.c. 23.

Alciat. emblem. 75.

Villosæ inductus piscator tegmina capræ
Addidit vt capiti cornua bina suo,
Fallit amatorem, stans summo in littore sargum,
In laqueos sumi quem gregis ardor agit.

His piscatoribus similes sunt Hæretici, qui hamo falsæ doctrinæ populos infinitos perdiderunt.

Res fabulosa quędam, at nostris summè conueniens Hæreticis refertur de vulpe. Quæ cum hominem per viam transeuntem cum curru caponibus onerato vidisset, mortuam sese finxit, adeò vt vir ille aliquid prętij pro pelle habiturum se arbitratus, vulpem caponibus admiscuit, quæ mox ad vitam rediens, ita epulata fuit, vt ab eius conuiuio vix vnus capo euaserit. Vulpeculæ similes nostri hæretici, qui hypocriticè sanam fingentes doctrinam, cômixti inter fideles vniuersam plebis Christianę turbam corruperunt. Præterea similes sunt Hæretici,
Apoc.13. bestiæ illi quam D.Ioannes in Apocalypsi se vidisse testatur his verbis: *Et vidi aliam bestiam ascendendem de terra: habebat cornua duo similia agnis, & loquebatur sicut Draco.* Verè hæreticorum figura, quoniã cornua agni, virtutes Christi, Humilitatem, Patientiam præseferunt, & vox eorum, vox draconis animas interficientis, *Veniunt in vestimentis ouium.*
Iudic.14. Leo pariter quem in via sua reperit Samson, hæreticos figurabat: *Declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.*

Simi-

Similes dico hæreticos, quia Euangelium profitentur, at impiè factis negant. *Loquuntur pacem cum proximo suo mala autem in cordibus eorum.*

Similes iterum dico Hæreticos Ioab de quo sic scriptura loquitur: *Dixit itaque Ioab ad Amasam, salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum; porrò Amasa non obseruauit gladium quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est.* Quam perditè hûc imitantur hæretici. Vafri namque & impostores hæretici blandiloquentiam prætexunt, & vitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus. Vnde his rectè conuenit illud tritum, communeque adagium:

Pelle sub agnina latitat mens sæpè lupina. Quæ verba attẽtius considerans Tertullianus sic inquirit: *Quænam* (inquit) *sunt illæ pelles ouium, nisi nominis Christiani superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? qui pseudoapostoli nisi adulterini Euangelizatores?* Quibus verbis suam adiungit Sanctus Cyprianus sententiam, dicens: *lib. de præscript. hæret.*

Prædixerat ergò Dominus multos esse venturos sub pellibus ouium rapaces lupos, qui autem illi, nisi sensu subdolo conspirantes ad infestandum gregem Christi? Verum est, rectè inquam Christus prædixerat; *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Hic aduertendum est, quomodo scriptura varijs peccatorum generibus varia adscribit nomina bestiarum. Quod aduerterat Apostolorum Coripheus, dum aiebat: *Et vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, in quod intuens, considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli.* Quæ quidem animalium diuersitas, varietatem designabat peccatorum, quos Apostolus prædicationis verbo ad verum Ecclesiæ portum reducturus *ad Nouatian.* *Act. 11.*

ducturus erat. Quos pariter Iob alijs animalibus assimilat, dicit enim: *Frater fui draconum & socius struthionum.* Ezechiel autem inquit: *Filij hominis* (inquit Dominus) *increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitant.* Christus autem nunc lupos vocat: *Ecce mitto vos sicut agnos inter lupos*, nunc vulpeculas, *dicite vulpi huic*, nunc *genimina viperarum* à Sãcto Ioanne appellantur, quæ quidem omnia nomina peccatoribus conuenientia sunt. Nec mirandum est si peccata homines bestijs similes efficiant, siquidem & eos Dæmoni simillimos reddit, *Nonne ego vos duodecim elegi* (ait Christus) *& vnus ex vobis diabolus est*: volens Iudã indicare, qui eum traditurus erat. Verum præcipuè peccatores lupi dicuntur, quos D. Paulus gratiæ diuinæ vas electionis, præuidens, sic demonstrabat, *Ego scio quod post discessionem meã intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi.* Quæ quidem luporum natura eis tribuitur, vel quia veritatẽ obnubilat eorũ doctrina, vel quia infinitas animas deuorandas Dæmoni dedicarunt. Exempla crudelitatis vbique resplendent, vbique sæuitiæ vestigia apparent. Omnia antiquitatum opera, his scatent exemplis. Vnde iure illis attribui potest illud psalmistæ. *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Sed interea, *intus sunt lupi rapaces.*

Iob.30. Ezech.2. Luc.10. Luc.13. Luc.3. Ioan.6. Act.20. Psal.56.

Hos obiuos habens & attentius considerans D. Ioannes Chrysostomus, tria aduertit in lupo, quę oui non sunt naturalia. 1. mordet, quod non facit ouis, 2. Vlulat, ouis autem oscitat, 3. Viuit lupus, carne vescens, viuit ouis, herbam edens. Hæretici his dignoscuntur modis, nam mordẽt edaciter, Doctoribus atq; Ecclesię prælatis detrahendo: Vlulant vociferantes & blasphemantes in Deũ, neq; honori Dei, neq; Virginitati Matris omnino parcẽtes. *Ponentes in cœlũ os suũ.* Viuũt ex carne, quia præter carnalia nihil eis placet, nihil gratum, nihil acceptum est. Quam perniciosi lupi!

Psal.72.

Hæreticis luporũ cõuenit nomẽ, quia luporũ in se cõtinẽt proprietates. Nã queadmodũ lupi fluuium trãsuadaturi supra sese inuicẽ innitũtur; ita hæretici falsę doctrinę fluctus sæuos trãsituri, in inuicẽ appodiãtur. Requirit nouus veteris hæretici sẽtẽtiã, & alter aliã, & sic simul colligati ad modũ vulpiũ Sãsonis in segetes Christianæ plebis irruũt, eãq; penitus succẽdũt. Preterea hæretici acutiorẽ visus habẽt aciẽ & inscrutãdis scripturis (in peruertẽdis dico) sicut lup' animalia cætera, sic hæretic' fideles vniuersos superat. *Filij huius sæculi prudentiores sunt in generatione sua filijs lucis*, inquiebat Christ'. Vnde Plinius refert lupos in Italia oculos veneno infectos habere, quod sciuisse olim videtur Virgil. cũ caneret: *Te mæri lupi videre priores*. His pares sũt hæretici, nã ij quos hęreseos veneno infecerũt, adeò obcęcati, adeò muti sunt, vt illis iure illud coaptari possit, *Os habẽt & non loquentur*. Idem Plinius eodẽ in loco refert lupos fame pressos terram mãducare; Similiter & Hæretici pressi fame, penuriã patiẽtes in terra longinqua dissipatis omnibus bonis, vitã agunt bestialẽ; in terra lõginqua, in erroribus falsarũ opinionũ. *Famẽ patientur vt canes*. Denique, quis infestissimos neget lupum & Agnũ esse inimicos? Immò sanè adeò sibi inuicẽ infensi sunt, vt neque post mortẽ inimicitiarũ terminus concedatur. Nam si tympanũ pelle lupina factũ, ante ouilũ tympanũ pulsetur, necesse est alterutrum silere; nulla siquidem in eis concordantia est. Vnde Alciatus sic bene scribit.

Iudic. 15.

Plini. lib. 8. nat. hist. c. 2.

Virg. in Eclogis.

Psal. 113.

Plin. lib. 8 naturalis hist. c. 2.

Cætera mutescunt, coriumque silebit ouilum
Si confecta lupi tympana pelle sonent.

Sic Christianum decet esse virum, nec enim illi vlla familiaritas cũ lupo hæreseos conuenit. *Attendite ergò à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Lupos denique rapaces dicere possumus malos esse Predicatores, qui cũ peccatoribus cõniuẽt, peccata nõ redarguunt, immò & peccatores in malitia excu-

excusant. Nec enim prophetarum nomen solum futura prædicentibus conuenit, sed & ijs qui sacrā scripturam exponunt iure adaptatur. Vnde qui eā vt decet non explicant, hi rectè pseudoprophetæ nuncupari possunt. Quemadmodum Acham filius
Iof.7. Charmi ob regulam auream furto sublatam suspendio plexus est, (Hebræi legunt linguam aureā) ita Prædicatores falsi, quia linguæ mendacia populo diuulgarunt, multis supplicijs afficiendi sunt. Meminerit, meminerit verus sacri eloquij enuncia-
Psal.11 tor, verborum Psalmistæ; dicentis: *Eloquia Domini argentum igne examinatum, purgatum septuplum*, hoc est *multum*. Sicut enim in Scriptura, *duo*, paruam indicant quantitatem, vt habetur 3. Reg.17. *En collige duo ligna*; ita etiam septenarius numerus, magnam insinuat quantitatem. Sic 1. Reg. 2. dicitur de Anna matre Samuelis, *Donec sterilis peperit plurimos*, Hebrea lectio habet; *donec sterilis peperit septuplum*. Ne igitur vanitatum floribus, verborum phrasibus, vestræ adeò scateant conciones, vt verbi Dei claritatem obtegatis, sed vitia reprehendite, Virtutes extollite, vitam prauorum sine timore redarguite.

Talem nobis verbi Dei seminatorem esse debe-
Cap.19. re, demonstrabat D. Ioannes in Apocalypsi. *Et*
Apoc. 19. *vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei.* Decet namque eum equo innocētiæ insidere, oculos flammeos gestare ad lubricarū expulsionem, expiationemque passionum, vestem pariter aspersam sanguine, quasi velit omnia peccatorum genera, gladio verbi Dei perimere. Et hoc sensu intelligenda sunt verba Hieremiæ: *Maledictus qui prohibet gladium à sanguine*; idest à peccatorū re-
Hier. 48. dargutione. Vnde & Apostolus hoc sensu dicebat: *Contestor vos hodierna die quia mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi, quominus annunciarem vo-*
Act.20. *bis omne consilium Dei*. Vbi Apostolus sibi omnia peccata arbitrabatur imputanda, nisi ea digna monitione correxisset. Hoc est enim verum, veri Prædica-

ficatoris munus, qui non facit, cauendus est. *Attendite à falsis prophetis.*

Quæ verba Prælatis, maximè Episcopis & pastoribus dicta sunt. Rationi quidem consentaneum est vt serpētem, Adam fugiat, Noë arcam diluuij tempore profuturā construat, Abraham sacrificij muscas abigat, Loth Sodoma exeat: Attamen necessariū magis est vt prælati pseudoprophetas euitent, qui larua pietatis, larua dico hypocrsis circumuelati, gregem & ouile introeunt; sed vt lupi rapaces. Quos Regius Vates aduertens, Alienigenas appellabat: *Libera me* (inquiens) *de manu filiorum alienorum quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.* Proh dolor! quot hodie Prælati Ecclesiæ suscipiunt regimen sub agnorum vellere, qui tamen intus sunt lupi rapaces! Hos monet Christus vitari: *A fructibus eorum cognoscetis eos; & omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & ignem mittetur.* Genes. 2. Genes. 2. Genes. 6. Genes. 19. Psal. 143.

II.

Hæc est secunda concionis nostræ pars, in qua non minora quam hactenus proponenda sunt. In initio siquidem, Scriptura, homines Regem eligere volentes repræsentans, arboribus assimilat: *Ierunt ligna vt vngerent super se regem, dixeruntque Oliuæ, Impera nobis.* Zacharias quoque propheta euersionem ciuitatis indicare volens, hac arboris vtitur metaphora: *Aperi* (inquit) *Libane portas tuas, & comedat ignis Cedros tuas. Vlula abies, quia cecidit Cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan &c.* Daniel etiam Nabuchodonosorem arbori assimilat. Cœcus natus, miraculosè à Christo curatus subitò exclamat: *Video homines ambulantes sicut arbores,* Ex quibus omnibus arborum significationibus, vberes Christus exigit fructus, fructuosis benedicēs, infructuosis maledicens. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exscindetur.* Iudic. 9. Zacha. 11. Dan. 4. Matth. 8.

Infertilitatem sterilitatemq; quarundam arbo-

 rum

Iustus vir, similis est multis arboribus, quarum aliæ in radice, aliæ in cortice, aliæ in ramis, aliæ in folijs, aliæ in fructibus, aliæ in semine virtutem habent: Homo namque iustus in radice, id est, in corde virtutem habet, vnde vniuersæ prodeunt rectæ cogitationes, habet in cortice, in bonorum operum exemplis, in folijs, quæ sunt verba bona, in floribus qui sunt desideria recta, deniq; in fructibus, qui bona opera sunt, virtutem gerit. Hunc ita diuersis diuersarum arborum proprietatibus ditatum, describit Psalmista: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Sed quis ille est qui fructũ fert in tempore suo? Is proculdubio, qui iniurijs lacessitus, iniurias patienter tolerat; qui mundi vanitatibus, carnis petulantia commotus, constantiam, continentiamq; habet; qui dum de inimicis vlcisci potest, miseretur. Talis *dabit fructum suum.* Sed quis dat fructũ? Quemadmodum in viridario quælibet arbor diuersa, diuersum producit fructũ: ita in Ecclesiæ Horto, quilibet Christianus, iuxta sui status decentiam, fructus producere debet. Proh dolor! quot hodie reperiuntur qui non suum, sed alienum deferunt fructum! Quam multi Religiosi, silẽtio derelicto, choro postposito, mundanarum occupationũ tenere videntur anchorã! quot Sacerdotes, sacerdotum relicto munere, ad regni & prouinciarũ administrationes sese ingerunt! O deplorandã vitæ humanæ cæcitatem. Psal. 1.

Similitudo.

Nunquid confusio foret humani corporis, si mẽbra membrorum diuersorum fungi vellent officio? nunquid foret turbatio, si pes brachij munus, aures oculorum officium, caput ventris sibi assumeret exercitium? Cum igitur iuxta Apostolum diuersi simus; *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autẽ non eundẽ actũ habent: ita multi vnũcorpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habẽtes donationes secundũ gratiã quæ data est nobis, differẽtes,* necessariũ est vt vnusquisq; opus suũ operetur; Rom. 12.

2. Pet. 4. *vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes*. Et qui se ita habebit, veros producet fructus. *Omnis arbor &c.*

Tert. lib. 1 cont. Marcion *Aug. in Euch. c. 15. & lib. 1. contra Iulian.*

Tertullianus per hanc arborem intelligit fidem; D. August. & Venerabilis Beda, intelligunt humanam voluntatem, quæ in homine plantata est. Nā vti ex eadem terra variæ produci possunt arbores, ita ex homine variæ nasci possunt voluntates. Sed neutra harum opinionum nostro concordat Euangelio. Dico ergò arborem esse ipsummet hominē, nam neque voluntas praua, neque fides exigua, mittetur in ignem, sed homo, iuxta Euangelij seriem: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*. Quam varias hæc arbor in lucem produxit Patrum opiniones. Senserunt pleri que arborem bonam nō posse malos fructus producere, iuxta illud; *Non potest arbor bona malos fructus facere*, & è contra. Vnde hinc nata est hæc opinio, omnia nempe peccatorum & infidelium opera, infructuosa & mala esse; quam opinionem Cōcilium Tridentinum tanquam erroneam condemnauit. Nam potest homo fidelis qui per arborem bonam designatur, quandoque fructus malos producere, & peccator qui per infructuosam arborem figuratur, fructus bonos dare. Hinc infinitos exurrexisse aduerto errores, qualis est Manichæorum, credentium duo hominum esse genera; aliud omnino bonorum, & ita bonorum vt malum admittere non possint; aliud malorum, & adeò malorum vt bonū operari non valeant; quam opinionem refutat S. Hieronymus; qualis etiam erat Pelagianorum, vt testatur D. Augustinus. Talis erat error Donatistarum, tenentium Sacerdotem malum non posse verè sacrificare, nec bonum posse malè baptizare. Denique perniciosissimus error est Caluini, qui defendit, non ideò esse arborem bonam quia bonos fructus producit, sed ideò producere eam bonos fructus, quia bona est. Verum hi Theologi risu digni sunt,

S. Hier. in comment. in hunc locum. *S. Aug. li. contra Iul.*

ſunt, nam ſi ita eſt, ergo neque propter opera mala quæ facimus, mali erimus, ſed ideò mala faciemus, quia mali ſumus. ô laudabilem Theologum!

Vniuerſa totius mundi calamitas oritur, quia mundus vniuerſus Deum derelinquit factorem ſuũ, ad inſtar Sichimitarum qui filios Gedeon vterinos Principes dereliquerunt, vt adulterinum Abimelech ſibi in Regem vngerent. Quorum inſaniam & calamitatem Propheta deplorans huic aſſimilat parabolæ: *Ierunt* (inquit) *ligna vt vngerent ſuper ſe regem, & dixerunt ad rhamnum, veni, & impera ſuper nos &c. Egrediatur ignis de eo, & conſumat habitatores Sichem.* Ioathan.
Quæ verba miſerum hæreticorum indicant exitiũ & ſupplicium: *Horum* (inquit D. Paulus) *conſummatio erit in combuſtione.* Idem inſinuant verba Chriſti: *Palmes qui in me non manſerit, mittetur foras, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Verba Apocalypſis idem referunt: *Apprehenſa eſt beſtia & cum ea pſeudopropheta, & viui miſſi ſunt in ſtagnum ardentis ignis, & ſulphuris.* 2. Reg. 23. aliud idem ſonans reperitur: *Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, igneque ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum.* Præuaricatores hæretici ſunt, quos Deus flammis æternalibus cruciabit. Patres antiquos cõtra huiuſmodi præuaricatores arma ſumpſiſſe reperio. Helias prophetas Baal exterminat. Iehu, comitatus Ionadab, Idololatras Baal funditus tollit. Ioſias, Sacerdotes huius idoli in eodem altari ſacrificij viuos comburit, & cineres ne vlla eorum remaneret memoria diſpergit. Mattathias eum iugulat, qui ſibi idolum obtulerat; nec iniuſtum eſt, ſiquidem *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Hebræ. 6. Ioan. 15. 3. Reg. 8. 4. Reg. 10 4. Reg. 23 1. Mach. 2.

Tu igitur Deus noſtrarum cuſtos, & protector animarum, tuere nos ab his lupis, ab his inquam prophetis falſis, qui pacem vbique denunciant, gladium verò ſemper gerunt. Arce à nobis Carnẽ, Mundum, Diabolum, quos meritò prophetas fal-

monarcham quendam tum diuitijs, tum potentia clarum, eiusque obsequio mancipatum villicum, fortunarum eius dissipationis nomine malè audiētem. qui cum ponendæ rationis gratia tremebundus, & succensentis domini vultu prostratus effugiendi viam scrutaretur, suggerente tandem industriam necessitate, modum adiuuenit: cum coactis sodalibus suis & in eadem villicatione condebitoribus, inito vna fœdere dominum suum ab inferendarum pœnarum sententia auersum, sibi non solum conciliauit, sed & ad suam laudem impulit. Verborum horum vmbra velari plurima mysteria cerno, quæ prosequi visum est, eorumque mysticos sensus aperire, si prius sancti Spiritus opem beatissimæ Virginis auxilio inuocauerimus; quod vt fiat eam omnes salutatione angelica interpellemus, dicentes: *Aue Maria.*

Inter eos & egregios perfectionis apices, quibus sanctissimo amore æstuans & virtutum omnium splendore coruscans sponsa, dilectissimum sponsum extollit, vnus hic & ex præcipuis est, cum in hęc verba erumpit dicēs: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum, oleum effusum nomen tuum.* Quo in loco interpretes hebræi, per odorem vnguentorum sponsi, intellectam volunt excellentem illam & latissimè diffusam virtutum eius famam, quæ per omnes orbis plagas ad olei similitudinem profusa, non solùm admirationi, sed & summæ reuerentiæ barbaris ac exteris nationibus fuit. Paraphrasis verò Chaldaica huic explicationi consentiēs, sic conformiter loquitur: *A voce miraculorum tuorum & potentiæ tuæ fecisti populo tuo domui Israel, commoti sunt omnes populi qui audierunt famam potentiæ tuæ & signorum tuorum bonorum, & nomen sanctum tuum auditum est in vniuersa terra, quod electum est magis quam oleum vnctionis quo vnguntur capita regum & sacerdotum.* Ipse Doctor gentium Apostolus Paulus

Cant. 1.

Paraphrasis chaldæa

hunc in modum explanat, dum notitiam & cognitionem Iesu Christi, eiusque odorem attribuit eius miraculis, quæ velut celeri vento per omnia terrarum spatia dispersa, aromatum ac suauissimorum
2. Cor. 2. vnguentorum dulcedinem præ se tulêre. *Deo autem* (inquit) *gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus.*

Nec frustra nominis huius ac optimæ famæ decore attonita sponsa in sponsi laudem prorupit, cui plus honoris iure longè optimo debeatur quam bonæ vitæ eiusque famæ ac rumori. In hanc sententiam inclinabat Ecclesiastes, cum metaphoricis
Eccles. 7. verbis sic loqueretur: *Melius est nomen bonum quam vnguenta pretiosa*, quasi innuat gratam quidem esse vnguentorum ac aromatum fragrantiam, nullam tamen eam esse, si cum boni nominis odore conferatur. Vates autem regius aureæ suæ sententię psalterij sui chordas aptans, Sponsæ regiæ æstimationem adhuc amplius elaturus, hyperbolica quadam
Psal. 44. allusione inquit: *Myrra, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Cui veritatis hebraicæ lumen additum sic sonat: *Myrra, gutta & casia omnia vestimenta tua.* velut cum amplia ione optima inferens. Vestimenta tua ornatus tui ô Reginarum potentissima, dominarum domina, tantos vndique exhalant, tantos spargunt vnguentorum spiritus, vt ipsorum vnguẽtorum rem & substantiam obtinuisse videantur. Sancta proinde Ecclesia quasi in vnum cogens & enuncians meritorum & virtutum suarum excellẽtiam, vix excogitare valet in quo magis sibi congratuletur, quam in boni nominis fragrantia, & ve-
Eccles. 4. lut quadam elatione sublata, inquit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Nec inutiliter hic notare lubeat, non solum ad flores, sed & ad fructus tẽdere iactantiam, cum in Catholica Ecclesia non solum benedicta, sed multò magis benefacta desiderentur. Testis erat Patriarcha sanctissimus Isaac, cũ filij sui Iacob vitam meritò extollens, diceret: *Ecce*

odor

odor filij mei sicut odor agri pleni, agri pleni floribus, in flore non solam pulchritudinem, sed etiam odorem designans. Apostolus autem cum Corinthijs fidelium omnium nomine diceret, *Christi bonus odor sumus*, quid aliud intendebat quam hoc? Quicũque operum nostrorum tenorem ac finem ponderabit, nihil præter odorem gratissimum, diuinumque deprehendet, nihil aliud anhelare quam crucem, pœnitentiam, opprobria, mortem. O amplectendam odorati nominis suauitatem, quæ nec aulicos honores, nec carnis illecebras, nec mundi immunda fercula sapere attenditur.

Antonius Misaldus in eo quem de mirabilibus conscripsit volumine, asserere inter alia ausus est, reperiri herbam quandam quæ sæpiùs iterato odore in sentientis cerebro scorpiones & viperas producit, ac generat. Verumne sit an non, minimè laboro, nullus tamen ambiguitati locus est, tam pestiferas esse in suo genere carnis & voluptatum illecebras, vt infectos præsentissimis venenis aspides ac colubros in hominum animis sæpiùs odoratæ coaceruent: intelligi volo peccata, scandala, ignominias, malam famam, de quibus omnibus non incongruè asseritur quod ore prophetico edisserit Esaias: *Et erit pro suaui odore fœtor*. Contra verò probitate conspicui homines, non solum eo tempore quo in viuis agunt, verùm etiam post excessum ex hac vita fragrantissimos odores exhalant, nomina sua benefactorum olim immortalitate commendantes. Hoc aspirabat pia in Canticis Sponsa, cùm ænigmatica illa & arcana voce testaretur, inquiens, *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris*. Quem locum Philo Episcopus viuorum virtutibus attribuit, quæ non solum in vitæ curriculo, sed etiam multò magis eo expleto inter homines pullulant ac effunduntur. Quod vt ampliùs pateat, notandum cum sanctissimo hoc Antistite, duplicem huic herbæ vim inesse, priorem intel-

Anto. Misaldus lib. 1. de mirabil. cent. 1.

Isaia 3.

Cant. 7.
Philon Episcop. to. 1. biblioth. SS. Patrũ.

ligo, figuram quandam & typum iam defuncti & inhumati hominis. Posterior esse potest quod nihil sit in ea herba adeò expetitum, quàm ipsa radix, cuius odore suauius nihil est, cum ab ea totus herbę illius odor proueniat; quod intendens Sponsa, excessu quodam exanimata inquiebat, etsi Sancti Patriarchæ, Apostoli, Prophetæ, Martyres & alij cum ab equuleo ad ignes, à carnificinis ad omnis generis tormenta raperentur, tanquam seditiosi, & omniũ scelerum immanitate denigrati haberentur, mortui nihilominus credibile non est quantos virtutũ ac bonorum rumorum odores spargerent.

1. Reg. 25. Idem sine dubio sanctissimi regis & vatis Dauidis auribus insinuare conabatur Abigail, cum mitigando eius ardori & vehementiæ insudans has voces ederet. absit vt hoc audeas Domine mi Rex, ne fortè accenso in hominum animis prauo murmure, habearis non vt mitis ac mansuetus, sed vt humani sanguinis sitibundus, ac in omni sæuitia & rancore educatus, cedatque hoc perpetuo regij nominis dedecori: *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum*. quasi innuens. Perpende Rex inclite, quam gratos virtutum flores ac odores Sancti in Dei manibus exspirent, quod si nomini tuo hanc inhumanitatis maculam inurere te contingat, verendum ne horum coronæ vnquam socieris.

Antiquorũ Hebræorũ mos. Huic proposito annotanda aduenit quædam haud insulsa priscorum Hebræorum ceremonia, quibus pro more erat, defunctorum monumẽtis dictum hoc adscribere: Colligat te Dominus in fasciculo viuentium, quasi coniunctionem cum cœlesti illo fasciculo in æterna gloria eis apprecanies. Hæc in medium adduximus ratione miseri illius villici apud Dominum suum malè audientis, à quo idem Dominus exacta ratione villicationem remouere

in-

intendit & decernit, quod quidem S. Lucas in Euāgelica lectione ad methodum parabolæ proponit. *Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* Vt autem huius narrationis mysteria profundiùs & vtiliùs scrutemur, primum ad diuitem hominem, demũ verò ad villicum sermonem conuertere lubet; Attendite & arcana præclara aperiam.

Quoad primam partem; vix ad huius parabolicæ veritatis exordia perueni, quin citò citiùs aduerto, & ex apertissimis & luce clarioribus circumstantijs colligo, diuitis huius nomine non alium quam Deum Ter Optimum Maximum intelligi, in idem consentientibus omnium propè Patrum & Doctorum sententijs, fauentibus insuper scripturæ locis. Primum quidem Psaltem audio intonantem, *Gloria & diuitiæ in domo eius.* in ditissimis quibusque ac opulentissimis Regum, Principum, ac aliorum orbis Monarcharum palatijs, in quibuscunque creaturarum omnium casis ac habitaculis, præter sordes ac lutum reperire nihil est, in domo verò Dei, in amplissimis ac amœnissimis cœlestium incolarum tectorijs, nil præter honores, veras dignitates, ac bonorum omnium exuberantiam excogitari aut videri potest. Solus ipse Deus à se diues est, participant ab eo, etsi remotissimè, quicquid sortiuntur creaturæ omnes. *Idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum,* inquit Apostolus, *meus enim est orbis terræ & plenitudo eius*, inquit ipsemet Deus, insignis verè & ab humanarum possessionum amplitudine longè diuersissima potentia. Cui vt vero Salomoni aptissimè congruit illud Paralipomenon. *Quia magnificatus est in diuitiis, & gloria super omnes reges mundi.* Huius rei gratia curiosi attributorum diuinorum examinatores Scholastici Theologi inuestigant, vtrum Deus cum adiuncto sibi mundo consideratus, mior dicendus sit, quàm seorsim, & solus existens, ad quod omnes etiam vna voce suc-

Psal.111.
Rom. 10.
Iohel. 49.
2.Para. 9.
Curiosa Theologorũ quæstio

ſuccinctè reſpondent, mundum etiam totum & vaſtiſſimum, diuinæ tamen perfectioni & magnitudini nihil addere, pluſquam addat punctum quātitati, *quia punctum additum puncto, non facit maius puncto*, cum autem collata cum Deo creaturarum vniuerſitas punctum non excedat, nec latitudini, nec longitudini, nec alijs dimenſionibus quicquam addere ſufficiens eſt. Hac in philoſophia certitudinē mihi ſuppeditat vates regius Dauid, cum velut ore
Pſal. 46. mellito diſtillat. *Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* eſt illud mare vaſtiſſimum & omnium perfectionum Oceanus, qui etſi in mille gurgites & abyſſos diffluat, non tamen aut deficit aut intumeſcit. Facetè hoc explicat vulgare adagium. *Omnia dat Dominus non habet ergò minus.* & adhuc clariùs Sapiens dum ait, *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.*

Erat autem huic homini diuiti villicus, cui tradiderat bona & opes ſuas. Quis porrò hic villici titulo deſignatur pręter hominē anima rationali dotatum, cui Deus tanta & tam immenſa bona contulit & diſpenſanda tradidit? Mundum nempe vniuerſum omni creaturarum varietate ornatiſſimum: corpus quinque ſenſibus externis nobile, animam rationalem tot & tantis muneribus, & perfectionibus illuſtratam, excellentiſſimis inſtructam potentijs, imagine Dei venuſtatam, proximi ſalutem vt ſuam ſolicitè curādam, & alia multa quę quantum importent, attentiori rationis trutina perpondcrantibus facilè apparet. Quæ tamen omnia non vt Dominus, ſed vt diſpenſator accepit, & œconomus. Fatebatur hoc patientiæ ſpeculum Iob, cum omnia bona ſua in diuina poteſtate recondita agnoſcens, Dominum eum vocaret, & vt talem ſuſpi-
Iob. 1. ceret inquiens; *Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictum.* villicus (ait ipſe) Domini Dei ſum, quæ mihi diſpenſanda commiſerat, abſtulit, eorum vſum vltra denegauit, nulla mihi dolendi,

di, nulla conquerendi occasio.

Diues igitur ille habito de repetenda commissæ villicationis ratione consilio, vocatum ad se œconomum talibus verbis alloquitur: *Quid* (inquit) *audio de te.* Mira diuitis illius lenitas & mansuetudo, mira patientia. alius forte simili habita occasione non ita, verùm laxatis iræ habenis, accensis in flãmæ modum oculis, denique toto vultu præ furoris vehementia immutato, ad primum eius aspectum clamasset: scelerate, prodige, abominande, quanam insania in concreditas tibi opes debacchatus es? qua via possessiones meas sic dissipasti? vel in carcerem missum te inædia perire iubebo, vel patibuli suspendio te perdam. hic autem nihil horum audimus, mitem solum ac humanam vocem suauiter increpantem: *Quid hoc audio de te*? Verè maturè attẽdendus, & imitandus in Iudicijs humanis processus. audienda prius rei responsio, & suauiter expectanda excusatio, antequam inferenda iudicij sententia. Eo modo ante fuit ad excusationem, etsi nullam, admissus Adam, quam morti adiudicatus: *Adam vbi es*? Idem de Cain legimus. Qua de re Nicodemus doctor pharisæos ex 6. Ioannis capite sic arguit: *Nunquid lex nostra iudicat hominẽ nisi prius audierit ab ipso & cognouerit quid faciat?* Iudicandum (inquit) censetis quemquam, nisi vt accusationi ita & excusationi etiam locus præbeatur? Ignoratis ex lege nostra damnari neminem quin prius audita altera parte rei casus magis innotuerit? Præses item Festus in Actibus idem fecisse memoratur. Non est (inquit) Romanis cõsuetudo dãnare aliquẽ hominem, priusquam is qui accusatur defendendi locum accipiat. Eam etiam ob causam Diues ille prudentiæ suę specimen daturus, ait: *quid hoc audio de te?*

Gen. 3.
Gen. 4.
Act. 25.

Egregium planè & sedula dignum imitatione exemplar, quod hic Rex Regum, & dominantium dominus, sub diuitis hominis vmbra iudicibus hodiernis obijcit; qui etsi ex throno suo, cœlum intelligo.

Deus omnia nouit quæcunque sunt. Heb. 4.

intelligo, omnia perspiciat & scrutetur, quæcunque in hoc vię statu inter mortales gerũtur: *Omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius*: nihilominus non cessat assiduis hominum corda mouere susurris & diuinis instinctibus, nihil aliud quam ex cordibus lapideis pœnitentiæ lachrymas exprimere tentat.

Hac via iudices hominum, homines, instructos volens & edoctos, ne vnquam cum præcipitatione subita quemquã reũ mortis, aut grauis sententiæ pronuncient, (cũ sit iustitiæ nouerca præcipitatio) cui excusationis & defensionis tẽpus nõ concesserint. Malè lapsus in hoc videtur Dauid, qui leuiter

2. Reg. 16

nimium admissa Miphiboseth iusto detrahentis expostulatione, innocentem falso delatum bonis omnibus spoliauit, eisque maledicum illum canem satiauit. Sic enim habetur: *& ait Rex Siba, tua sunt omnia quæ fuerunt Miphiboseth.*

Maturius ad seria progreditur diues ille, qui priusquam damnationis sententiam pronunciare aggrediatur, ipsum ex rei verbis & responsione iudicium elicit, inquiens, *redde rationem villicationis tuæ*, non furit, aut debacchatur in dissipatorem bonorum suorum, non comminatur, non carpit aut iracundè increpat, verum cum omni dulcedine rationem repetit, vt inde doceamur, non quotiescunque perpetrantur à subditis defectus, ad correctio-

3. Reg. 19.

nes & pœnarum acerbitates esse refugiendum. Tertio regum volumine exponitur, quod cum Elias propheta nimio ductus zelo regem Achab duriùs carpsisset, dicens: *Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui qui dereliquistis mandata Domini & secuti estis Baalim*, in quodam monte existenti solo declarauit Deus, non semper aut omni in re exerendos esse zeli ardores, sed potius pro occasionum varietate, in suauitate verborum & gestuum attemperandos esse. Quod apertè nonnũquam innuebatur per impetum venti aduenientem: *Spiritus grandis & fortis subuertens montes & confringens petras coram Domine;*

mino: huic tamen nondum inerat Dominus turbini, quod patet ex subsequentibus verbis: *& non in spiritu Dominus.* Deinde subsecutam post spiritum commotionem, docet quod in textu sequitur: *& post spiritum commotio.* cui successit ignis vt ibidem habetur, nec tamen in commotione vel igne Dominus; qui tandem adfuisse designatur paulò post in leui zephiro: *& post ignem sibilus auræ tenuis:* aut vt Hebræi Doctores volunt, *& post ignem vox submissa subtilis.* Qua visione commonitum Eliam Deus volebat, mirum non esse si debitum eius reprehensio sortita non esset effectum, quandoquidem conuenientibus ad hoc medijs vsus non esset: nec enim acerbis iracundiæ motibus, aut grauibus minis ac calumnijs inhæret diuini Spiritus efficacia; sed in lenibus ac quodammodo lachrymarũ fontes ex induratorum cordium petra sugentibus verbis, allectitius magnes latet.

Nec inutiliter cum amplissimo Cardinale Caietano obseruabimus, inter has prophetæ visiones, solam vltimam verè realẽ extitisse, tres alias imaginarias solum, vt inde erudiamur tribus illis, igne nempe furoris inopportuni, vento vehementis iracundiæ, ac terroribus inanium verborum & gestuũ nihil effici, sed solam aliquid præstare in carpendo modestiam, in castigando lenitatem, quæ lenis auræ sibilo ac strepitu significatur. 3. *Reg.* 16.

Sponsæ laudes edisserẽs fidelis spõsus hęc proloqui nõ dubitauit, *labia tua sicut vitta coccinea.* Quod encomiũ exaggerans Philo Episcopus, asserit allusisse spõsũ ad insigne coccineũ, quod Raab celatis vrbis Iericho exploratoribus vt mortię salutis signũ in fenestra suspenderat, pignus inquam, quod quia summo charitatis excessu præstiterat, non absurdè coccineo colore vt vero & genuino amoris symbolo figurabatur. Deniq; probus quisq; vir tanto charitatis affectu æstuat ac ebullit, vt vel ad loquendũ os aperiẽs, vel ad conticendũ labia cõcludẽs similis *Cant.* 4. *Iosu.* 7.

gotiationis ponendam rationem inducemur? *Omnes enim nos* (teste Apostolo) *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnisquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malum.* Indubitatum quidem est & quotidianis experimentis certissimum, ineffabilem esse Dei patientiam, prout indicat Sponsa in Canticis asserens in hunc modum: *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*: Vt inde colligamus ex corporum illorum grauitate, quam sit tardus ad vindictam Deus; certum quidē hoc, certius tamen est & infallibilioris veritatis, nihil omnino ex factorum nostrorum catalogo obliuioni tradi, cuius Deus strictam rationem exacturus non sit. 2.Cor.5. Cant.5.

Quod ad cogitationes spectat, dubij locus non est, quia vt ait Sapiens: *In cogitationibus enim impij interrogatio erit.* De verbis ambigitis, obseruate arctam illam Saluatoris ipsius ex Euangelista sententiam, *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, de ipso reddent rationem in die iudicij.* De operibus quis dubitet, cum prædicet Ecclesiastes: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Immò quod amplius est, Psalmista exquirendam bonorum operum intentionem seuero examine his verbis asserit: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Quod si ipsa etiam bona opera, & otiosa verba discutienda sunt, quo rigore examinabuntur blasphemiæ, execrationes, periuria, & alia id genus abominationum genera? Vbi consistet anima prius sacratissimo Christi sanguine emundata, ac demum spurcitijs, impuris cogitationibus, ac malitiarum sordibus deturpata? vbi corpus, templum illud Spiritus sancti, toties adulterijs, incestibus, ac infinitis sceleribus & excessibus pollutum: Cum testis sit Apostolus, *Si quis templum domini violauerit disperdet eum Dominus.* Denique quid respondebunt Diuites, Mundani, fraudulenti opum congestores, cum de dissipatis, ac inutiliter erogatis ad intemperantiam temporalibus bonis interroga- Sapient.1. Matth.12. Eccles.12. 1.Cor.6.

rogabuntur? fœlices igitur & ter fœlices, qui in secretoribus animæ penetralibus assiduè versant & ruminant illud Euangelicum: *redde rationem villicationis tuæ.*

Vates ille perspicacissimus Daniel, prudentiam
Dan.12. ac secundam monarchæ potentissimi Nabuchodonosor fortunam maximis extollens laudibus, inquit: *Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc,* quasi verè regium, & nobilem animum prædicans eum, qui aquilino intuitu semper
Gen.41. futuræ præmeditatur. Innumeris celebratum fuisse encomijs Iosephum sacræ testantur historiæ, eo quod futuræ sterilitati prouidere regem docuisset, à quo etiam illud reportauit. *Num inuenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit?* Magnum hoc quidem, sed amplioribus dignus erit monumentis & præmijs, qui nunc cum *misericordia Domini plena est terra,* sterilitati successuræ districtionis consulens, animæ suæ horrea virtutum ac bonorum operum messe cumulabit: contra verò illi eo magis condemnandi, qui Iudicij aduenturam seueritatem præstolantes, quasi de nullo solicitandi aut examinandi, spretis bonis, mala sectantur, & inquirunt.

Quanta cum amaritudine hæc recogitabat Iob cùm diceret: *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Idē ferè venerabilis Beda in angelicis historijs cuidam Egberto contigisse recitat: hic cùm in morbum acriorem lapsus, extremam illam reddendæ rationis rigiditatem perpenderet, tanta subitæ apprehensionis vi correptus est, vt è strato desiliens, votis adiunctis & precibus, pœnitentiæ tempus prolixius efflagitaret. Quid parabolæ nostræ limites prætergredimur, attentius obseruate villicum: audita Domini voluntate, trepidat, fluctuat, & quasi desperabundus cum eiulatu subiungit: *Quid faciam?*

Prophetiæ spiritu conspicuus Zacharias, hominem

hem in visione sibi oblatum delineans dicebat: *Leuaui oculos meos & vidi: & ecce Vir, & in manu eius funiculus mensorium.* Vtinam etiam hodie, vtinam oculorum aciem attollens generis humani cæcitas, consideraret excelsum illum & potentem virũ, qui omnia nostra opera cum ipsis cogitationibus funiculo distributionis metitur, inæqualia quæque iustitiæ rectitudine adæquaturus.

In Regum historijs memoriæ traditum est, quod cum Helcias Sacerdos octodecimo ætatis anno regnanti Iosiæ librum legis inter templi mobilia irreuerenter iacentem obtulisset, perspectis Rex legis studiosorum præmijs, ac intentatis eiusdem cõtemptoribus minis & flagellis, in tantum animatus est, vt consulta prophetissa Holda quæ in vrbe Ierosolimitana tunc degebat, potestate sua sanciuerit omnia Idolorum simulachra exterminari, & auitum summi Dei cultum multo cum zelo reduci. Vtinam etiam hodie fideles, Euangelicam legem reuoluentes, ac ex ea Dei clementiam, præmiorum magnitudinem, pœnarumque ac suppliciorum grauitatem ruminantes, ad pios & doctos Viros, Ecclesiæ columnas, recurrerent, & eorum oraculis moniti, vitiorum Idola, cultusque abdicarẽt. Aliud nihil inculcant gemebunda prophetarum suspiria, quam tanti ponderis neglectam considerationem. Audite gementem Ieremiam: *Posuerunt vineam meam in dissipationem, luxitque super me, desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Apertius adhuc eiulantem & quærentem Isaiam ponderate: *Nescierunt neque intellexerunt, obliti sunt enim ne videant oculi eorum, & intelligant corde suo, non recogitant in mente sua, neque cognoscunt neque sentiunt.* Hæc quidem Isaias ad Israeliticam plebem idolis deditam, nobis verò quod dixerunt aut prædicarunt Prophetæ iterat Deus ipse, sub diuitis pallio nos omnes vt villicos monens his verbis: *redde rationem villicationis tuæ.*

4. Reg. 22

Ierem. 12.

Esa. 44.

Herodotus inter varias à varijs ſancitas leges meminit illius quã tulerat Amaſis Aegyptiorũ Rex, qua imperabatur vt ſinguli ditionum ſuarum incolæ, quotannis ad prouinciarum ſuarum præfectos confluerent, fortunarum ſuarum ac rei familiaris rationem poſituri; quem ſequutus ſapientiſſimus Solon, idem Athenienſibus iniunctum voluit. Euãgelicus autem noſter iudex (abſque ſapientiæ diuinæ detrimento dixerim) mutuata velut à nationibus illis conſuetudine, in Matthæi hiſtoria idem ſub humani regis vmbra præſtitiſſe traditur, cum repetito à famulis computo, repertum vnum decem millium talentorum debitorem, vinculis ac tenebrarum exteriorum ſupplicijs deputauit. *Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit ponere rationem cum ſeruis ſuis, & cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta.* Hic autem in noſtro inſtituto diues, villici negotiationem inueſtigans ait: *redde rationem villicationis tuæ.* porro villicationis huius titulo nihil præter vniuſcuiuſq; conditionẽ & ſortẽ ſubauditur, ita vt ſecundũ D. Thomæ ſententiam, à Sacerdote ſacerdotij, à Mercatore mercaturæ, à Iudice iudicij rationem ſit Deus exacturus, vt inde doceamur euitare, quod de ſeipſo plangebat Dauid dicens: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.* non quod oculorum acie captum ſe conqueratur, ſed quod ſic alienis ſcrutandis inſudet, vt propria negligat. Audiamus quid hac de re ſentiat ſcriptura: *Pes* (inquit) *fatui facilis in domum proximi.* Simili nos exemplo commonet ſacra Geneſis pagina ediſſerens; vagum Eſau ſemper camporum ſpatijs, iuſtum autem Iacob nõ niſi in parietum ac domus anguſtijs reperiri ſolitum eſſe. Qua allegoria erudimur proborũ cogitationes propriæ conſcientiæ limitibus coarctari: ſceleratos è contra vagis diſtractionum ac peregrinæ curioſitatis anfractibus diduci, quo certè nihil amentius, cum

Matth. 18. — D. Thom. 3. p. q. 67. art. 3. — Pſal. 33. — Eccleſ. 5. — Gen. 26.

vnicuique in speciali mandetur: *redde rationem villicationis tuæ.*

In hac autem parabolica disceptatione, tria obseruatione digna occurrunt. Primū locū tenet modesta correctio: *Qualia audio de te*: secundum vitæ totius scrutinium: *redde rationem villicationis tuæ*: tertium officij priuatio: *Iam non poteris villicare.* quod tertium quæ de extrema obitus hora intelligendū venit, consonat ei quod Ioan. 9. prædicebat Christus: *veniet nox in qua nemo poterit operari.* *Ioan. 9.* Ad idē hortās nos Apostolus inquiebat, *Dum tēpus habemus operemur bonum*: quia nempe decurso vitæ mortalis stadio, nullus merito vel demerito locus relinquetur. *Galat. 6.* Sed hæc de iudice sufficiant, declinemus nunc ad reum, quid excusationis adferat videamus. Cuius aut quorum personam gerat hic villicus varij varijs certant opinionibus. *Variæ interpretationes.* Inprimis strenuus ille Arrianorū impugnator & Ariminensium antistes Gaudentius, Dæmonem; Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ septimus ab Apostolorum principe Rector, cū Ecclesię Doctore Hieronymo, Apostolos solos ac alios Ecclesiæ Prælatos: Tertullianus è contra Iudaicam gentem: *Tertul. de fuga in persequutione.* Mellitus Ambrosius, Sanctorum Ioannis Chrysostomi in D. Thomam, Augustini in 2. Euangelicarum quæstionum volumen; Bedæ, Theophylacti ac Euthymij confirmatus & adiutus sententijs, huius seculi diuites intelligi volunt: *S. Amb. in comment.* mihi verò probabilior censetur opinio eruditissimi Maldonati, nempe nō peculiarem aliquam hominum sectam, sed omnes omnino generis humani propagines designari.

Quicquid veritati magis consentaneum sit, græco sermone οἰκονόμος, latino dispensator dicitur. Denique totius huius parabolę decursu monitos voluit animarum nostrarum medicus, cunctos diuitiarum huius mūdi copia affluentes, ne sibi velut absolutis earum dominis gratulari præsumant, cùm earum vsum & dispensationem solum velut

œconomi diuinitus acceperint, ſed potius eas ſimi-les ducant flumini vrbem aliquam prætereunti, & non vnius ſed omnium tam ciuium quàm extraneorum vſibus promiſcuo, quandoquidem ea ad torrentis modum etiam inuitis poſſidentium conatibus dilabantur.

In tota hiſtoriarum veteris teſtamenti ſerie tria potiſſimum fidelium œconomorum exempla ſūmis laudibus efferuntur, & mentium noſtrarum oculis obijciuntur. Primum eſt illius, cui tota Abra-
Gen. 24.
hæ Patriarchæ ſolicitudo innitebatur, de quo illud Geneſis: *Poſt mortem Saræ vocauit Abraham ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat.* Secundi vicem gerit Ioſeph toto orbe celeberrimus
Gen. 29.
regiæ Pharaonis domus gubernator de quo extat illud pſalmi: *Conſtituit eū Dominū domus ſuæ & principē omnis poſſeſſionis ſuæ.* Tertius verò domus Achab
3. Reg. 18.
præpoſitus, quem ſacræ litteræ ſic collaudant. *Vocauitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ; Abdias autē timebat Dominū Deū valdè.* Hic autē parabolicus, nō hui⁹ farinæ dicēdus eſt, cū nō diſpenſatoris ſed diſſipatoris nomine aptius demonſtretur. Vnde ex hoc ſolo facillimè colligo eius laruam nemini melius quam peccatori aptari. ô abominabilem & execrandam peccati laruam! vix eſt vllum elementum, aut creatura aliqua ſub hoc cœli ambitu, quæ ei infeſtiſſima non ſit: Non enim ſoli dæmones (de quibus quotidiana experimenta dubio locum negant) omnes ſuas induſtrias in peccatores conuertunt, ſed & ipſa cœlorum ornamenta
Matth. 13.
beatiſſimi Spiritus Diuinis auribus (vt Chriſto Apoſtoli) acclamare non deſinunt: *Vis imus & colligimus zizania?* Quaſi nihil aliud anhelantes quam eorum perditionem & eradicationem. quinimmò myſticè pronunciare audebo illos fuiſſe, qui ſeruum nequam, conſerui minimè miſertum, ad patrem familias detulerunt. Quæ plura videamus, ne
Matth. 18.
forte huc ſpectet quod Saluator diſcipulis cauendum

dum dicebat his verbis: *Nolite contemnere vnum de pusillis istis qui in me credunt; dico enim vobis quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei.*

Quorsum istud, *vident faciem patris*, nisi vt de vobis apud Patrem cœlestem expostulent, si scandali vel offensæ minimum quid demandatis eorum curæ paruulis inferatis. Sed quid hoc in Angelis miramur, cùm etiam insensata non sileant teste propheta Abacuc in hunc modum: *Lapis*(inquit) *de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificorum est respondebit.* Stupete adhuc amplius quod asserit vas electionis Paulus. *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* Quasi innuens etiam ipsa immobilia & insensibilia tristari, quod adeò scelerati & informis peccati causa, hominis dominio subesse cogantur. Quid vltra, tanta est eius enormitas, tantus fœtor, vt quamprimum ad aures Domini sui deportetur, non ob aliud, quam, *quasi dissipasset omnia bona sua.* Actor. 2. Rom. 8.

Trita quidem & vulgaris, sed eò rationabilior quò communior peccatoris, sub dissipationis titulo, accusatio; quis enim non videat omnia animi talenta inutiliter deperdentem, potentias & affectus earum ad malum inclinantem verè dissipatorem Diuinorum munerum appellari? Exempli gratia: est quidam pugil aut cursor cæteros omnes agilitate vincens, quod si ponderibus, vinculis & catenis oneretur, quis exercendæ celeritatis modus? Idem planè hoc in casu aduenit; etsi enim animæ integritati suæ relicta in Deum directè tendat, si tamen vitiorum ac deprauatarum affectionum põderibus deprimatur, immobilis ac carceribus mancipata maneat necesse est. Idem in seipso repertum exclamat Vates regius & dicit: *funes peccatorum circumplexi sunt mè.* Verè itaque prodigus bonorum spiritualium torrens intelligitur peccator, qui virtutum ac operum ornamentis animam expolians, Psal. 18.

prædam tam tyrannis infernalibus constituit, ac omnia eius benefacta obliuionis æternæ calamo delet, teste Ezechiele: *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.*

Ezech. 18.

Verùm antequam vlterius progrediamur mecũ hic obseruet quisquis aliquo ingenij acumine pollet, quid significent hæc verba: *quasi dissipasset*; absoluta non est hæc obiurgatio sed conditionali similis, vt doceatur diffamatus, non prima facie desperationi acquiescendum esse, sed potius vsurpandum esse illum, à Dauide ad Ioab militiæ principẽ habitum sermonem. *Ne te frangat ista res; varius est enim euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius: conforta bellatores aduersus vrbem.* Sic ergo ô peccator, si forte nimio principis tenebrarũ stratagemate prostratus es, *ne te frangat ista res*, quin potius viriliori animo resurgere tenta, memento in antiquo hoc humanæ vitæ conflictu, incertam esse victoriæ palmam, nunc vnum vinci, triumphare alium. Sed forte iniunctum Danieli de excidenda arbore Nabuchodonosor præceptum attentius considerans inquies: Ergo cadendum animo, nullus spei locus, nulla resurgendi copia, sonat enim vox illa: *Succidite arborem, præscindite ramos, excutite folia eius & dispergite fructus eius.* Quid igitur reliquum, nisi desperatio? Sed audi quod sequitur: *verumtamen germen radicum eius in terra sinite, & rore cœli irrigetur.* Radix ita relicta & vberiùs quam ante pullulans, in altiorem quam prius fuerat excreuit, huic te similem arbori peccator arbitrare; orbatus es virtutum folijs, destitutus es bonorum operum fructibus, forte ne ceciderunt virentes piarum voluntatum rami, mansit tamen truncus, viuit radix, perstat fides, quæ gratiæ cœlestis rore perfusa, copiosiora meritorum germina pullulare faciet. Patet idipsum in memorato villico, qui omnium sententia nunquam Domini manibus elapsurus,

2. Reg. 11.

Dan. 4.

duce prudentia vitam cum fortunis incolumẽ reportauit. Hallucinatus sum in his terminis, *quasi dissipasset bona sua.*

Proprijs quidem sed ignominiosis terminis peccator hic denotatur. Verè enim ipse est qui fortunæ, naturæ, & gratiæ bona frustra erogat. Fortunæ quidem, ea lusibus, dissolutionibus ac voluptatibus applicans. Naturæ, vt ingenij viuacitatem, industriam & acumen, memoriæ sagacitatem, ac omnes animæ dotes mille vanitatibus ac dolis impendens. Denique dona gratiæ cuiusmodi sunt instinctus diuini, cœlestes motus, contrarijs affectibus fugans & disperdẽs. Illud ipsum erat vt arbitror Prophetæ Ezechielis intentum dicentis; *Sume gladium acutum & capillos tibi rade, & assume stateram ponderis, & diuide eos, tertiam partem igne combures in medio ciuitatis, tertiam gladio concides, tertiam verò aliam disperges in ventos.* Quæ quidem dicta ad litteram intellecta, Iudæis partim à Chaldæis concrematis, partim armorum vi deletis, partim etiam captiuitati traditis babylonicæ conueniunt. Si tamen mysticum eorum sensum inuestigemus, ea proprijssimè huius seculi prodigis aptari deprehendemus, quorum quidem alij superfluas opes quæ capillis vt naturæ excrementis optimè designantur, concupiscentiarum carnalium ignibus fouendis insinuunt, alij eas litibus, rixis ac alijs dissidijs velut gladijs comminuunt, eas autem alij vanitatum, pomparum, volubilibusque curiositatum ventis exponunt. Eodem in prædicamento reponitur villicus hic, qui dissipatis opibus domini sui *diffamatus est.* 2. Ezech. 5

Apparent hic velut molli ceræ impressi parasitorum ac detractorum morsus, dum conserui conseruum accusant: non attenderant sapientissimo Salomoni monenti: *Ne accuses seruum ad Dominum suum*: detestabilius .n. nihil est inuidis, inter Dominum & acceptum ei famulum discordias semi-

nare attentantibus. Cautum erat hoc ab antiquis notabili industria; qui pestis illius auertendæ gratia, Deam Rhamnusiam freno & fraxini ramusculo in manibus armatam depingebant, eò quod accuratissimus naturalium arcanorum indagator Plinius asserat, tantam esse inter serpentem & fraxinum alienationem, vt si vna ex parte, accenso igne, statuatur in altera fraxinus, potius se comburendum igni sit iniecturus, quam fraxini vmbram prætergressurus. Vt nempe inde instruerētur Principes, nihil esse quod pro imperij ac dignitatis suæ, fœlici & longæuo statu tam faciat, quam si adulatores ac ardeliones, serpentinis morsibus armatos, à suis auribus remoueant ac repellant. Similibus linguarum pestiferarum venenis sauciatus, miser villicus exclamat: *Quid faciam?* Heu me inquit, Dilaniatum est, & viperarum (rationabilium tamen) morsibus lacertum nomen meum, fama mea, pessimi regiminis mei certior factus est Dominus meus, exacta ratione, villicationem à me amouendam statuit, interea labori aut mēdicationi ineptus sum, *quid faciam?* Non *quid dicam* exclamat, sed *quid faciam*, vt inde colligamus non verbis sed factis æternam beatitudinem consequendam esse.

1. Cor. 4. Sentit idem Apostolus dicens: *Non in sermone est regnū Dei.* obseruate si lubet qualiter à se positæ interrogationi, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,*
Psal. 14. respondeat idem Vates, qui secundum cor Dei est repertus. *Innocens manibus & mundo corde:* Mannuū nomine opera bona subaudiens. nec frustra patriar-
Gen. 27. chæ Isaac Iacob filio suo benedictionem impertiēti non suffecerunt audita verba, nisi tetigisset & manus, nempe non solis verbis, sed maximè operibus benedictionem eamque in primis æternam promerendam innuens. Vnde villicus: *quid faciam?* vox ei simillima quam diuinis auribus ingerebat patientiæ miraculum Iob, inquiens: *quid faciam ti-*
Iob. 7. *bi ô custos hominum?* modestum tamen & in suis tem-

peratum

peratū redolens hominē. Vnde liquet quāto probis & iustis sint astutiores improbi in hoc genere. Fauet Euāgeliū: *Filij hui⁹ seculi prudētiores sūt in generatione sua quā filij lucis.* Etenim securi quiescebant Apostoli cū excubaret Iudas proditor scelestus. sic apertis noctu vigilāt oculis bubones & bufones aduētāte diei splēdore cœcutiētes. ita planè linces sūt in malo mali, talpæ in bono. Funestā illā ac regis exitiū prætendētem manum nihil videntibus Baboniæ Magis, solus vidit & portentum explicauit Daniel. Ita prorsus cœlestia minimè capiunt talpæ mūdani, in terrenis argi. In eorū schola didicerat hic villicus effectui mancipare quod nec alij cogitare, minus audere præsumpsissent, *quid faciā?* — *Matth. 27* — *Dan. 5.*

Audite quid dicat, *quid faciam?* nempe hodiernorum secularium numero aggregandus qui negotiorum ac tumultuum curialium expertes viuere se non posse existimant. Extat illud Romani Senatoris memoriæ traditum, dignumque memoratu, qui accepto à Cæsare capessendæ ob senectutē decrepitam, quietis consilio, adeo agrè tulit, vt accitis famulis funebria quæq; sibi viuo apparari mandaret, inter se & mortuum discriminis nihil constituens quamdiu forensibus curis eximeretur. Quot hodie huic & Vrię Etheo comparandi inueniuntur, qui potius inutilibus & sæpius imparibus laboribus virium, & vitæ fortunarumque iacturam adsciscere eligunt, quam quietis honestæ consilio acquiescant. Negotiationum auidus ingeminat hic villicus, *quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco.* Audite prodigum Euangelicum, ministerij seruilis labores reformidantem, cum aliorum circa se famulorum cateruas expertus esset. Audite præsentis sæculi sectatores, voluptatū asseclas, quibus si de perferēdo vigiliarū ac ieiuniorū labore, si de reliquēdis propriarū volūtatū appetitib⁹, si de pœnitētię rigore, corporis mortificatione, aut mūdanarū abrenunciatione pōparū sermonē facias, q̄ primū mollem — *Negotia secularia difficile relinquūtur.* — *Luc. 15.*

mollem inter dapes & epulas educationem, complexionum teneritatem & huiusmodi futiles nugas allegantes, cum villico ingemiscunt, *fodere non valeo, mendicare erubesco, quid faciam?*

Duce tandem prudentia fœlicem agonis sui sortitus est exitum. Conuocatis enim conseruis suis eiusdem Domini condebitoribus, vni quinquaginta cados olei, alteri multam frumenti copiam dimittens, non solum imminentem sibi calamitatis vim effugit, verùm etiam pristino diuitis fauori restitutus, plurimam etiam ab eo laudem reportauit. Aduertite imitandam Saluatoris nostri suasu astutiam, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. D. Hieronymus mammonæ nomine in idiomate syriaco diuitias intelligi asserit, cui Dominus noster iniquitatis attributum annectit; vel quod vt plurimum iniqua via coaceruentur, vel quod ad iniquitatem possessores suos penè semper inducant, quæ tamen mortalibus multum emolumenti conferūt, si in misericordię operibus & eleemosynis erogentur. Solam hanc restare Regi Nabuchodonosor viam ad mitigandum supremi Iudicis furorem insinuabat Daniel cùm diceret: *peccata tua eleemosynis redime.* Vt enim declarauit hominum eruditissimus Salomon: *Sicut aqua extingit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis.* Exerat licet natura vires omnes suas, nunquā in obliterando vno peccato poterit, quod solius eleemosynæ efficacia valet. Nescio sanè quid diuinum & cœleste participat eleemosyna, quod enim vnigenitus Dei filius pretiosissimi sanguinis effusione præstitit, solius eleemosynæ virtuti conceditur.

Eleemosynæ vis & efficacia maxima.

Ecclef. 3.

Magnus ille Patriarcha Iacob, cùm ex Mesopotamia vxorum, liberorum, ac gregum suorum caterius stipatus reuerteretur, cognito pernicioso fratris sui Esau occursu, vniuersam salutis spem misericordiæ attribuens, ad dona refugit dicens: *placabo eum muneribus*. Ita planè si excandescentem in

Gen. 32.

nos

nos Deum ter Optimũ Maximum placare voluerimus, imitemur regem illum Euangelicum & in eius occursum mittentes legatos, id est pauperes, eleemosynarum nostrarum muneribus refocillatos, *rogemus ea quæ pacis sunt*. Super hac re differens Deo dilectissimus Dauid exclamabat: *Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur*. Ad cuius intellectum variæ concurrunt sententiæ: *Disponit sermones in iudicio*, Rabbi Abraham intelligi vult, ordinatè loquitur. Kimhi verò cum Symmacho quia Danar transcendens est & pro re sumitur, *Disponit sermones suos in iudicio*, prudentem & maturam bonorum distributionem denotari volunt: & secundum Rabbi Salomonem, *Disponit sermones in Iudicio*, idest, ita moderatè vitato luxu suis vtitur, voluptati superflua rescindendo, vt semper aliquid in pauperum vsum reseruet. Vulgarior tamen sensus est, *Iucundus*, idest, beatus homo qui tanto commiserationis affectu pauperibus compatitur, & conciliato sibi superni Iudicis fauore damnationis æternæ sententiam nunquam auditurus sit. Luc. 14. Psal. 111.

In extrema sua voluntate Dauid Filio Salomoni misericordiam commendatam volens, ne vnquā filijs Berzellai Galaaditis, qui eum exulem cum toto exercitu oportunis alimentis sustentauerat, ingratus existeret monuit, verba sunt hæc: *Filijs Berzellai reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua, occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalon.* Discite fideles & effectui mancipate latens in hac figura mysterium; hodie in pauperibus suis velut exul & fortunis temporalibus destitutus vagatur Christus, ad illius Galaaditæ normā, lacero, esurienti, ac exuli eleemosynarum copia muniti occurrite, in eius regno post huius vitæ curriculum centuplum recepturi. 3. Reg. 1. 2. Reg. 17. & 19.

Raab meretrix quæ Israelitas exploratores spicis & aristis opertos saluos reseruauerat, eo ipso facto in

cto in vrbis Iericho deuastatione incolumitatē sibi promeruit. Quid spicis & aristis intelligendum putatis, præter ipsas opum vestrarum superfluitates & reliquias, quibus si egenos consolati fueritis, incolumitatis certitudinem in vltimo totius orbis excidio referetis? Hortatur idem animarum nostrarum Salus inquiens: *Quod superest date pauperibus.*

Superflua pauperibus erogāda.

Lucæ.11.

Stupebunt fortasse multi, si mirabile, verissimum tamen proferam: munificas nempe in Christi pauperes manus, non minuere, sed potius augere opes, remque familiarem; patebit hoc amplius exemplis & similtudinibus euidentissimis. Quamdiu Elisei prophetę pauperiei subleuandæ fudit oleum vidua, tamdiu vacuis immissum vasis creuit oleum, quod tamen defecit vbi fundere desijt. Quo exemplo erudimur; non perituras opes, quamdiu in vacuis auro pauperum vasis reponentur, sed potius incrementum multo cum fœnore accepturas; quò magis exhauriūtur aquæ puteanæ, eò copiosius recurrunt. Benedictionum putei sunt charitatis opera, quæ quò magis depromuntur ex largientium animis, eò vberius grato Dei miraculo fœcundantur: vbi verò negantur eleemosynæ, deficit ipsa quoque affluentia.

Liberaliter eleemosynas dādo opes augentur.

Stagnorum & paludum aquæ immobiles, præter bufones, serpentes ac sordes nihil parturiunt; fluentes autem aquæ; amœnę, suaues, omnisq; generis piscibus fertiles sunt. Eadem porro ratione delitescentes in arcis diuitię, nihil præter animarū inquinamenta, venena, scelerumque turpitudines edunt, sed ante pauperum casas decurrentes benefactorum torrentes, meritorum gemmas vberrimas & apprime cōducibiles secū vehūt. Eadem quoque notissima rusticorum praxis, qui fructum à segetibus non in horreo congregatis, sed per cāporū planities sparsis expectant. In idem redire videntur regij psaltis verba: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Volu-

Volucrium coriphœa aquila, ac quadrupedum princeps Leo, vnam à natura conditionem participant; hæc animalia deprehensa præda varijs cincta aliorũ ordinibus eodem quæstu victitantibus redeunt, & libera voluntate quæ supersunt cæteris largiuntur: eis verò maximè dispares vrsus & vultur, vel omnia deuorãt, aut occultata reseruãt. Liberales & largi in pauperes cum aquila & leone conueniunt, auari verò & suorũ tenaces alijs assimilantur. Hic igitur cum Euangelio concludã. Agite ergo animæ fideles & ex hac parabola sapite, memẽtote Deum diuitem, nos autem villicos bonorum eius dissipatores, semel nihilominus rationẽ posituros; nobis aliquãdo improbabit Diues ille, *quid est, quod audio de te*? Episcopi, Pastores, Prelati, quid audio, liberi greges vestros turbant lupi, dissolutè viuentes sacerdotes templa negligunt, sacramentorum ministeria aspernantur parochi, curarum incapaces. *Quid audio de te*: præter aulam, venationes, canes & similia nihil curatis, Ecclesiarum redditibus insolescitis, animarum salutem flocci penditis: *redde rationem villicationis tuæ*. *Liberales & auari quibus assimilentur.* *Conclusio*

Eheu pastor incurie omnium tibi commissorum cogeris reddere rationẽ, potissimum verò animarum, scribente ad Hæbreos Apostolo. *Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Strictissimum gregum suorum computum expostcebat Laban à Iacob, ipse autem imposita sibi falsa crimina eluens inquiebat: *Idcirco viginti annis fui tecum; oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes greges tui non comedi. nec captũ à bestia ostendi tibi, ego dãnũ omne reddebã, quicquid furto peribat à me exigebas.* Ieremias verò: *vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices cùm visitauerit te? nunquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem.* *Hebr. 13.* *Gen 31.* *Ierem. 13.*

Tibi inquam Sacerdos, tibi aliquando dicetur *Quid audio de te? redde rationem villicationis tuæ*, qualis in vita tua extitisti, pastor an impostor,

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam. Luc. 19.

FIGVRA.



Acræ literæ in historia libri Hester, probi senis Mardochei mentionem facientes, inter alia memorant, quod cũ Rex Assuerus ob delectas ptoditionis in se machinatæ fraudes, Mardocheum remunerandum condignis honoribus decreuisset, ac tandem statutæ diei emenso spatio in equo regio regijs vestimentis nec non purpura conspicuus, nobiliumque cateruis comitatus graderetur, acclamante per omnia vrbis compita Aman præcipuo regis assessore: Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare, ipse tamen maturus senex contemptis honorum omnium pompis, in lachrymas diffundi cœpit, perpendens nempe imminentem sibi & toti genti suæ ab Aman principe comminatam, & à rege sigillatã perniciẽ & interitũ. Videre erat inibi alta suspiria ducentem Mardocheum, ridentibus & gloriæ eius applaudentibus cæteris hebræis, nec propinquam sibi calamitatem attendentibus. Ego verò dum Euangelij hodierni arcana meditor, conspicere videor Mardocheum alium, nempe Christum Dominũ inter populi Iudaici fauores & acclamationes, decretũ à rege regũ Deo triũphũ ducẽtẽ, ingeminãtibus pueris & alijs: *Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini;* flentẽ nihilominus, & præuiso Ierosolimitanæ ciuitatis excidio, quasi tacitis interrogationibus respondentem: *Quia venient dies in* Ester. 6.

 te, &

te & circundabunt te inimici tui vallo. Ciuitatis huius infortunium & luctus occasionem latius explanabimus, obtenta prius per intercessionem Dei Genetricis, spiritus Sancti gratia. *Aue Maria.*

Sanctissimi quique Patres ac fideles Heracliti, qui de multa piarum lachrymarum vi & efficacia disseruerunt, easque quæ vel pro nostris vel alienis defectibus expenduntur, specialibus encomijs celebrarunt, in tantum earum virtutem exaggerauerunt, vt ea quæ dicere ausi sunt, non immeritò in mirabilium numerum referenda sint.

Cassianus in primis, Diui Ioannis Chrysostomi auditor, ac deinde in his Galliæ nostræ limitibus Marsiliæ Antistes, hæc proloqui non dubitauit, cuius hæc sunt verba: *Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, & absolutio peccatorum, refectio* *Lachrymæ Deo gratæ ijsque placatur.* *mentium, lauacrum culparum.* Mellifluus ac pius Doctor Bernardus addidit: *Delitiæ Angelorum sunt lachrymæ nostræ, & delectabiles lachrymæ pœnitentis.* Sed vtrisque prædictis excellentiora, & nobiliora sunt quæ mellitis labijs distillauit Hieronymus in hunc modum: *O lachryma* (inquit) *humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te accedere vetet: magis crucias diabolum quam pœna infernalis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipo-*
Matth. 5. *tentem, inclinas filium virginis.* Ipse mundi Redemptor ore proprio beatissimos esse lachrymabundos pronunciauit. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Similium exemplorum plena sunt sacra elo-
2. Reg. 12. quia. Nisi lachrymatus esset propheta Dauid, nunquam vitæ, vel regni securitatem assequutus esset;
4. Reg. 20. quia *ad parietem conuersus fleuit amarè* Ezechias, quindecim annorum spatium vitæ suæ protrahen-
Matth. 28 dæ meruit. Apostolorum principem, abnegato
Luc. 7. Deo lachrymæ conciliauerunt. Gemitibus & lachrymarum fontibus Maria Magdalena delictorũ suorũ turpitudinẽ obliterauit, & veniã impetrauit.

Vnde

Vnde sacræ eloquentiæ princeps Chrysostomus inde collegit, lachrymas baptismi iterati nomen & rem merito sortiri; quia quemadmodũ baptismus peccatorum omnium maculas eluit, ita lachrymæ in conscientiam delapsæ, idem præstare dignoscũtur; cuius causa monebat Ieremias: *Laua à malitia Ierusalem cor tuum vt salua fias*. Psaltes autem Regius canit: *Tu contribulasti capita draconum in aquis*, Aquarum nomine, lachrymas, & capitum draconis titulo, præcipua & fœdiora peccata intelligens. Insignem huius rei typum in Pharaonis subuersione cõspicimus cùm dicitur: *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites, cuncti exercitus Pharaonis qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis*. Quo portento doceri debemus, verum illum Pharaonem infernalis Chaos principem, cum vniuerso vitiorum exercitu, certissimum in lachrymarum vndis naufragium passurum. Beati igitur qui lugent, quia *qui seminant in lachrymis in exultatione metent*. Fortissimus Monarcha, Philistinorumque pauor Dauid, Deum sibi propitiaturus inquiebat; *Auribus percipe lachrymas meas*. Deinde consequutus quod optauerat, cum gratiarum actione exclamat: *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Vbi legunt alij: *lachrymas meas repone in ventrem tuum*. Significantes quam gratę sint illæ diuinę maiestati, vt quæ etiam in eius visceribus domiciliũ obtineãt.

Homil.15. in Matth. — *Ierem. 4.* — *Exod. 14.* — *Psal. 125.* — *Psal.38.*

In Iudicum Annalibus memoratur, quod cùm accepisset à Iephte patre internuncio terminandæ vitæ necessitatem regis filia, cum rogauit vt sibi lugendę virginitatis copiam ad duos menses impertiretur, quo etiam fine præcabatur Sanctus Iob: *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam & opertã mortis caligine*. Psalmista verò flagitabat: *Quoniã aduena ego sũ & peregrinus, remitte mihi vt refrigerer priusquã abeã & amplius nõ ero*. Vnde deprehẽdere potestis, omnes illos nõ aliã ob causã vitę suæ pro-

Iudic. 11. — *Iob.10.* — *Psal.38.*

longationem optasse, quam vt lachrymis vacarent; cùm è contra mundani hodierni, risui & dissolutionibus nihil præferant. Natiui soli finibus exterminati filij Israel, etsi continuis Babyloniorum precibus vrgerentur, vt musicis concentibus vacarent; nunquam tamen acquieuerunt. Vnde dicebant:
Psal. 136. *Super flumina babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion, in salicibus suspendimus organa nostra.* Nos erudientes, quamdiu huius babylonici seculi climatibus à patria cælesti extorres coarctamur, non lætitiæ, sed lucti & gemitibus assiduè indulgendum esse. Idem faciente & alijs suadente
Psal. 6. Dauide his verbis: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Cælesti illi & beatissimi Spiritus, ad hoc diuina prouidentia præordinati, vt in fine mundi electos ab alijs segregent, peculiarem notandorum lugentium curam à Deo accepisse, Ezechielis testimonio perhibentur.
Ezech. 9. *Ite*(inquit)*per Ierusalem, & signate omnes qui lugent super iniquitates quæ fiunt in medio Ierusalem.* Quo in præcepto duo est aduertere. Primum, lachrymis nobis ad cælestem beatitudinem iter aptari: Secundùm, prædestinationis æternæ prognosticum, lachrymarum frequẽtia desumendum. Quibus addo tertiùm, nullam esse tam meritam lachrymarum ansam quam bonorum spiritualium, tam ex nostra quam proximi parte iacturam.

Primi Paralipomenon 14. capite legimus, quod cũ Dauid Idololatras armorũ vi proprijs finibus expulisset, eorũ idola ex tẽpore flãmis adiudicauit. *Dereliqueruntque ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri:* Quem in locum quærit D. Augustinus, quæ ratio Principem illum ad illud incitauerit, & subiungit: quia lachrymis illos velut sacrificijs placabant, quæ suauissimos in conclaui diuinæ maiestatis odores exhalantes, merito soli Deo debentur. Sed hæc ad exordium redundant, lachrymas ipse vix cohibeo, cùm hodiè flentem Dominum attendo, *Cum appropin-*

pinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam. Verba sunt textus, quibus vt me accommodem, primò infaustum vrbis excidium, inde fletus occasionem inquiram, quod dum aggredior, vos etiam lachrymarum fontes ex cordium vestrorum petris excutere conamini.

I.

Quoad primam partē, celeberrima illa & tribus Beniamin Metropolis, diuersis ætatibus, diuersa sortita est nomina. Nam Abrahami temporibus Salem & Solima, deinde Iebus in Libris Iosue, tandem Dauidis armis & ditioni substrata Ierosolyma dicta est. Amœnissimum situm obtinuit in montis excelso vertice, contiguis binis collibus, in quorum vno Moria nomine, magnificum illud & eximium templum Salomonis erectum est, in altero arx Sion totius vrbis propugnaculum. Mira & inaudita sunt quæ de ea scribit Iosephus asserens inter alia tantam fuisse eam incolentium multitudinem, vt vsque ad duos hominum milliones extenderetur. Ea tamen in suorum scelerum vindictam, tum à Sirijs, tum, à Babylonijs Tyrannis incursus, nunc à Nabuchodonosor spoliata, nunc ab Antiocho partim vastata, partim direpta pertulit. Excitatas à Romanis strages sileo. Quorum postremus Titus eam funditus eruit, ac euertit, deletis tā fame quam armis vndecim centum millibus hominum: & nonaginta septem millibus, quorum triginta vno denario emebantur, venundatis. Hæc & similia Egesippus natione Iudæus historicus, Eusebius Cæsareæ in Palestina Episcopus, & alij, accuratissimè tamen omnium Iosephus præsbiter Iudæus, præter 20. Antiquitatum Iudaicarum volumina, bellum istud supremum 7. libris complexus est.

Meritissimam sanè peruersissimæ gentis castigationem prophetarum oracula manifestissima prænunciarant. Dauid in primis cecinerat: *Fiat habitatio eo-* *Psal.68.*

tio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Vaticinatus erat Daniel: *Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*. Prædixerat Esaias: *Et relinquetur filia Sion vt vmbraculũ in vinea, sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur*. Demum Scripturarum consummator Christus Dominus dixerat: *ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Sed attendite quam scitè significauerit hoc Ezechieli Dominus sic ei præcipiens: *Sume tibi laterem & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & ædificabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro*. Quæ licet de Chaldæorum victoria & Babylonica captiuitate plurimi intelligenda iudicent, Rupertus tamen Tuitiensis luce clarioribus notis & signis ostendit, ea appositissimè postremis Titi & Vespasiani cœdibus attribui. Quæ quidem tantæ ciuitatis depopulatio, etsi multis de causis deflenda videatur, maxima tamen esse potest templi illius admirabilis, quod teste Galatino, vulgari adagio ab Hebræis dicebatur, hortus fructuum aureorum. Velut mobilium aureorum & argenteorum affluentiam designare volentibus.

Dan.9. *Esa.1.* *Matth. 25*

Non erat procul dubio conferenda destructio tantæ molis, ruinæ illi domus Euangelicæ, de qua S.S. Mattheus & Lucas: *Et cecidit & fuit ruina illius magna*, Sed ei potius de qua Psaltes Regius inquiebat: *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*. ei inquam in hoc Euangelio prænunciat Redemptor noster his verbis. *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem*. Interea vitiorum ac sordium tuarum cœno volutata, & scelerum caligine excœcata nihil præcogitas, nihil apprehendis: *Quia si cognouisses & tu*. Vbi si acceptum

Matth. 7. *Luc.6.* *Psal. 136.*

tum pro *vtinam*, immensam salutis eius cupiditatem in Deo denotat.

Verissimum planè est & experientia quotidiana notissimum, tunc maximè mortalium mentales oculos offuscari, cùm prosperis & secundis temporibus vti conceditur. Patet idem in eo qui phrænesi corripitur, qui quanto vicinior est morti, lugentibus cæteris ac eum plangentibus, solus ipse ridet, iocatur, ac salit: ita planè iustis animarum pastoribus, ac ipsis etiam Angelis lugentibus exultant scelerati, deciliarum suarum gurgitibus immersi. Hoc deplorabat Ieremias inquiens: *Sordes eius in pedibus eius nec recordata est finis sui*. Qui autem huius & aliorum prophetarum ora aperuerat, hodie suū aperit etiam & dicit: *non relinquent in te lapidem super lapidem*. Antiqui illi & sancti Vates, impendentem genti alicui calamitatē & miseriā exaggeraturi, nō solū verbis sed & gestibus inusitatis vtebantur. Esaias in primis captiuitatem Assyricam prænūciaturus, nudis pedibus vrbis Ierosolimitanæ compita deambulat. Ieremias ferinam Babyloniorum sæuitiam prosignificaturus, collum catena ferrea coarctatum, per vrbis plateas ostentat. Ionas iniuncta sibi cœlitus legatione functurus, & Niniuitarum animos ad pœnitentiam perducturus, omni indumento spoliatus, & qualis à ceto euomitus fuerat, eorum portas & ciuitatem ingreditur. Denique Nouissimus omnium, cæterorum tamen Doctor Christus Dominus, vt saltem aliquid ab induratis Iudæis pœnitentiæ extorqueat, eorum perniciem facie lachrymis irrigata prædicat, qui attestante Sapiente, *non lætatur in perditione viuorum*. Vnde etiam manifestissimum fit diuinæ iustitiæ iudicium, non ante Deum ad regnorum, prouinciarum, ciuitatum ac familiarum castigationes, & flagella procedere, q̄ publica scelera sub impunitatis pallio latere aduertat. Hanc ob causā Sodomā & Gomorrā igne, mūdū vniuersū diluuio, Samariā fame

Thren. 1.
Esaiæ. 20.
Ierem. 27
Sap. 1.

fame ac sterilitate, postremam omnium Hierosolimam Romanorum armis vastare ac perdi permisit; ipsi orbes cœlestes in impunita piacula desæuire velle videntur: *Denique non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Eruditissimis rationibus probat Angelicus Doctor D. Thomas, non constare prædestinationẽ ex præscientia meritorum, quid hac de re sentiendum sit non ambigo, indubitatum tamen est ex præscientia peccatorum luce clariora reprobationis indicia colligi. Fauet Oseas propheta dicens: *perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Ipse etiam Christus Dominus, Iudæorum exitium ex propria eorum malitia deducens, lachrimis perfusus eos à feris potius quàm hominibus passuros præmonet. In hoc recidunt minę dicentis Oseę. *Comedet eam bestia agri, & visitabo super eam dies Baalim quibus accendebat incensum.* Ecce punitionis augmentum, non hominum, sed bestiarum; nec bestiarum familiarium, sed etiam ferarum manibus tradendas asserit. Eundem loquendi modum vsurpat Dauid Deo supplicans: *Ne tradas bestijs animas confitentium tibi.* Vbi vertit paraphrasis Chaldaica *ne tradas populis similibus animalibus syluestribus animas discentium legem tuam.* Ezechiel eodem modo inquit. *Bestijs terræ dedi te ad deuorandum.* Bestiarum epitheto feritatem animalem designans, nec hoc incongruè etiam huic Euangelio additum fuisset, quæ enim hac terribilior crudelitas, *non relinquent in te lapidem super lapidem?* verus Deus ac verus homo Christus Iesus in essentiæ diuinæ speculo cuncta quæ sub sole geruntur considerans, ea omnia perspicacissimis oculis distinguebat quæ in vaticinijs suis Propheta Sophonias, multis antea temporibus deplorauerat. *Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba. Principes eius in medio eius quasi Leones rugientes, iudices eius lupi vespere, nõ relinquebant in manè. Propheta eius vesani, viri infideles: Sacerdotes eius pollue-*

Osea. 13.
Osea. 2.
Psal. 79.
Ezech. 19.
Sophon. 3.

polluerunt sanctum, iniustè egerunt contra legem. Denique quò finibus, eò vitijs ampliores ciuitates esse videmus.

Taceo Amphidem dicere solitum, ciuitates esse tragœdiarum, ac calamitatum theatra; memoratū potius velim Stratonicum Atheniensem, qui cùm Heraclea vrbe egressurus esset, muris ac portis circumspectis, cur id faceret interrogatus, respondit: pudet si videar exire è lupanari. Hæc dicta sint ad rem, eò quod etsi vitijs enormes exiterint multæ vrbes, Hierosolimitana tamen vitiorum ac scelerum abominationibus semper scatuit supra modum.

Narrat Goropius Decanus priscos Saxones hoc symbolo fœlicem & ordinatum reipublicæ alicuius statum figurare solitos. Primo statuebant Imaginem triplici nomine, Her, Man, Sal, appellatam, & his verbis circumductis agnoscibilem. *Dux ego gentis Saxonum, victoriam polliceor venerantibus.* Sic autem erat statuę habitus: à capite ad pedes vsque armata stabat, solum pectus detectum apparebat; in dextera vexillum varijs distinctum coloribus, & in medio rosæ effigie insignitum; in sinistra bilancem vrso comitatam, & in scuto furibundi leonis imaginem ostentabat. Sedula obseruatione condigna mysteria. Tribus illis nominibus virorum communis conseruator intelligebatur. Her communis, Man vir, Sal conseruator; hæc omnia ad perfectum reipublicæ statum desiderari significabant. Arma quidem propulsandis intestinis & extraneis hostibus, maximè verò coercendis domesticis consilia. pectus omni rancorum acerbitate nudatum. Leonis in externos sæuitiam, & vrsi cui duo à natura tribuuntur similitudinem. Primùm quod inter cœtera animalia catulos suos accuratissimè fouet & diligit. Secundùm, quo mirabili industria quæcunque alia animantia vincit & superat. Prius denotat in republica probè constituta, mutuam

Saxones prisci ad designandum felicem Reip. statum quo symbolo vsi sint.

inter ciues tam infimos quam supremos, diuites quam inopes, fouendam & accendendam esse dilectionem. Posterius Republicarum moderatores, ad ciuium salutem nihil omittere, verum omnia etiam maximè ardua moliri debere. In vexillo verò colorum varietas, nihil aliud quam subditorum cum Principibus, & Magistratuum cū ciuibus, concordem animū adiuncta rosa amoris symbolo designat. Denique libra velut omnium perfectio, & iustitiæ typus apertè docet qualiter in omni republica boni premijs animandi, mali pœnis coercendi sint. Hæc omnia in vnū coacta fœlicissimum reipublicæ ordinem constituunt. Infœlix è contra illa sēper est, quæ sapientes habet operibus destitutos, iuuenes obedientia, diuites misericordia, mulieres honore, Christianos religione, pauperes humilitate, Episcopos solicitudine, populum disciplina aut lege, & quod maximè deplorandū, Regē aut Principē, qua omnes inferiorū difficultates sedare possit carentē scientia patitur. Quæ simul considerata, infortunatam rēpublicā efficiunt, & Ierosolymitanæ similem, de qua clamabat Vates Isaias: *Omne caput languidum, & omne cor mærens*. Non mirum igitur si eius calamitatem prospiciens Christus exclamet: *& non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Isa. 1.

Quam apposité hæc hyperbole spirituali ruinæ tribuitur. Peccatum enim cùm vnquam in hominum animis dominium obtinuit, tantas virtu tum strages excitat, & ita totam bonorum operum ac piarū inspirationum structuram demolitur, vt ea cum propheta regio merito ingemiscere possit inquiens: *ad nihilum redactus sū, & nesciui.* Quin immò, etsi contra rationalem animam coniunctis viribus certarent omnes homines, & quod amplius cū omnibus creaturis suis ipse creator Deus, etsi incōprehēsibiles pænas & cruciatus illaturus esset, tēporales tamē essēt, cū nec Angeli, nec Dæmones, nec Deus animam culpa vlla fœdare queant. Peccatū verò in mentem

Peccati grauitas & fœditas.

mentem admissum æternas pestes ac luem inexplicabilem ingenerat. Concludit in hunc sensum Doctor Angelicus docens, *Malum culpæ cunctis partibus maius est omni malo pœnæ, nec tantum pœnæ sensibilis, sed & malo damni, quod est carentia diuinæ visionis, quod malum infinitum dicitur, quia bono priuat infinito.* Conclusionis rationem adfert, quia malum culpæ hominem *simpliciter* malum efficit, quod nō potest malum pœnæ. Hinc patet quam rectè de hac ruina, euersis omnibus & eradicatis bonorum operum, virtutū, meritorū, cogitationū lapidibus, relicto solo fidei fūdamēto dicatur: *Exinanite exinanite vsque ad fundamentū in ea.* Hic nēpe lachrymarū diuinarum finis: *Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam.* & est residuum huius materiæ. Exponit S. Lucas quanam ratione fleuerit, & ingemuerit mundi Redēptor, conspectis ciuitatis illius, quam vltima vice ingressurus erat mœnibus & ædificijs, Diuinitatis oculo prospiciēs innumeras & inauditas induratæ gentis calamitates ex Titi & Vespasiani persequutione sequuturas. *Christus quater fleuit & quando.* *Videns ciuitatem fleuit super illam,* Lachrymatū quater Christum Dominum sacræ paginæ commemorāt; Primò in ortu suo: *primam vocem similem omnibus emisit plorans.* *Sap. 7.* Secundò in suscitatione Lazari: *Lachrymatus est Iesus.* *Ioan. 11.* tertiò pendens in cruce: *cum lachrymis & clamore valido exauditus est.* *Hebr. 5.* quartò denique in hoc proposito: *Videns ciuitatem fleuit super eam.* Celeberrimus temporum testis Valerius Maximus de Marco Marcello scribit, quod cum Euxille in obsidione Syracusana ad arcis cacumen ascendisset, præmeditans vrbis infaustæ exitiū ita commotus est, vt etiam præ nimio compassionis affectu lachrymari non dubitauerit. Idem profectò hic Saluatori aduenit, cùm impendentes Hierosolimitanę ciuitati clades præuidens, præ commiserationis zelo lachrymarum imbres emittit.

Indecorū in Principe vel Magnate opinabantur prisci,

prisci, flere & plorare; vnde dignum morte existimauit Alexander Magnus Iuuenem illum, qui tā lugubria spectacula exhibuerat, vt regiæ lachrymæ etiam coerceri non potuissent. *Viscera* (nempe) *impiorum crudelia.* Quam ob causam probè cecinit diuinis clarissimus eloquijs & vaticinijs Amos: *Væ qui opulenti estis in Sion, nihil compatiebantur super contritionem Ioseph.* Verùm superstitionem hanc exemplo proprio eludit Rex Regum & Dominus Dominantium Christus. *Videns ciuitatem fleuit super illam.* O piæ lachrymæ, quibus instruimur ex consilio Sapientis vana sæculi gaudia spernere: *risum reputaui errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis.* Qui etiā alio in loco fletus & lachrymas principū delicijs præfert dicēs: *melius est ire ad domū luctus quā ad domū cōuiuij.* Credere differtis Sapiēti, eū audite in cuius schola hæc didicit Dominum comminantem: *Væ vobis qui nunc ridetis quia flebitis.* audite inquam magistri verbis assentientem discipulum. *Risus vester in luctum conuertetur.* Vnde inter omnia gesta Christi quæ memorant Euangelia vel prophetiæ, in toto vitæ suæ sanctissimæ theatro nunquam ridentem, sæpius lugentem exhiberi compertum est; denique quasi alter Heraclitus: *Videns ciuitatem fleuit super illam.*

Prouer. 12 · *Amos. 6.* · *Eccles. 2.* · *Eccles. 7.* · *Luc. 6.* · *Iac. 4.* · *Christus nusquam risisse legitur.*

Hoc sibi velut proprium vindicare videtur Deus ter Optimus Maximus, vt prius humanę fragilitati, clementiæ suæ alas expandat, quam ad iustitiæ suæ seueritatem transeat. Hanc ob causam olim dederat populo Israelitico sese imitandi mandatū his verbis: *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: si acceperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo: sin autem fœdus inire noluerit & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Eadem prorsus lege duci se patitur circa homines, vt nempe pacem prius & misericordiam offerat, deinde renuentibus, Iudiciorum suorum districtionem intentet.

Dei misericordia præcedit iustitiam. · *Deut. 20.*

Intereſt illud ſolum inter eximias illas bonitatis diuinæ conditiones & attributa diſcrimen, quod vt Iuſtitiæ rigorem exerceat, meritorum pondus diſcretionis ſuæ libra attendit, vt autem miſereatur, non ita. Clemens Alexandrinus columna nubis & ignis deſignatum fuiſſe hoc idem docet his verbis: *Nubis enim eſt refrigerare atque à ſolis æſtu & ardore protegere: ignis verò contra comburere atque vaſtare: quos ergo nubes non fouet, ignis vaſtat: & ideo quiſquis reijcit vmbram refrigerantem, ignem ſentiet comburentem.* Itaque Iuſtitiam ſemper anteit miſericordia vt hinc clarum eſt: *videns Ieſus ciuitatem fleuit ſuper illam.*

Porrigit clementiſſimus Iudex vna ex parte lancem, vibrat altera gladium; hinc vitam, illic mortem; hinc præmia, intentat illinc ſupplicia. Quæ metuens ſanctiſſimus Iob ſuſpirabat inquiens: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus?* Ad quod Titelmannus: Timore concuſſus vir vtique ſanctiſſimus ſepulchri vel inferni latibulum exoptat, ne terribilē iudicis ſummi ſententiam audire cogatur, futuram tamen reſurrectionem expectans. Idem alio ſenſu explanat Hicœtas dicens: ſi vitæ vel mortis daretur optio, eligerem potius (inquit Iob) ſepulchri vel inferni tenebras (cum ſpe nihilominus reſurrectionis) donec extremæ diſtrictionis rigor euanuerit. Quicquid ſit de veriori ſenſu, aduerto patiētiæ ſpeculum Iob in eo requirere refugium à quo formidat audire iudicium, in eodem vtrumque ſemper inueniri innuens. In cuius rei ſignum, in Exodi hiſtoria recitatur, Deum inter duos Cherubin conſtitutum fuiſſe, ſuper propitiatorium aureum, ſub quo latebant lex & tabulæ. Myſterium deſignans, miſericordiæ diuinæ pallio legem, & peccata ne à iuſtitia deprehendantur, velari. Cui conſonans Propheta regius canebat: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et Ezechiel: *Expandi*

Iob. 14.

Pſal. 31.

pandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Addit Esaias: *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Quæ cum iustitiæ seueritati detecta sũt, luget, plorat ac ingemiscit vt hic apparet: *videns ciuitatem fleuit super illam.*

Isa 38.

O execrandas & cœlestis maledicti fulmine dignas vrbes, quarum etiam scelera ex oculis illis pijssimis, lachrymarum imbres eliccre potuerunt, quæ veri gaudij fontem & principium in luctum conuerterunt! *Fleuit*, ecce cõpassionis affectus, cui similem memorat Esaias inquiens: *Heu consolabor de hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* quam bene se ad vindictam vi pertractum iudicat interiectione dolentis *heu*. Fleuit igitur *super eam* inquit hebraismus, idest *propter eam*, vt sit ei simile quod habetur in Leuitico: *& stupebunt super eam inimici vestri*: Idest, *propter eam.* Quid amplius dixisse poterat Euangelista: *Fleuit.* Quid abominabilius, quid detestabilius, quam eum qui *lætatur in omnibus operibus suis*, propter solius hominis iniquitates flere? De quo etiam multo ante dixerat Creator ipse, *pœnitet me fecisse hominem*, nunc Redemptor, *videns Ciuitatem fleuit super eam.*

Isa.1. *Leuit.26.* *Psal.13.* *Gen.6.*

Huc huc intellectuum vestrorum aciem conuertite iracundi, perpendite maximam inter vos & Deum dissimilitudinem; præ gaudio exultatis cum exercendæ in hostes vestros vindictæ datur occasio, Christus verò vltionem diutius non protrahendam conspicatus, inimicorũ etiam suorũ calamitatem deplorat. *Heu* (inquit per Isaiam) *consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Idẽ exclamat conditionum diuinarum peritus Tobias: *non delectaris in perditionibus nostris.* & in Genesi, cum vi coactus supplicia malitiæ humanæ inferenda meditaretur, diluuij sententiam, *tactus dolore cordis intrinsecus*, pronunciat. Vnde Iob videns quam crudeliter in se debaccharetur inquit: *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis?* Quasi

Esa.1. *Tobiæ. 2.* *Iob.10.*

Quasi insinuans, homines toruis semper oculis & ad vindictam propensis manibus inimicum intueri, Deum salutis humanæ sitibundum non nisi allectitio misericordiæ oculo mortales prosequi. ô quantos, quam excellentes conceptus nobis parturiunt hæ lachrymæ, suspiria illa.

Dominus lugens nos erudit, quantos lachrymarum fontes pœnitentię culparum nostrarum indulgere debeamus, cùm tantum alienę impertitus sit ipse; præcipue verò cùm id frustra non fiet, quia *in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor*, inquit Ezechielis ore Deus. Non frustra inquam. quia eo medicamento maximè curantur peccata propria. *Nolite flere super me sed flete super vos & super filios vestros.* vnde Petrus quia post lapsum *Exiuit foras & fleuit amarè*, non solum peccati remissionem, sed & primam à Domino resurgente visitationem promeruit. Miranda lachrymarũ virtus: Omnes Oceani exundantis aquæ extinguendę vni purgatorij ignis scintillæ non sufficiũt, extinguẽdis omnibus sufficit vna lachryma. Quotidiano experimento innotescit primum & vnicum sedandis domorum incendijs remedium esse aquam: pari ratione coercendis concupiscentiarum flammis lachrymarum imbribus aptius nihil inueniri potest. Cum nubes in pluuiam resolutæ decidunt, tunc demum serenum aerem expectatis; ita planè conscientiarum amœnitas certò certius sequutura dignoscitur, cùm caliginosæ peccatorũ nubes in pœnitentiæ lachrymas defluunt. Dei fili⁹ plorans innuit, non solum nostras sed & proximarũ culpas deflẽdas esse. Hoc in eius Gymnasio didicerat doctor Gentium Paulus ad Romanos in hæc verba scribens: *Tristitia mihi magna est, & dolor continuus cordi meo, optabam enim anathema esse à Christo, pro fratribus meis.* Et audito quod Corinthiorũ quidam in Deum deliquisset, mœstissimus dicebat: *Non ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi*

Lachrymis pœnitẽtiæ peccata nostra debemus absoluere.

Ezech. 18.

Luc. 23.

Luc. 22.

Lachrymarum efficacia.

2.

Rom. 6.

vobis per multas lachrymas, vt sciatis quam charitatem habeo abundantius in vobis. Vnde in hoc deficientes, his increpabat dictis verè aureus Aurelius Augustinus: *Suntne in te Christiane viscera compassionis, qui plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animā à qua recessit Deus?* Abundans autem charitatis illius
Cant. 7. operibus laudatur Sponsa Canticorum Canticis applaudentibus. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.*

Sed eheu, quis hodiernis temporibus Ecclesiam velut procellosum mare innumeris hæresium fluctibus exæstuantem, schismatum tempestatibus agitatam, denique malorum omnium excogitabiliū turbinibus conquassatam cernens, non ploret, non defleat, non plangat, non exclamet cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte?*

Stupendum sine dubio non minus quam dolendum, quod cum soli huius sæculi sequaces detestanda quæque, & Dei furores prouocantia piacula admittant, soli interim innocentes ac claustrali ambitu semisepulti religiosi, & monachi, solæ cœnobiorum angustijs coarctatę sacræ virgines, pœnitentia scelerum alienorum duci & cruciari inueniuntur. Clamantibus ad Deum nautis & omnia saluti vtilia conquirentibus, solus Ionas qui procellæ ruinam spondentis & naufragium, origo nequitiæ suæ causa extiterat, securus & omni sollicitudi-
Ionæ 1. ne vacuus somno indulgebat. Quid nautæ, quid Ionas significant? Nautæ profectò Monachorum sunt conuentus, qui vt pestes & flagella mundi sectatoribus impendentia auertant, continuis ieiuniorum ac vigiliarum rigoribus carnem macerant, orationibus assiduis Deum placare nituntur, cum interea Ionas, idest mundani, inter procellosos sæculi huius anfractus, nihil metuentes delitescunt, epulantur, ac in suis sortibus nihil apprehendentes volutantur.

A lugente Dei filio discimus, quam amarè deflenda

ſtenda ſit culpę in anima dominantis direptio. id 3
que plures ob cauſas. Prima eſt quia ſubiectum ſibi hominem in æternæ damnationis abiſſum mergit, eumque ſupplicijs infernalibus deputat. Vnde Petrus in actibus ſceleratum quendam carpens dicebat: *In felle amaritudinis & obligatione peccati video te eſſe*. 2. quia gratiam Dei, vnigeniti filij eius paſſione acquiſitam, malitia ſua diſſipat. *Empti enim eſtis pretio magno*. vnde etiam duplicem vt Deo rebelles, & vt gratiarum eius diſſipatores ſententiam incurrimus. Tertia, quia malū infinitum infinito bono nos orbat, & tanto mœrore Diuinam maieſtatem afficit, vt ſi ea delēdi capax eſſet, præ nimia triſtitia omnino non ſubſiſteret. ideo mouebat Epheſios Apoſtolus dicens: *Nolite contriſtare ſpiritum Sanctum Dei*. Etſi enim in eum non cadat triſtitia, tamen tam enorme & turpe eſt peccatum, vt ſi nō commoueatur, eius incapacitati tribuendum ſit. Sed quæret aliquis, qualiter Deus ex anima repellatur, cum ſit infinitæ potentiæ. ad quod cum doctore ſubliti ſubtiliter reſpōderi poteſt non quidem effectiuè, nec formaliter, ſed demeritoriè eum amandari, quandoquidem prædictis duobus modis propellere eum mortalium nemo ſufficiat. Referunt ſacræ Geneſeos hiſtoriæ Iacob patriarcham, ſoceri ſui Laban domū relinquere volentem, eam attuliſſe rationem vxoribus ſuis: *video faciem veſtri quod non ſit erga me ſicut heri & nudius tertius*. Idem tibi contingit ô peccatrix anima, domicilium tuum priſtinis ornamentis ſpoliatum & culpæ labe obſcuratum, Deus deſerere demeritorum tuorum turpitudine fugatus cogitur.

Acto. 8. *1. co. 6.* *Ephes. 4.* *Gen. 31.*

4. Lachrymarū illarū cauſā attribuere poſſumus amori patriç, cū. n. Iudę⁹ eſſet, & Iudęę caput eſſet hieroſolyma, pręſciētię oculis ei⁹ excidiū proſpici-, à natura admonit⁹ lachrymas cohibere noluit ... eſt ſine dubio vniuſcuiuſq; in patriā terrā a-

 mot

vt ob hunc solum non modo lachrymas, sed etiam vitā profundere multos, sæpenumerò cõtigerit. plena similibus exemplis extant, tā sacrarũ, quā profanarum historiarum volumina. Codrus Atheniensiũ rex Patrię libertatē à morte sua dependere oraculo doctus; eā sub pauperis & gregarij militis pallio oppetijt. Eques Romanus Curtius, volũtario corporis & vitæ suæ sacrificio, cõmunē patriæ suæ pestē in lacũ præcipitatus sedauit. In sacris historijs non solùm Dauid Gigantis manibus pro suorum salute se obtulit, sed & Iudith fœmina sexu, liberandę Bethulię natiuæ vrbis suę, periculum omne postposuit. Immò tam ambitiosus in hoc extitit Syllæ aduersarius vt extinctis cœteris conciuibus ei vitā sibi cõcedēti respõderit: *nolo patriæ meæ extinctori vitā debere*: & sic inter gladiorũ acies cũ cœteris moriturus prosilierit.

Alciatus in emblematibus, amorē hunc cicadæ symbolo apud priscos Athenienses figuratum memorat, ita vt sicut cicada extra natalē terrā in qua sole eminente cantillat, viuere non potest, sic etiam verus patrij soli defensor, pro eo nunquam mori renuat, extra illud semper.

Nec frustra, vel immeritò insignes athletę debitum hoc natalibus terris persoluēdũ existimarũt, cũ illæ sint quæ nos fouent, vitam producunt, & conseruant. Vnde in huius rei signum teste Plinio, antiqui terram magnam matrem dicendam putabant, ac recenter natos infantes in terra, tāquā sinu materno reclinabant. Quam etiam quasi ter bonam appellatam voluerunt ob bonitatem triplicem, quæ nempe nascentes homines excipit, exceptos toto vitæ decursu sustentat ac defunctos intra gremium suum recipit.

Nec mirũ si patriæ suæ tanto flagrabant amore Gentiles illi, quandoquidē etiā hodie terrarũ omniũ Dominus natalē suā eiusque exitiũ lachrymis deplorat. Huiusce rei typũ in regio vate conside: D. qui culpæ suæ remissionē efflagitans; *miserere mei*

Deus: cũ de se in indiuiduo loquẽs dixisset: *libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ*, patriæ tãdẽ recordatus subiunxit; *benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.* *Psal. 50.*

Ex illis Christi lachrymis colligere facile est, quã certo prævideret iniquitates, seditiones, ac inuidiarũ motus q in ea suscidãdi erãt aduers⁹ seipsũ. Quẽ vt figura præcesserat Salomon, dicẽs, *A tribus timuit cor meũ, à quarto facies mea metuit. Delaturã ciuitates, & collectionẽ populi, & calumniam mendacẽ.* Quæ tria mala Homerus expresserat his verbis: *Pallas vrbium Domina, tribus immanissimis belluis delectaris, noctua, dracone, & populo.* noctuæ nomine tenebras sectãtis ignorantiam intelligẽs, per draconem venatum, Inuidiam; per populum capitũ numero terrificũ seditiones ciuiles significãs. Quę cum omnia in se desęuitura cognouisset Christus, meritò detestãdæ illius ciuitatis perniciem, & miseriam deplorat. *Videns Ciuitatem fleuit super illam.* *Eccles. 26.*

Deniq; lachrymatur De⁹. Sed fortasse hoc multis in scãdalũ verget, quod fleat Deus indignũ iudicãtibus. Sed memẽtote Deũ quidẽ esse, sed & hominẽ. Desinite hoc admirari Ethnici Philosophi exẽplo & respõsione docti, qui cũ flẽtẽ ob infausta nũtia imperatorẽ à senatu & magnatibus increpari cerneret, in hæc verba prorupit. *Sinite plorare, quia dignitas imperatoris nõ impedit illũ esse hominẽ.* Sed quos alloquor Christianos anethnicos, lapideos an carneos, animatos, an inanimatos? Quid hoc sibi vult? Lachrimas ingemino, lachrimator nullus, si, rine poterit vt flente Christo, n õ ploretis, quin amplius rideatis? ô rupibus & metallis duriores. agite, agite, peccata vestra lugete, aliẽna deplorate. Saltẽ lachrymas extorqueat ciuitatũ ac vrbiũ omni fæditatũ ac spurcitiarũ luẽ scatentiũ, metuenda multũ ruina, hac hodie philosophia nos erudis Iesu Christe. Lachrymę tuæ cõmiserationis signa, misericordię symbola, quã-

tũ animarũ prætio sanguinis tui mercatarũ perditione graueris luce clarius manifestant. Quantò amplius in pacem quam in bellum, in misericordiam quam iustitiam inclines, demonstrant. mouent interea quam vtiles & necessariæ obliterandis delictis nostris sint, quibus etiam aliena defles. illi illi torrentes quibus inimica nobis mõstra merguntur, illud mare in quo tartareus hostis Aegyptius sepe litur, illud denique diluuium quo totius mundi vanitates & concupiscentiarum flammæ extinguuntur. Sed o salus nostra, Iesu Christe, cæleste donum sunt lachrymæ. Indulge igitur, concede nobis, vt in viuis degentes, tam fæliciter bonorum operum semina in pænitentiæ campos mittamus, vt tandem æternæ beatitudinis interminabiles fructus defuncti cum exultatione metamus: quod nobis concedat pater & filius & spiritus sanctus. Amen.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Duo Homines ascenderunt in templum vt orarante, vnus Pharisæus & alter publicanus. Luc. 18.

FIGVRA.



Nter alia quæ cælestium arcanorũ particeps Isaias, Christi aduentum comitatura prædicit, humiliandos montes, ac exaltandas valles affirmat. Vallibus autem humiles & montibus elatos ac superbia deprauatos intelligit. Quod credendo arduum & difficile foret, nisi hodierni Euangelij lectio certitudinem polliceretur, afferens Pharisæi & publicani exemplum, quorum

quorum quidē prior in vanitatis & superbię schola educatus, nihil præter gloriam in oratione sonat, posterior humilitatis studiosus nil præter sui contemptum & abiectionem meditatur. Vnde concludit Euangelium *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Congrua planè & mysterijs refertissima concionis materia, quam prosequemur si prius sancti Spiritus opem Diuæ Virginis interuentū implorauerimus, dicentes *Aue Maria.*

Sancti Patres virtutum omnium ac potissimè humilitatis sectatores, superbiæ naturam & originem varijs definitionibus & circumlocutionibus explicantes, varij varia dixerunt. Inprimis hæreticorum flagellum. D. Augustinus eam peruersæ celsitudinis appetitum appellauit. & alio loco mutatis terminis inordinatum propriæ excellentiæ amorem nominauit. Quem sequuti Magister sententiarum & mellifluus doctor D. Bernardus, propriæ excellentiæ appetitum dixerunt. Angelicus autem Thomas aliam methodū exquirens sic eam definiuit. *Superbia est quædam extollentia, per quam quis se extollit supra id quod est ei præfixum diuina regula.* Quibus verbis, alludere videtur ad illa Pauli, *nos non immensū gloriamur, sed secundū mensuram regulæ quam mensus est nobis Deus.* 2. Cor. 10 alijs eam terminis adūbrant alij, dicentes *Superbia est propriæ conditionis præsumptuosa existimatio.* Cæterum quicquid definitionis essentia censendum sit, indubitatum vnum illud est, illo vitio inter reliqua vix esse vllū execrabilius aut enormius. rationes in prōptu sunt. Primò, quia eò crimen est grauius, quò amplius à Deo auertit, quod autem alijs vitijs à diuina gratia homo retrahitur; hoc contingit vel ex ignorantia, vel fragilitate humana, vel alterius alicuius rei concupiscentia. Hoc verò à Deo hominem auertit, quia refugit eius Dominio, legibus, ac mandatis, proprij appetitus se-

quax, subijci, secundum quod censet omnes pene Theologi, ac inprimis supra nominatus Angelicus doctor. vnde Glossa ordinaria explanans illud psalmi: *Emundabor a delicto maximo.* peccatum superbiæ intelligit, vt cæterorum caput & originem.

Psal.18.

2.metaph. 1.topic. & 3 poster.

Secūdo verè dici potest vitiorū maximē, quia reliquorum est principium & causa. *quod* (autē) *est causa alterū vt sint talia, illud est maxime tale,* vel *propter quod vnumquodque est tale ipsum est magis tale.* Iuxta metaphysicum aut topicum axioma, quibus assentiuntur Sacra eloquia, dicentia: *Initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit eam replebitur maledictis & subuertet eum in finem.* Idem etiam in vltima sua voluntate filio suo cōmendabat pijssimus Tobias inquiens: *Superbiam nūquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas, quia in ipsa initiū sūpsit omnis perditio.* vnde etiam D. Gregorius addidit: *radix cuncti mali & regina omnium vitiorū superbia est.*

Eccles.10.

Tob.4.

Tertio vitiorum omnium præcipuum est superbia, quia maximè inter cætera tyrannidem sapit, & in eo diuinæ derogat maiestati, quod superbus nemini subijci, neminem æqualem pati, omnibus præesse vult. hoc autem soli Deo conuenire disertissimis verbis declarat D. Augustinus inquiens, *Deus est supra quem nihil, sine quo nihil, sub quo totum, cum quo totum, in quo totum, à quo omnia, per quem omnia & in quo omnia.* Vnde mellifluus doctor Bernardus cum nonnullis alijs, illud diui Pauli in epistola ad Thessalonicenses *qui extollitur super omne quod dicitur Deus*: quod plerique interpretes de Antichristo intelligunt, superbiæ attribuit.

Thessal.2.

Quarto merito vitiorum omnium caput dicitur superbia, quia maximam virtutum stragem in hominis anima excitat, propter quod doctissimè scripsit. D. Greg. *sicut humilitas omnia vitia extirpat, omnesq; virtutes colligit & roborat, sic superbia omnes vir-*

nes virtutes destruit & eneruat. Cui simillimè Isidorus, *sicut*(inquit)*superbia est origo & radix omniũ criminum, ita est ruina omnium virtutum.* Aquila volucrium regina deprehensam prædam occisurus & diuisurus in frusta, eam quo potest altissimè eleuat, ac indè præcipitem dimittit. Eadem prorsus fallacitate vitiorum princeps superbia hominem in excelsum præsumptionis vento subleuat, ac elatum lapsu grauiore perdit, & in æternæ damnationis abyssum demergit, ita vt ei verissime improbari possit illud psalmistę Deiecisti *eos dũ alleuarentur.* nec nõ illud poëtę profani elogium: *tolluntur in altũ vt lapsu grauiore ruãt.* Deniq; illa est pestis quã Sapientis ore sibi execrabilẽ & exosã esse affirmat Deus his verbis: *Superbiam & arrogantiam ego detestor.* Et mulierum fortissima Iudith: *Superbi non placuerunt tibi ab initio.* quasi dicat: ineffabili dilectione prosequeris quæcunque creasti, solos superbiæ labe contaminatos odisti, ac vbique iustitiæ tuæ seueritate plectis. vnde dicebat psaltes regius. *retribuet abundanter facientibus superbiam.* vsque ad euertendas etiam eorum domos & habitacula. *Domos superborum demolitatur Dominus* & quod amplius, *substantia superbi eradicabitur.* Sed quorsum hęc rationũ prolixitas, quorsum de arrogantia discursus; appositè sine dubio, quandoquidẽ in Euãgelica lectione Dominus nil præter superbiam in pharisæo se iactante, nil præter humilitatẽ & abiectionẽ in publicano se deprimente proponat testis est S. Luc. his verbis. *Dixit Iesus ad quosdã qui in se cõfidebãt tanquã iusti & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascenderũt in templũ vt orarent, vnus Pharisæus & alter publicanus.* vt autem debitum ordinẽ sortiatur hic discursus, primo de Pharisæi arrogantia, secundo de publicani humilitate verba faciemus.

prouerb. 8.
Iudic. 9.
Psal. 30.
prou. 15.
Eccles. 21.

properantem & dicentem. *Ecce tot annis seruio tibi sed postquam filius tuus hic*(non appellat fratrem)*qui dissipauit omnia cum meretricibus,rediit, occidisti illi vitulum saginatum.* *Luc.15.*

Primum arrogantiæ specimen connotat Euangelista dicens.*Pharisæus stans apud se orabat*,quo stādi gestu latentem in anima fastum aperit. Genu flectunt orantes, Salomon rex & monarcha sapientissimus,Daniel propheta perspicacissimus,Moises legislator Sanctissimus.in faciem procidentes videt,Aquilinus Ioannes,antiquos dierum & Seniores, *Ipse* rex regum Christus Dominus, patrē deprecaturus *procidit in faciem suam*. Pharisæus in terra Superbiæ spiritu intumescens, stans orat. *3.Reg.8.* *Daniel. 8.* *Num.16.* *Apoc.5.* *Luc.22.*

Docens admodum Maldonatus,maximè miratur,quod plerique interpretes hāc in orante pharisæo corporis erectionem admittant, cum vix credibile sit Iudæos vnquam hoc orandi modo vsos esse,quod duplici argumento constare videtur.Primò quia precationis ratio qua vtebantur iudæi ad Christianos deriuata, etiamnunc viget. Secundo idem patet ex plerisque scripturæ locis, ex quibus orationi incumbentes iudæi, genua in terram demisisse dignoscuntur vt3.reg.c.8.2.par. 6.Dan.6.Mich.6.& multis alijs.Ita vt stare in Sacris eloquijs non semper rectam corporis constitutionem innuat,sed sæpius solam in aliquo loco præsentiam.alias quietem, alias animi ad aliquid applicationem,aliquando sermonis alicuius exordium,aut in loquela & gestu audaciam & præsumptionem,qualis in hoc loco apparet,denique quo sensu sumatur,arrogantiam tamen semper sapit. O execrandam luem! quam sacrarum literarum oracula non solum superbiæ,sed & impietatis vocabulo designari voluerunt.Vbi enim in Abdia legimus:*Superbia cordis tui extulit te.* Paraphrasis Chaldaica inuertit;*impietas cordis tui seduxit te*

it te: Vnde liquet quam deteſtandos efficiat ſuperbia ſui ſequaces.

Ad quod alludens ſanctitatis, & doctrinæ laude excellens quidam, inquiebat cum egregia metaphora. Quondam tenebrarum princeps Dæmō nubere volens, iniquitatem ſibi in ſponſam adoptauit, ex qua etiam nouem ſceleratas proles ſuſcepit. Quarum primas octo ſpecialibus maritis & peculiarium conditionū vitis deſtinauit, nonā omnibus tritam ac vulgarem meretricia libertate fieri voluit. Aſſerebat autē earū primā ſuperbiam regibus, principibus, ac orbis totius magnatibus, vt indiuiſibilē eorum ſociam creditam eſſe; Secūdā, Simoniā Eccleſiaſticis, vt apud eos frequentē, Tertiam, Hipocriſim religioſis & monachis, Quartam rapinam militibus, Quintā, vſurā mercatorib⁹, Sextā, fallaciā ac mendaciū mechanicis, Septimā, pigritiā & otiū nobilibus, In ſudore vultus ſui veſci pane ſuo retrectantibus, Octauā, murmurationē, aut detractionē agricolis, ac id genus operarijs traditā dicebat. Nonā verò nemini peculiarē, ſed omnibus addictā & cōmunē eſſe voluerat. Et hęc erat fornicatio & adulterium. Vnde colligere facilè eſt ꝙ execrandus fuerit hic phariſæus, cui maior natu ſuperbia inferni hæres & domina deſponſata fuit.

Deus gratias tibi ago. quia non ſum ſicut cæteri hominum

Ineptiſſimam hanc orationis normam non minus eruditè quam facetè deridet pijſſimus doctor D. Bernardus in hunc modum. Phariſæus hic ſtipem mendicans, manus diuitijs & auro plenas oſtentat. Diſſimilis planè huius temporis pauperibus, qui eleemoſinā aut opē efflagitaturi, nō quod habent æris aut ſanitatis, ſed abditiſſima quæque vulnera tranſeuntium oculis detegunt, infortunia ſua ſæpiùs etiam vltra debitum exponunt, vt eorum compaſſione ducti illi ad benefaciendum

ciendum impellantur. Similes Prophetæ regio qui misericordiam à Deo postulans dicebat: *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana animam meam quia peccaui tibi.* Psal.6. Psal.40.

Oraturus itaque Pharisæus à proprijs laudibus exorditur. *Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut cæteri hominum.* iniusti cœteri, raptores, adulteri, & alijs vitijs scatentes, Ego verò nulla huiusmodi labe contaminatus sum. vide Pharisæe ne de te dictum sit à vate Dauide, *& oratio eius fiat in peccatū.* Psal. 108. imitare potius Ionam à seipso quærentem: *Quid est opus tuum, quæ terra tua & quo vadis?* Puluis es, in puluerem reuerteris, & nil præter peccatum operaris. Ionæ. 1. Quid igitur cogitas, nunquam audisti Esaiam canentem, *omnia nostra in nobis operatus es Domine* ignoras huius etiam discipulis te sanctioribus, melioribus, ac Deo gratioribus dixisse Dominum: *sine me nihil potestis facere.* Esa.26. Ioan.15.

Sicut ergo nō penicillo sed eum dirigenti imaginis excellētia tribuitur, ita plane non nobis qui instrumēti vicem gerimus, sed Deo vt agēti principali operū nostrorū meritū adscribendū est. idipsum instruente viro secundum cor Dei, Dauide his verbis: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psal.113. Velut enim lege ciuili cautum est, ne publicis operibus artificum nomina apponantur, ita etiam diuina lege vetitum est, ne nos qui sine Diuino cōcursu nihil possumus, quicquam nobis vt propriū vindicemus. Quod nec egisse Apostolū ex eius verbis liquet: *non ego sed Dei gratia mecum.*

Fidelis antiquitatum testis Plutarchus meminit Ducem quendā strenuum Atheniensem Sithonē nomine, cum ab vnoquoque celebraretur ob egregias victorias & hostium cœdes, respondisse, non mihi sed dijs immortalibus adscribite, quod bene gestum est. Ecce fidei lumine & veri Dei cognitione destitutus Ethnicus, encomia gestorum suorum non sibi sed dijs decernenda iudicat

iudicat, nō erubescis interea pharisæe, si quæ tibi sunt merita, vt tua non diuinæ bonitatis signa arrogare. *Deus gratias ago tibi.*

In regum libris legimus, quod cum Ezechias opum & thesaurorum suorum copiam babylonijs ostentasset, tanta eum subitò diuinæ iustitiæ districtio sequuta est, vt quamprimum fulminantem hanc summi Iudicis sententiam audie-
4. Reg. 20 rit: *& auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc in babilonem, non remanebit quicquam ait dominus.* Eadem ratione (Inquit D. Augustinus) vix Pharisæus ille virtutum suarum merita iactantiæ vento exposuerat, cum superueniens eius doctor & magister Sathan omnia diripuit & in aerem extulit. quod autem subiuncturus sum attendite. In hoc consistit Christiana perfectio vt quicquid mali in nobis est, vt opus nobis maximè proprium reputemus, quæcumque verò in nobis probè facta reperiuntur, Deo vt vires subministranti repēdamus, ad exemplum seniorum, illorum qui vt vidit D. Ioannes, in Apocalipsi *adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum, mitētes coronas suas ante thronum Dei,* quo nempe facto præliorum in hac vita à se gestorum, adeptorumque victoriarum auctorem De-
Psal. 43. um protestabantur. Edocti à psalmista cauente: *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachiū eorū non saluauit eos, sed dextera tua & barachium tuum.* contra hæc omnia documenta, pharisæus Spiritualibus triumphis & palmis, quasi suo marte reportatis gloriatur, dicens: *Gratias ago tibi Domine.*

Plenæ sacrarum litterarū series exēplis, ex quibus discere datur quā dānosa sit huiusmodi propriorum bonorum arrogantia. Lucifer cœlo, Adam paradiso, Iudas apostolatu excidit, Labitur inter monarchas Dauid, Inter Sapientes eorum coriphæus Salomō, Inter Apostolos eorum princeps

ceps Petrus. nihil est quod non diuinæ prædestinationis & voluntatis rota voluatur. perit Iudas, viuit æternum latro, Magdalena Iustificationem, Pharisæus reprobationem, publicanus prædestinationem sortitur. Quis ergo alium contemnere, quis extolli, quis cum pharisæo intonare audeat: *gratias tibi ago.* Egregium planè & condignum tali oratione exordium. quam alienum ab hoc vsurpat & docet Paulus dicens: *cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Sed quid aspernor quod ipse Redemptor noster assumere voluisse videtur cum orans inciperet, *gratias tibi ago domine pater cæli & terræ.* nondum ex Salomonis schola didiceras pharisæe, quod *iustus in principio accusator est sui.* Hieremias prędicaturus Dei voluntatem, euellendi ac destruendi mandatum desuper accipit, cui succedit plantandi ac ædificandi intentio. sic tu quicunque ad orationem te dispōnis & attemperas, prius euelle & eradica vitiorū germina, firmissimum postea spirituali ædificio fundamentum stabiliturus.

Cum valetudini reparandæ venas pandere cōsuluit medicus, infantum & infœlix omen esse constat, Si retento corrupto sanguine integer & sanus effluat. O perniciosum orationis tuæ omē pharisæe emanat, virtutum tuarum sanguis optimus, hærente in anima tua arrogantiæ & fastus peste periculosissima. Ieiuno bis in sabbatho, decimas do & c. quam fœlicius celatis salubribus pestiferos humores euomuisses. quid amentius quam ei à quo misericordiæ effectus requiritur, diuitiarum suarum amplitudinem aperire. Consultius multo Gabaonitæ idolorum cultores, illud militiæ Israeliticę decus & ducem Iosue ad commiserationis affectum & beneuolentiam allecturi, ei occurrerunt macilentis vultibus, laceris indumentis, gestibusque mœstissimis, etsi forte fictis, quibus omnibus & vita & fortunarum incolumi-

columitatem consequuti sunt.

Cõtra verò, teste AEliano, cœcus ille iã prouectæ ætatis, qui aliquod fortè miseriarum suarum subleuamen à Lacedęmoniorum senatu impetraturus, animi fastum adumbratis fuco crinibus & canitie prætendebat, ab eorum rege Archydamo deprehensus repelli meruit rege dicente: *quid hic sani diceret cuius non solum animus, verum etiam caput fucis contaminatum est*. huic similes sunt qui in nequitijs indurati & inueterati, malitiam suam eminente virtutum fictarum fuco adumbrare nituntur.

Deuter. 13. Inter alia quæ Deus populo suo mandata tradidit vnum illud fuit: *non operaberis in primogenito bouis & non tondebis primogenita ouiũ*, quo innuitur; quod sicut illis vetitũ erat primos ouiũ fœtus tõdere, ita pessimum est animas nostras prima virtutum lana spoliare; & eas quasi sub vellere latẽtes tẽtationũ ac vanarũ ostẽtationũ procellis exponere. iniquissimũ hoc esse reputabat Iob cũ

Iob. 31. diceret: *Si lætatũ est in abscõdito cor meũ, & osculatus sũ manũ meã in ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio cõtra Deũ altissimũ*. quid enim sibi vult ꝙ inquit. *Et osculatus sum manum meam in ore meo*, nisi quod ille manum osculatur qui in operibus manuum suarum sibi complacet, & popularem aurã illis sibi conciliare conatur.

Experimẽtis quotidianis discimus, tũc securiores esse thesauros, cũ occultiores. idem planè de virtutib⁹ censendũ esse nemo ambigit. sed proch dolor verè lugenda eorũ calamitas, qui virtuti incumbere se posse negant, nisi organistis & nautis similes sint, quorũ alij nihil agere queũt nisi moueãtur folles quibus ventilẽtur organa, alij frustra expandunt vela nullo ventorum impetu agitãda. quod quantò frequentius eò perniciosius esse luce clarius constat. Si contingat paruam aceti quãtitatem in vas optimo vino plenum delabi,

totum

totum vinum in aceti corruptionem transeat necesse est. eo planè modo minimum vanæ ostẽtationis, virtutibus & meritis nostris admixtum, ea diuino gustui admota velut aceti ingrato sapore corrumpit & inficit, vt videre est in hoc pharisæo, qui arrogantiæ lue meritorum & bonorum operum suorum candorem maculat, cum vnius aut alterius benefacti causa sese omnibus Sanctitatis numeris absolutissimum arbitratur. *Deus gratias ago tibi.*

Extãt inter mũdanos aliqui tã tenuis cerebri, vt gustato modico veni haustu quãprimũ inebriẽtur, idẽ de spiritualib⁹ cẽsẽdũ est, sũt quidã ad extollẽtiã ita procliues, vt si quãdo vel ieiunijs, vigilijs, aut orationibus quantulũcũq; vacauerint, persuasæ sibi perfectionis prẽsuptione intumescãt, cũ è contrà verè perfecti etsi omni virtutũ ornatu insignes, non modò perfectionis apicem, verũ nec infimũ limitẽ attigisse se existimẽt. de quibus sãctas Gregorius, *Sãcti viri* (inquit) *quo altius apud Deum virtutum dignitate præcedunt, eo subtilius se indignos esse deprehendũt, quia dũ luci proximi fiunt, quicquid eos in se ipsis latebat deprehendunt.* horum numero iure meritissimo aggregandus videtur patientissimus Iob dicens: *Si simplex fuero hoc ipsum ignorabit anima mea.* quanta inter hunc & pharisæum diuersitas, ignorare se Iob affirmat, pharisæus non contentus sui ipsius notitia, eiusdem participes alios esse desiderat dicens: *non sum sicut cæteri hominum.* Quam impudenter alios spreuit. Doctè quodam loco scripsit philosophorum princeps Aristoteles: qui non est sicut cæteri homines, aut aliquid melius est omni homine sicut Deus, aut aliquid vilius omni homine sicut bestia. quib⁹ dictis verissimè infertur pharisæum nostrum, à cæteris propria opinione alienum, vel diuinitati vicinum, vel quod credibilius, bestijs, & brutis irrationabilibus comparandum esse. *Iob. 9.*

Sed

Sed hic aduertite si lubet quātas malorū voragines secum inuehat hic aliorū contemptus, sicut enim oceanus, sordes suas eijciens littora circumadiacentia licto immunditijsque cumulat, ita fastuosus præ nimio tuendæ puritatis & excellentię suæ desiderio, quæcunq; sibi improperari posset in alios reijcit. patet hoc in Pharisæo, qui vt iustus appareat; omni scelerum turpitudine publicanum contaminat.

Cum calidæ exhalationes intra terræ viscerą conclusæ, tandem suo tempore egressum scrutantur; post horrendos terræ motus viam nactæ non solum terribiles hiatus, verum etiam sæpius multas ædificiorum & domorum strages excitant. Ita planè periculosi propriæ excellentiæ appetitus, in intimis animæ penetralibus reconditi, cum in lucem prodire moliuntur ; post inquietos animæ turbines ; innocentiæ plurimorum & proximorum famæ nocumentum inferunt. talis erat Pharisæus ille, qui publicanum eiusque nomen maculare propriæ gloriæ vento inflatus nō erubescit. Laudes suas enumerasse non contentus alienos etiam defectus non subticet: *Ieiuno bis in Sabatho, Decimas do, &c.*

4. Reg. 5. *Iudic. 1.* O irritas in arrogantis anima virtutes: illæ illę sunt virgines in Naaman Leprosi ædibus mancipatæ assiduoque luctui deditæ: illæ reginæ in vinculis sub Adoni-bezec Tiranni mensa vitam transigentes. Marcus Lellius Galbæ gibboso illudens dicere solebat: *Ingenium Galbæ male habitat.* Quæ verba doctis, sed corpore mancis vel deformibus propriè conueniunt; aptari tamen facillimè possunt sceleratis, & superbis hominibus, in quorum animis omni vitiorum labe scatentibus, pessimè habent virtutes, qualiter Ieiunia & alia virtutum opera in hoc Pharisęo. cuius anima quantis cœcitatis tenebris offuscata sit, inde patet quod ratione vnius aut alterius ieiunij vel fictæ

mortifi-

mortificationis (quod etiam pluribus alijs hoc tempore contingit) reliquos defectus suos obliterandos & venia donandos arbitratur.

Sacerdos quidam Euphrateus Michas, idolum apud se retinẽs, & illud colens, Leuitam qui ei quotidie sacrificaret stipendio persoluto souebat, ac eius causa tantum diuini fauoris sibi arrogabat, vt non erubesceret dicere: *nunc scio quod bene faciet mihi Deus habenti Leuitici generis sacerdotem.* Aduertite cęcam idololatræ dementiam, qui impensum idolis cultum & omnes suas nequitias sub virtutis huius pallio celandas putabat. Quot sunt huic hodie similes, qui Ieiunij vnius aut eleemosinæ vim vitia cætera extinguere non modo opinantur sed & certius sibi persuadent. *Iudic. 7.*

Magnus ille vates, & Monarcha alio tramite gradiendum docet & à seipso incipiens, dicit: *ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Quasi dicat nil præcipisti quod sedulo exequi non statuerim, nec quicquam inhibuisti quod omni conatu non effugerim. Quid enim inde securitatis si vrbis alicuius omnes portæ excepta vna hostibus peruia, occludantur. Vnde consequenter Christus Dominus accuratam legis suæ obseruantiam inculcans non dixit: *Tollite iugum meum super ceruices aut humeros vestros, sed super vos.* omnes enim tam internæ, quam externæ potentiæ, ad illud ferendum concurrere debent. Verum diu nimis circa pharisæi huius arrogantiam hallucinati sumus, sectandam potius publicani humilitatem nunc examinemus. *Publicanus autem stans à longe, nolebat oculos suos in cœlum leuare.* *Psal. 118.* *Matth. 11.*

Publicani nomine aliqui fœneratorem, aut vsuris victitantem intelligi volunt alij, cuiusmodi sũt. D. Thom. Nicol. de Lyra, Hugo Cardinalis quendam vectigalium collectorem: alij inter quos Euthimus, peccatorem publicum & nullius consciẽtiæ virum accipiendum putant: Quicquid de eius

N munc-

munere, aut vitæ genere dicendum sit; hic templum orationis gratia ingressus, selecto ad hoc angulo, oculis in terram defixis, pectus verberans, cum cum contritione ingeminabat; *Deus propitius esto mihi peccatori.* ex quibus verbis perfectam orandi normam quatuor stabilitam conditionibus videre est. Prima est diuinæ vindictæ in peccatorum suorum turpitudinem, metus, *Initium sapientiæ timor Domini.* Secunda pudor, quæ vt ait Dauid: *Conuertantur & erubescant valde velociter.* Tertia pectoris tunsio, *quia Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Psal. 110.
Psal. 6.
Psal. 50.

Quarta denique quia excusationes fugiens, sequutus Prophetam dicit: *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino & tu remisisti impietatem peccati mei.* super omnes tamen obseruatu dignissimus est pudor, qui & Deo gratissimus est, & pœnitenti vtilissimus vnde Achab peccati sui pœnitentia ductus, prę nimia verecundia vix aliter quam inclinato in terram vertice gradiebatur; & rex Manasses in hoc merito laudandus clamabat: *Non sum dignus intueri altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum.*

Psal. 31.
3. Reg. 21.
2. Paral. vlt.

Abner fortissimus exercitus regij dux, insequentem se Azaelem conspicatus eum sic alloquutus est: *Recede & noli me sequi ne compellar confodere te in terram & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* audi quisquis scelerum enormitatem non erubescis, quibus oculis æternum patrem intueri præsumes, qui tam crebro filium eius vnigenitum redemptorem tuum denuò crucifixisti tuis offensis. Si Abner eum aspicere in faciem pertimescit, cuius fratrem interfecisset. In canticis canticorum sponsus, virtutum sponsæ suæ seriem contexens inquiebat. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* genarum ruborem verecundiæ indicium esse constat. vnde cum sponsus eas fragmini mali

2. Reg. 2.
Cant. 4.

mali punici comparat, idem eſt ac ſi diceret: Etſi multa ſanctitatis prærogatiua fulgeat in conſpectu diuino ſponſa mea, genæ tamen eius proprium animæ peccatrici ruborem, ſubmiſſionis eius ſpecimen ſemper retinent.

Primus ille captiuitatis babilonicæ redux, & Iudaicæ reipublicæ inſtaurator Eſdras, Deum in oratione alloquens, & peccatorum populi ſui memoria monitus dicebat. *Deus meus confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſunt caput noſtrum, & creuerunt vſque ad cœlum.* Ecce Iuſtus aliena ſcelera deplorat. quid ergo pro tuis peccator facies. Imitare publicanum hunc, ne tibi improbari contingat illud Hieremiæ: *frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* diſce exclamare cum pſalmiſta: *Tota die verecundia mea contra me eſt, confuſio faciei meæ cooperuit me.* 1. *Eſdræ.* 9 *Hierem.* 3. *Pſal.* 43.

Tanto pondore ſuffunditur publicanus ille vt ad Deum propius accedere vereatur, tanta humilitate deprimitur, vt non alio quam peccatoris nomine ſeſe appellandum putet. contra Phariſæus orationis baſim extincturus, meritorũ propriorũ fundamentum iacit, in eodem prędicamento conſtituendus quo Epicurus, qui quia ſeipſum extollere auſus eſt, vituperium & illuſionem, ſapientes vero ſeptem à tota poſteritate laudem & gloriam aſſequuti ſunt, quia ſeipſos ignoraſſe viſi ſunt. Ciuilitatis omnis peritiſſima ſponſa, in canticis vt propriæ laudis inſcia, *hortus concluſus, & fons ſignatus,* meruit appellari. hortus inquam Horum ſuarum, & virtutum fragrantiam non vltra conſcientiæ ſuæ terminos ſpargens, & fons riuulos ſuos animæ ſuæ limitibus coanguſtans. conformis illi publicanus virtutes ſi quas habebat in cordis ſui penetralibus intimis retinens, ſolas ſordes & vitia ſua euomit, non ignorabat aptiſſimam illam eſſe aſſequendæ exauditioni methodum, *Cant.* 4.

Cant.1. quam etiam vſurpaſſe videtur ſponſa in canticis: *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem*: defectum ſuæ pulchritudinis prius exponens, ac deinde formę ſuę excellentiam ſubnectens. Animam Chriſtianam ſponſæ illius titulo deſignatam idem decet, vt nẽpe prius peccatorum ſuorum caliginem quam meritorum radios expandat. Docet idem D. Ambr. in

Pſal.39. illud pſalmi 39. *Reuela Domino viam tuam & ſpera in eo*: dicens, *bene ait reuela: hoc eſt aperi conſcientiam tuã, ne eam ſæculi iſtius grauet vmbra vel carnis*. Et ſequitur publicanus apertiſſimè quantum poteſt exclamãs: *Deus propitius eſto mihi peccatori*.

O quanta humilitatis virtus, phariſæus ſe extollit, abiicit publicanus elatus ille, demiſſus hic: Sed hic iuſtificatus, reprobat' alter recedit. huic virtutũ gẽmę imputat & adſcribit doctor eximius D. Gregorius omnia Incarnationis, & paſſionis Chriſti arcana, & ſacramenta cum dicit. *Ad hoc Dei filius infirmitatis noſtræ formam ſuſcepit, ad hoc inuiſibilis non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illuſionum probra, paſſionum tormenta ſuſtinuit, vt ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus*. O ſententiam auream! Si attenta lectione ſanctorum Patrum codices & ſcripta percurramus, inueniemus virtutem illam præ cæteris ſummorum encomiorum varietate celebrari, illa enim eſt quæ omnium concordi ſententia virtutum regina, radix, & origo veræ ſapientiæ, ſcala cœli, charitatis, & aliarum ſpiritualium gemmarum cuſtos, tentationum clades, meritorum nutrix vanitatum inimica, denique fœlicitatis æternæ certitudo nuncupatur. illa denique quam D. Ioannes Climacus hoc peculiari titulo prædicat dicens: *Si ſuperbia ex angelis dæmones fecit, ſic humilitas ex hominibus angelos efficere poteſt*.

Proximum hoc ſibi vindicat humilitas, vt quo amplius eam ſectamur eo magis extollat, quo amplius honores fugimus ad eos amplius nos illa promoueat.

moueat. illud exprobrabat regi Sauli Propheta Samuel his verbis: *nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* 1.Reg. 15.

Ex mysterijs & veritate locupletissimis sacrarum litterarũ oraculis colligere est, quantum in paruulis sibi complacuerit Deus. duos habuit filios Adam, Cain & Abel, neglecto maiore sibi minorem in famulum adsciuit duos. Abraham, Ismael & Isaac, spreto seniore Isaac benedixit. *In Isaac vocabitur tibi semen quia hunc elegit dominus.* Ex duobus Isaac filijs, Esau & Iacob minorem *Iacob dilexit, Esau autem odio habuit.* Denique Iacob inter omnes filios suos, natu minimos Ioseph & Beniamin tenerrima dilectione prosequutus est, quæ omnia luce clarius indicant, quantum humiles qui paruulorum, superbis qui maiorum nomine denotantur; præferat Deus. Teste ipsamet Deipara Virgine: *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Luc.1.

I.Reg.16. secundum populo suo regem selecturus, cordium scrutator Deus, accitum Samuelem ad Isai domum destinauit, qui cum primo sibi occurrentem Eliab. egregiæ staturæ virum & natu primũ considerasset, eum extemplo regio diademati aptissimũ iudicauit, ac vngẽdũ decreuerat, nisi minimè contentus Deus illam ex ore patris eorum vocẽ extorsisset. *Adhuc est paruulus & pascit oues* & hic diuina voluntate etsi septẽ fratrum ætate minimus, ad regiæ dignitatis apicem euectus est. indubitabile signum, quo erudimur humiles æternæ gloriæ cæna sublimandos esse. vnde idem insinuãs Redẽptor noster discipulis dicebat: *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum,* & alio loco. Matth. 18 *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Denique solo, humiles Deo gratos esse Matth.19. psalmista canit: *humilia respicit in cælo & in terra.* Psal. 137.

Quid plura, tantæ dignitatis & excellentiæ est

virtus hæc in conſpectu diuinæ maieſtatis, vt ipſa congruum eius doctorem nullum exiſtimarit inueniri poſſe præter vnigenitum ſuum, qui in prima, quam ad Apoſtolos habuit lectione, prætulit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, de quibus verbis diſſerens Eccleſiæ lumen D. Greg. inquit, non exigit à nobis vt diſcamus miracula & prodigia exercere, mortuos ſuſcitare, dæmones fugare, terræ motus excitare, elementis aut aſtris dominari, denique nouas mundi machinas creare, ſed diſcite (inquit) quia mitis ſum & humilis. virtutum radici incumbite, vitiorum ruinæ inſudate.

Matth. 11.

Cum celeberrimus poëtarum Homerus è viuis exceſſiſſet, inter omnes Græciæ vrbes diſceptatio orta eſt, cui adſcribendus eſſet tanti viri ortus, fœliciſſimam eam iudicantes cui de iure tribui poſſet. Eadem inter virtutes quæſtio, omnes ſe ad humilitatem proximè accedere gloriantur, exinde priuatum omnes ſibi arrogare contendunt. Videtur autem huiuſce rei anſam dediſſe Dei filius, cum à Ioanne ſacris vndis tingendus, id audere nolenti Ioanni reſpondit: *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam* ſubiungit autem Gloſſa iuſtitiæ vniuerſalis nomine humilitatem intelligendam eſſe.

Matth. 5.

Illa eſt virtus quæ in hodierna lectione mirabilem publicanum, execrabilem reddit phariſæum. *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Illa ſemper inter humiles, & ſuperbos intercedit differentia quod ſuperbi narrandis perfectionibus, humiles defectibus ſuis delectantur. vnde teſte Seraphico doctore Diuo Bonauentura, verus humilium & pauperum patriarcha D. Franc. interrogatus à ſocio ſuo, fratre Ruffino, quid de ſe ſētiret, ſe peccatorum omnium ſceleratiſſimum reſpondit, & iterum quærenti qua conſcientia dicere hoc auderet ſubiunxit: ſi Deus etiam alijs peſſimis furibus, adulteris, prædonibus ea quibus me cumulauit gratiæ dona impertitus eſſet, iiſdem

demque me priuasset, ipsis centuplo sanctioribus & perfectioribus ego nequissimus extitissem.

Probi quique virtutis huius æmulatores, nihil vnquam in se boni deprehendere posse videntur. Sicut enim qui aliquãtulum in solis radios oculorum acies defigũt, subinde domũ ingressi nihil vidẽt, ita humiles ad diuini solis radios & claritatem attenta consideratione delati, postea conscientiarum suarum abdita scrutantes, nihil quod boni nomen mereatur inueniunt, nihil lucidum in obscura delictorum caliginæ reperiunt. Propheta regius qui secundum cor Dei inuentus esse creditus est, & à Deo iudicatus, hanc in se virtutem plurimum commendauit his verbis: *Domine non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me*. vbi ostendit non solos oculos, sed & cor omni fastu spoliandum esse, vnde gemmam illam nobis prædicaturus mundi redẽptor à corde incipiendum censuit, dixit enim: *discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Et paulò prius citatus propheta asserit, *cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies*. veritati cõsentaneũ esse hoc cõprobat in hoc Euangelio pharisæi damnatio, & publicani humilis exauditio: *descendit hic iustificatus ab illo*.

Psal 130.

Matth. 11.

Psal. 50.

Inter ea quæ vel ex diuina, vel naturali potentia mirabilium nomen meruerunt, non immerito recenseatur fons ille in quem immissæ faces accensæ extinguũtur, & extinctæ accenduntur. Congruum sane diuinæ bonitati & orationi quæ ad eum ducit hieroglyphicum. qui enim arrogãtiæ flammis accẽsi ad Deum appropiant, repelluntur & pereunt, qui autem omni fastu amisso, ei supplices fiunt, diuinæ gratiæ lumine illustrantur. vnde verissimè scripsit Diuus Iacobus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*.

Atheniensium dux Chabrias elegantissime dicere solebat, exercitum ceruorum sub leonis ductu,

potius victoria potiturum, quam leonum aciem cerno duce confligentem. Quæ dicta si morali sensu exponere liceat, dicam ego vitiorum exercitum sola humilitate duce, tartareis hostibus terribiliorē fore, quam futura sit virtutum acies solius superbię regimine deprauata. experimentum præbet Euangelica historia. Pharisæus enim virtutum suarum aciem construens: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do, non sum sicut cæteri hominū*: Sed solius arrogātię causa deijcitur, victoria cadit, reprobatus & confusus recedit. publicanus autem vitiorum suorum exercitum cogens: *Deus propitius esto mihi peccatori*, propter præpositam ei humilitatem, dæmonibus terribilis, Deo gratus redidit. *descendit hic iustificatus ab illo.*

Indubitatum est humilitatem efficere vt orationes exaudiantur, vt repulsam patiantur, occasioni deseruire superbiam. *Deus peccatores non exaudit.* peccatorum autem nomine glossa quædam arrogantes subintelligit. Quibus oratio non profectui sed detrimento cedit. Græcorum Septem Sapientum non infimus Bias, cum scelestis quibusdam maritimum iter aggressus, cum exorto procellarū grauissimarum turbine, commotis fluctibus, sæuiēte tempestatum grauedine, denique vicino naufragij impendentis periculo cæteri supplices dijs manus porrigerent, philosophus sapientissimus silentium iniungens dixit, tacete ne dij infensi vos hinc abuanigare sentiant. concludebat inde paganus ille, non modo non clementer excipiendas sceleratorum & potissime superborum preces, verùm etiā procul dubio diuini furoris illecebras fore si perciperentur. Definitur idem in Euangelio: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & omnis qui se humiliat exaltabitur.*

Hic igitur mentium vestrarum acies conuertite, hæc rectæ rationis trutina perponderate fideles, attendite, quod sicut in bilance constitutus & in imum descendens thesauris annumeratus aureus, ac le-

ac leuior & elatus reijcitur, ita planè qui vanitatis aura super extolluntur & arrogātiæ vētis inflantur, vt inutiles à conspectu diuinæ maiestatis amandātur, humiles verò infirmitatum suarum pondere depressi, beatorum choris & gazophilacio cœlesti annumerari promerentur.

Disce quisquis Christiani nomine, & re te dignū arbitraris, quod est, *odibilis Deo & hominibus superbia*: discere ex verbis generosissimæ viraginis Iudith: quod, *mansuetorum & humilium semper Deo placuit deprecatio*. testem huius rei publicanum attendistis. Eccles. 10. Iudith. 9.

O Deus ter Optime Maxime, qui & humilibus amicissimus & superbis infestissimus sēper fuisti, imprime fidelium tuorum cordibus, tantæ virtutis amorem, tantique vitij odium.

Tu Deus fastuosū Luciferū cęlo, excellētię nimię appetētē Adamū paradiso terrestri, arrogātē Nabuchodonosor sceptro & diademate ac denique regno expulisti, insuper & hunc pharisæum reprobationis sententia mulctasti: verum etiam ille es qui humilem Abrahā extulisti. Iacob sui nescium arctissima dilectione prosequutus es, paruulum in oculis suis Dauidem regia lauro, & corona dignū censuisti, insuper & publicanū consciæ turpitudinis pondere depressum, cunctosque virtutis huius æmulos exauditos iustificasti. O non minus expetenda humilitas quam detestanda superbia, illa illa cordiū nostrorum domicilia occupet, actionibus dominetur, gestis imperet, verba moderetur, præter humilitatem nil externa nil interna nostra respirent & meditentur. Illa virtutum domina, gemma meritorum, bonorum operum thesau rus, ianua cœli, illa quæ publicano victoriam, pharisæo confusionem parit. Illa denique beatitudinis æternæ spes & asylus ad quam nos conducat Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

Sanctorum prophetarum vaticinia, quia nihil in se continet nostra, quod ante non prædixerint Prophetarum oracula, nihil autem ipsi protulerunt, q̄ à Deo veritate prima nō acceperūt: *Huic* (enim) *oes Prophetæ testimoniū perhibent.* Sic etiā cēset D. Petr⁹ *Habem⁹* (inquiēs) *firmiorē, propheticū sermonē cui benefacitis attendentes. Hoc ipsum intelligentes, quod omnis Prophetia scripturarum interpretatione propria non sit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Cum igitur soli Deo futura contingentia cognita sint, infallibiliter fidē fide adhibere debemus. Fidem inquam, prophetis dare conuenit, quia Deo dictante ad nos perlatæ sunt. *Act.10.* *1.Pet. 1.*

Secundum nostræ fidei fundamentum est Sacrarum scripturarum concordia, & mutuus consensus. Nam licet diuersis in locis, à diuersis Euangelia composita fuerint; nihilominus tamē, diuino quodam acti spiritu in eundem sensum, si non in eadē verba deuenerunt. Quod aduertens Albumasar, inquit: *Lex christianorum veritates affirmat difficiles ad imaginandum, & humanam notitiam transgredientes.* Quibus verbis vtitur D. Aug. ad confutandas hæreticorum religiones prauas, quæ totidem sunt, quot hæreticorum capita reperiuntur. *2.Fidei columna.* *Albus. lib. 1. cōmut. diff. 4.*

Tertium Religionis nostræ fundamentum est Scriptorum & authoritas & Sanctitas. Quantus fuit Moyses qui quinque libros bibliæ conscripsit; de quo dicitur, *Dilectus Deo & hominibus Moyses*: Quales fuerunt Samuel & Hieremias, qui adhuc in ventre matris cōstituti sanctificati fuerunt: Quanta virtutū prærogatiua claruerunt Isaias, Zacharias, Ionas, Tobias, Iob, Daniel & omnes Apostoli: Quis illos temeritate, vel mundanæ laudis appetitu ductos, scripsisse dicere præsumat? *Ecce* (inquiunt) *nos reliquimus omnia.* Quis audeat dicere eos falsa vel somnia retulisse cū ipsimet dicāt; *perdes oēs qui loquuntur mendaciū*: Deniq; cū quāta dilligētia sacrā scripturā *3. Fidei columna.* *Eccles. 45.* *Matth. 19.* *Psal. 5.*

scruta-

ſcrutati ſunt Patres? quam niſi Spiritu ſancto dictante ſcriptam fuiſſe recepiſſent.

4. Fidei columna. Quartũ fidei fundamẽtũ, sũt res honestę, quę partim in fide continentur, partim fidem in ſe continent; quales ſunt declinare à malo, & facere bonũ, non alteri facere quod nobis fieri non volumus; Deum ex toto corde amare, proximum autem ſicut noſmetipſos. Denique Lex eſt de qua dici poteſt: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Immaculata quia nihil adeò honeſtum, nihil ita vtile ſicut virtutum amplexus, quæ nos Deo gratos efficiunt. *Pſal. 18.*

5. Fidei columna. Quintum fidei noſtrę ſuſtentaculum, eſt Martyrum in tollerandis ſupplicijs animus, quorum ſanguine purpurata delectatur Eccleſia, quæ quidem tormentorum genera, niſi Domino adiuuaute nequaquam pati potuiſſent. Huc accedit eorum multitudo & copia, quæ tanta eſt, vt teſte Diuo Hieronymo, non ſit dies, in qua quinque millium martyrum fieri non poſſit commemoratio, inter quos martyres Eccleſiæ flores & lilia recoluntur vt D. Paulus, D. Dionyſius, Sanctus Cyprianus & alij. *D. Hier. in. prolog. Martyr.*

6. Fidei columna. Sextum fidei noſtræ fundamentum, eſt Eccleſiæ conſtantia atque firma ſtabilitas; nam tantos paſſa eſt congreſſus, quantos vel mens humana ſufficit cogitare; nunc à Regibus, Domitiano, Nerone, Traiano, Antonino, Seuero, Decio & alijs; nunc ab Hæreticis Arrio, Neſtorio, Pelagio, Luthero, Caluino, &c. in quibus tamen perſecutionum fluctibus immota ſemper Eccleſiæ nauis perſtitit. illudque profecto teſtimonium ſufficiẽs eſt, vt demonſtretur fidem nõ ab hominibus, ſed à Deo proceſſiſſe; nã iuxta Gamalielis ſententiam, Si ex hominibus erit conſiliũ hoc, aut opus, diſſoluetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud.

7. Fidei columna Septimum poſtremumque fidei noſtæ fundamẽtum eſt virtus efficacia miraculorum, quorũ infinita multitudo à Chriſto in nouo teſtamẽto pereacta veri-

veritatē & integritatem nostræ religionis apertè demonstrat. Ideò namq; Christus Iudæis dicebat: *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Et alibi. *Euntes renunciate Ioanni, quæ vidistis & audistis, cæci vident, claudi ambulant &c.* Hincque sufficiens includit D. Thomas argumentū religionis nostræ, dicitque hæc miracula testimoniū veritatis & integritatis irrefragabile perhibere. Primo propter eorū speciem. *A sæculo*(inquit cæcus ille Ioannis 9.) *non est auditum quod quis aperuerit oculos cæci nati; nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam.* *Math. 11.* *3.p. q. 43. à.4.*

Secundo propter modum faciendi. Hic enim non vt Elias aut Moyses aut alij orando, sed propria virtute efficiebat. Quod Iudæi admirantes dicebant: *Quænam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat & obediunt ei.* Et in hodierno Euangelio, cum Christus surdum & mutum sanasset, obstupentes dicunt: *Benè omnia fecit & surdos audire & mutos loqui.* Hæc historia Euangelica est quam refert Sanctus Marcus. Vnde vt eam apertiùs enucleemus, primò de surdo & muto; deinde diuertentes aliquantulum de cæremonijs curationis compendiosè agemus. *Marc. 1.* *Partitio sermonis in duas partes.*

In primis igitur cum Deus humana sumpta natura hic in terris ageret, Diuinitatis, quia erat inuestitus, potestatem ostendere volens, stupenda quædam, modumque & ingenij humani capacitatem excedentia facere voluit miracula. Quorum vnum est, quod hodie nobis Sanctus Marcus commemorat. Nam cum in Regione Decapoleos iuisset Iesus, ad eum adducitur surdus & mutus, rogantque Christum vt eum sanare dignetur. *adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.* Theophilactus arbitratur hunc ab incunabulis surdum non fuisse, sed ex operibus Dæmonis id contigisse. Idem sentit Euthymius, sed malè; nam si hoc ita fuisset, cum ad miraculi magnitudinem maximè faceret, ab Euangelista nul- *1. pars de surdo & muto.*

ſta nullatenus fuiſſet tranſeundum.

Eidem inſiſtunt ſententiæ Beda cum Euſebio Emiſſeno dicentes, ſurdum & mutum non fuiſſe hunc hominem à natiuitate, ſed opera Dæmonis id factum fuiſſe, qui ſe mortalium ingerit auribus, animæque illudens, aures obturat ne verbum Dei audiant, linguam pariter obſtringit ne peccata confiteantur, & ne magnalia Dei decantentur. Sed in hoc hallucinantur arbitrantes eandem eſſe hiſtoriam cum ea, quam refert Matth c.9. Nam ibi mutus accipitur pro Dæmoniaco, hic verò non ita, ſed dicitur homo ſurdus & mutus. *Adducunt ei ſurdum & mutum*. Quam magna eſt charitas erga proximum! quantus dilectionis elucet affectus! quanta denique ſalutis proximi dilectio, quam quidem ita ſcriptura extollit, vt licet Moyſes laudabilem ſe reddat, quia quadraginta annorum ſpàtio oues ſoceri ſui Ietro pauerit; commendatiorem tamen multo magis Charitas, qua in ſalutem proximi flagrabat, effecerit. Dicebat namque ad Deum: *aut dimitte illis noxam hanc, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Quaſi dicat; Tanta eſt populi mei, cordi meo infixa cura, vt perire malim, quam hic populus veniam non conſequatur.

Charitate homo valdè cōmēdatur. Exempla. Exod. 32.

Non minoribus laudum encomijs extollitur Abraham ob euidens charitatis ſpecimen quod præ ſe tulit, cum pro conſeruatione quinque vrbium ſic Deum exorabat: *Nunquid perdes iuſtum cum impio? abſit à te, vt hanc rem facias, non eſt hoc tuum iudicium qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc*, Sciebat hic Sanctus Patriarcha iuſtos ab omni Dei vindicta immunes, ſed vt & iniuſtum ſaluare poſſet, viri iuſti vitam iuſtam, Deo iuſto, ipſe iuſtus offert. Deſiderium hoc, animæ indiderat; iam dudum deſiderata proximorum ſalus.

Geneſ. 18.

Quam regalis eſt Pſalmiſtæ regij oratio, qua diuinæ iuſtitiæ flagella in populum ſuum iam concitata, in ſe conuerti præcabatur: *Ego ſum* (inquiens) *qui*

qui peccaui, ego qui iniquè egi; isti qui oues sunt quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me. Scatebat impijs regnum Regis illius, nec dubitabat qui orabat, attamen vt saluti proximorum prouideret, peccatoris nomen assumebat atque ignitas diuinæ vindictæ sagittas in se concitari precabatur. *2.Reg.25.*

Non dissimile desiderium peruaserat cor Doctoris gentium, cum charitate feruens exclamaret: *Optabā anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* desiderabat voluptatibus, delicijsq; quibus in Christi conuersatione fruebatur, priuari, vt eorum saluti prospiceret, qui nihil præter mortem eius intendebant. Cum verò Paraliticum sanasset volens calumniatoribus obmurmurationis ansam tollere hunc in modum excusationis texit seriem: *Pater meus vsque modo operatur & ego operor;* quasi diceret. Non absurdum videri debet, si in die sabbathi hominib⁹ lāguentibus subuenio, siquidem paternam imitans charitatem, qui diebus singulis mortalibus succurrit, hæc facio. Hæc omnia in medium produxi quoniam Euangelica series quosdam pietatis alumnos ad Iesum adduxisse surdum & mutum refert. *Adducunt ei surdum & mutum.* *Rom.9.* *Ioan.5.*

Fidei maximæ symbolum erat in his hominibus qui in Christo diuinum quid agnoscentes, solo manus contactu hominem saluum fieri posse arbitrabantur. Hoc opus fidei adscribendū est, cura verò quam de languente susceperant, charitati tribuenda est. Quæ duo virtutum opera, basibus non insolidis & instabilibus innixa erant; Aliud nāq; bonæ famę quæ vniuersum orbem repleuerat, insistebat; aliud, miraculorum perpetratorū multitudini infinitæ innitebatur, quibus ita innixi impossibile nihil, nihil periculosum in attentione verebantur; tantam securitatem Fides subministrabat. *Fides & charitas in hoc opere conspiciūtur.*

Vnde perspicuum est fidem esse donum, arca-

numque

Templi Salomonis vniuersa sustentacula, trabes omnes, non ex regni compitis, aut è regalibus syluis prodibant, sed alienigena subministrante eis ad ædificij consummationem vtebatur. Marmor namque ex monte Libani, Ligna verò, Hiram Rex Salomoni subministrabat: *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.* Non absimile est quod in nobis construitur ædificium. Cor siquidem altare est; Diuinæ laudes sacrificia sunt, sustentacula verò Fides, Spes, Charitas, quæ non humanis meritis congeruntur, sed supernaturalibus donis mortalibus conferuntur. Inter quæ tamen fides fortissimum est. Ob quam has produxi allegorias. Ad propositum redeamus. *Adducunt ei surdum & mutum.* *3 Reg. 5.*

En animarum zelus, en cura quam de proximorum salute nos gerere cõuenit. Exhortatio verè digna Christiano, qua docemur, eos ad viam salutis reducere, qui prauis operibus ab ea declinantes, semitã regni prætergrediuntur. Surdos illos mutosq; ad Christum adducere decet, quibus peccatorum vinculis lingua irretita auresque obturatæ officiũ suum præstare nequeunt, quibus inquam ita vitia innata sunt, vt omnem animabus proprijs viæ cælestis aditum præcludant; hos ad Christum perducere conuenit, vt diuinarum monitionum exhortatione obturatas aures aperiat, & linguam mutilam dissoluat. Muti namque sunt plerique, qui linguam, qua peccata confiteantur non habent. Hoc charitas exigit, hoc proborum docet nostrorum hominum exemplum, qui charitate feruentes non solum eum qui surdus & mutus erat Deo offerunt, sed etiam eum obsecrant, & vt sanitatem inducat obtestantur. *Et precabantur eum vt imponat illi manum.* *Charitas vult vt curam de proximorum salute geramus.*

Aduertendum est Deum duas habere manus quibus homines mortales vel castiget vel nutriat, de quibus loquitur Psalmista dum ait: *Miseri-* *Iudicium & misericordia duæ Dei manus.*

& cogitationes eius conturbabant eum : Dæmones digito Dei fugantur,*porrò si in digito Dei eijcio Dæmonia;*& vt surdus sanetur necessarium, eritnè vt manum totam adhibeat? sufficere arbitrabatur Centurio ad famuli Paralytici sanationem verbum vnicum Christi,dic tantum verbo & sanabitur &c. & si ad surdi sanationem necessariam manum opinantur.Signum est surditatem animæ periculosũ malum esse,quæque non facilè restituatur, sed manum altissimi requirat. *Luc.11.*

Malum profectò extremum est , deplorandum malum lingua auribusq; carere:lingua quidẽ ad prędicandũ verbũ atq; miracula Dei;auribus verò quibus salutis via excipiatur. Quæ duo mala adeò deplorabilia sũt,vt his carentia olim semper respuerit Deus:*Bouẽ & ouẽ aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes,votum autem eo bis solui non potest.* Hinc innuens,vota,orationes atque sacrificia eorum,qui verba Dei audire negligunt, nullatenus arridere. O miseriam & calamitatem deplorandam! siquidẽ calamitas hęc maledictionis speciem inducit & alioqui bonum opus,peccatum efficit;*Oratio*(inquit Psalmista)*eius fiat in peccatum*.Salomon eandem miseriam explicans,inquit:*Victima impiorum abominabilis*. Dauid rursum animam derelictam in hunc modum nullum auxilij diuini iuuamẽ sperare posse affirmat:*Non est*(inquiẽs)*salus ipsi in Deo eius*,quasi diceret. Quos singulari gratiarum prærogatiua iuuare Deus solitus erat ; hos propter vitia animæ à se longè repellit,quotidianumque, quod eis impendere solebat,retrahit auxilium.His priuari, deflendum est,at auribus & lingua carere, magis est deplorandum. *Extremũ malũ, est lingua & auribus carere.* *Psal. 108.* *Prou. 51.* *Psal. 3.*

Cum Hebræi dixissent Aaroni; *Surge,fac nobis Deos,qui nos præcedant* : Hunc in modum Aaron respondisse fertur : *Tollite in aures aureas de vxorum , filiorumque & filiarum vestrarum auribus & adferte ad me.*Res sanè aliena à sensu , & *Exod.32.*

dum muti sumus. *Adducunt ei surdum & mutum.*

Per hunc surdum & mutum Venerabilis Beda intelligit genus humanum, manu Messiæ subleuatũ. At ego litteræ adhærens neque diuagans, intelligo hominẽ, cui⁹ anima surda & muta est; surda quidẽ ne audiat verbum Dei; muta verò, ne Deum oret.

Verumtamẽ notandum est nomen surdi & muti in vtramque partem sumi, nunc in bonã, nunc in malam. In bonam quidem, varia occurrunt loca: *Ego autem tanquã surdus non audiebam & sicut mutus non aperiens os suum.* Et infra; *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et iterum: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me; obmutui & humiliatus sum.* Et hæc sancta surditas est. *Variè sumitur nomen surdi & muti.* *Psal. 37.*

In malam autem pleraque obijciuntur, vt sunt; *Surdi audite & cæci intuemini.* Et alibi; *Aures eorum surdæ erunt,* Et iterum, *Leprosi mundantur, surdi audiunt, &c. Surde & mute Spiritus ego præcipio tibi exi ab eo.* Quæ surditas adeò periculosa est vt filius Dei in eius curatione hodie impediatur, & ceremonijs plurimis vtatur, quas vobis ordine explanabo. *Esaiæ. 42.* *Mich. 7.* *Luc. 7.* *Marc. 9.* *2. pars sermonis.*

In huius itaq; hominis curatione pulcherrimis vtitur cæremonijs. Inprimis namque cum amouet à turba, inde nos instruens, eum qui cælestia sequi peroptat, à turba mundanarum iniquitatum longè dimouendũ; quod consulit Hieremias, dũ ait: *fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suã.* Secũdò imponit digitos auribus, & linguæ saliuã, vt ostendat quantum honoris reliquijs sanctis impendere debeamus, quod docet dũ in curatione ægroti corporis articulis vtitur tanquam suæ diuinitatis instrumentis. Tertiò, in altũ subleuat oculos, vt ostendat quò in loco animarũ nostrarũ salus requirenda sit; quod nõ ignorabat Dauid cum canebat: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis,* & alibi: *leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium* *Excellentes Cæremoniæ quibus vsus est Christus in eius curatione, earũque explicatio spiritualis.* *Hier. 51.* *Psal. 120.*

mihi. Deniq; gemit & suspiria cordis emittit, vt innuat aliorum calamitates deflendas, atque præcipuè grauorum peccata deploranda. Sic deplorat D. Paulus malitiã eorum, qui Christi crucem contem-

Philip. 3. pserant. Primò ergò *Apprehendit eum de turba seorsũ.* non sine mysterio. Nam hinc ostenditur Dei misericordia, qua nos apprehendens vi quasi & violẽtia nobis fausta, separat à mundo, in quo delitescentes nisi per vim vix vnguam amoueremur ab eo. Huius rei testimoniũ præbet Loth: qui admonitus vt è ciuitate Sodoma propter ruinã imminentem exc[illegible]deret, refugiens quasi , per vim ab Angelis [illegible]ca abstractus est: dissimulante illo apprehenderũt manum eius, eduxeruntque eum. Hãc ob rẽ Christus etiam dicebat: *Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum,* Et dicit *traxerit,* insinuans violentiam in opere attractiuo. Rogat verò sponsa in canticis, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguẽtorũ tuorum.* Filius verò Dei inquit: *Ego si semel exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Roget itaque peccator cũ Psalmista: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.*

Vim infert Christus vt nos à mũdo seducat.

Gen. 19.

Ioan. 6.

Cant. 1.

Ioan. 12.

Psal. 143.

Sed cur languentem à turba seducit? decentius quippe videbatur vt ad gloriæ suæ diuinitatisque magnificationem, atque potẽtiæ augmentum, coram oculis tot astantium illud miraculum patraret. Difficultas non modica est. Cuius rationem inquirentes S. Hieron. & Venerabilis Beda, hanc adinueniunt. Quia (inquiunt) qui à Christo sanari desiderat, vt mundanorum societates atque frequentiã, vitet, necesse est. Hoc benè. Veruntamen allegoria est, quã exponũt Chrys. Theophylactus & Euth. dicentes id factũ fuisse, vt nobis ostẽderet vanę gloriæ aurã fugiendã. Alij autẽ eũ à turba semouisse dicũt, quia eam tãti miraculi aspectu indignã iudicabat: Alij, quos Maldonatus citat, dicũt id factũ fuisse, vt Christus ante surdi & muti curationem liberius feruentiusque Orationi vacaret; quod patet ex his

Quare surdum amouit à turba.

Chrysost. apud D. Tho.

his quæ in textu referuntur; orauit quippe Christus ante huius curationem.

Notandũ denuò est Christũ, nõ æquali lãce semper miracula ostentanda iudicasse, nã solo verbo Dæmones eijcit, solo tactu varios lãguores sanat, statum orationes præmittit, vt in hoc opere cernere est, nunc modo humano se accommodat, naturalis curationis modum sequens, quæ omnia ad Diuinitatis, atque omnipotentię gloriam faciebat, & ideò, *Apprehendit eum de turba seorsum.*

In qua apprehẽsione nos instruit mũdanę cõuersationes periculũ, illudque euitãdũ, vt ab omni secularium strepitu adducti, solitaris vitę amplectamur vestigia, quæ infinitũ tollit numerum peccatorũ, virtutũque fomes est, tinea verò vitiorum, vt rectè annotauit Cassiodorus; *Nimia* (inquiens) *turba vitiorũ sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur.* Nam dum in solitudine vitã degit homo, ab omni mundanorum frequentia semotus, nõ cõcupiscentia oculorũ dominatur, nõ titillant aures inhonestarũ Musarum cantus audiẽtes, nõ impudicis lingua verbis impeditur, dũ cui loquatur nõ habet. O Sanctũ solitudinis fructum. Periculosa sũt nãque impiorũ cõsortia, præcipueque fœminarũ. Loth in societate filiarũ tutus neutiquã fuit; nec Ammon in sororis suæ Thamar; Nec Absolon in Patris Cõcubinarũ cõsortio secur' fuit, immò nec Salomõ in suarũ vxorũ frequẽtia tutũ esse putabat. In medio mulierũ noli cõmorari, de vestimẽtis. n. procedit tinea & à muliere iniquitas Viri. Hæc Ecclesiastici verba sũt, quibus Sapiens in Prouerbijs suã subiũgit sentẽtiã dicẽs: *Nunquid potest quis abscõdere in sinu suo ignẽ, vt vestimẽta illius non ardeãt? aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius?* Abscõdere in sinu ignẽ, est puellarũ aspectus in oculis continuò gestare, nec amoris incẽdiũ in anima persẽtire; sup prunas ambulare, est fœminarũ cõsortia frequẽtare, quę quemadmodũ ignis obuia quæq; cõburit, sic quis approximata peruertit. Sint igitur procul à nobis

Solitudinis laudes.

Mala consortia fugienda.

Genes. 19.
2. Reg. 13.
2. Reg. 1.
3. Reg. 11.

Prou. 6.

Quantum periculi inferant quantumque damni exercitio spirituali adferant consortia praua, docet
3. Reg. 6. scriptura dum inquit: *domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis & perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur*. verum subiungit cum dedicari
3. Reg. 8. deberet: *Nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam*. quæ omnia consortiorum prauorum periculum demonstrant, dum de manuali opere agitur, parua obstant, vel vix periculi aliquid inuenitur, at vbi de spiritus consecratione agitur, nebula mentis acumẽ obstringit, mundanę conuersationis periculum obstat, ideoque hæc fugienda sunt.

Plutarchus inquirens rationem, cur Luna variè in fronte distincta sit, coloribusque pulchritudini necnon splendori detrahentibus, dicit esse ratione humiditatum quas è terra sibi associat. Hinc profectò colligere possumus, consortia praua plerumque animæ pulchritudinem inficere, ideoque fugienda esse. Confusionem hominum maximam in libro
Iob. 12. Iob reperio, vbi dicitur eis: *Interroga volatilia cæli, & indicabunt tibi*. Nunquid confusio maxima est, cum homo ratione præditus ad volatiliũ scholas remitti debet? *Interroga volatilia cæli*; præcipueque apes quæ tempore hyberno virium debilitatem sentientes, in cauernis latitant nec egrediuntur, ne fortè intemperiei aëris se obijcientes suffocentur & pereant. Sic tu & homo agas, nec apibus ineptior efficiaris, fugias procellosos ventos qui in vitam spiritualem insurgunt, vt de te dici possit; *Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate*. Qui igitur securè agere cupit, fugiat mundi frequentiam.
Matth. 13. Mundus siquidem Euangelicus ager est, in quo inter pauca bona grana infinitę insurgunt zizaniæ,
Genes. 18. Sodomorum & Gomorrhæorũ Ciuitas est in qua inter peruersorum infinitum numerum vix iustus reperitur,

reperitur. Babylō magna eſt, in qua ad tubæ ſonitū omnes Idolum venerantur. Denique ager eſt in quo mille peccatorū occaſiones ſuccreſcūt, ex quo mille peccata oriuntur. Qui infenſiſſimum habet inimicum, non ſolum eum veretur, ſed & omnes complices timet; ita nec nobis ſolum fugiendum peccatum eſt, ſed etiam deteſtandę peccatorum occaſiones. Hanc ob cauſam exulare voluit Deus Abrahamum atque è terra ſua diſcedere, quia Chaldæorum terra Idololatris ſcatebat, & innumeris vitijs infecta erat. *Can. 5.* *Geneſ. 12.*

Et quemadmodum ambulare quis nequit ſine pedum vel calceorum macula, ſic nec per mundi vanitates ire quis poteſt quin cœleſtium affectionum veſtimenta inquinet. Hoc verebatur Sponſa in Canticis dum aiebat: *Exſpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* Hanc tibi ſume anima Religioſa allegoriam, cumque mundus, mundi vanitates, mundi deſideria, ingreſſum petunt, hunc mundum fallacem ſic alloquere. Ambitiones deſerui, voluptatum deſideria reliqui, vanitatibus memet exſpoliaui, & quomodo illis induar? Paupertatem voui, nunquid denuò diuitijs inhiabo? iam in ſacro ſācto ſolitudinis lectulo requieſco, nunquid igitur denuò Mundi vrticas, mundi aſperitatem inquitam? Hinc tu pariter mundane, anſam capias mundum deſerendi, ſiquidem eius ſocietas non periculoſa ſolum, ſed ipſum periculum eſt. Loth quantò tempore cum Abrahamo degebat iuſtus erat, ſed cum Sodomitarum frequentationem atque familiaritatem inijt, ſubitò domus illius corrupta; atque à fœce iniquitatis polluta fuit; Vxor quippe inobediens facta in ſtatuam ſalis verſa eſt, filiæ inceſtuoſæ factæ ſunt. O quantum periculum, quantum detrimentum parit prauorū familiaritas! fœlix quem non mundi aura captat, qui à mundanis affectibus longè diſtat. *Cantic. 5.* *Geneſ. 19.*

Hunc

Opera & mysteria diuina non cuiuis communicanda. Hũc forsitan seducit à turba vt ostẽdat opera Dei non cuiuis indifferenter esse communicanda, ne ea communia nimium facta parui fiant. Eam ob rẽ Elisæus Propheta filium Sunamitidis suscitare volens cubiculum ingreditur. *Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum.* *4.Reg. 4.* Christus similiter filiam Principis Synagogæ suscitare volens, quoslibet præsentes eiecit, priusquam rẽ adeò nouam, & inusitatam patraret: *Et cum eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius, & dixit: puella surge.* *Matth. 9.* Quę omnia ostendunt secreta Diuina abscondita à sæculari tumultu esse debere.

Quod etiam à Paganis sedulò obseruatum est. *Dyon. Nicæ: lib. 54. Rom. Hist.* Refert namque Dyon. Nicæ: Augustum Cæsarem libros Sybillarũ præ vetustate laceros, solis Pontificibus tradidisse rescribendos, ostendens hinc, arcana quæ eis erant inclusa non vulgari populo, aut plebi facilè detegenda. Tarquinius Superbus, *Valer. mag. lib. 1. c. 1. de Religione.* (referente Valerio Magno) Tullium quendam cui seruandorum Reipublicæ secretorum cura incumbebat, quia solũ eum librum vetustate lacerum Petronio Sabino describendũ tradiderat, viuum sacco coriaceo inclusũ in Tyberim demergi iussit, quod supplicij genus in Patricidas translatum est. Rex hic itaque, ita secretorum sedulus obseruator erat, vt ea reuelantes & vulgari populo detegentes morte plectere non dubitaret.

Clem. Alex. lib. 5. Stromat. Solebant eam ob rem Aegyptij (teste Clemente Alexandrino) vela quædam ostijs templi appendere, designantes arcana Dei atque mysteria Sacra, ænigmaticè atque obscurè populo demõstrãda. Illud idẽ arbitror significasse præceptũ quod dedit Deus de cortinis appendendis: *Cortinas atrij, & velum in introitu, quod est ante tabernaculũ.* *Exod. 26. Leuit. 16. Num. 4.* Quid velũ, q̃d cortinę designabant, nisi diuinorum mysteriorum arcana reseranda?

D. Aug. lib. de Ciuit. Dei. Hanc ob causam scribit Aug. sacrificijs Getroxij & Proserpinæ nulli prophano interesse, licitum

licitum fuisse, sed præcone publico inhibente hac voce arcebantur, *Procul hinc, procul esse prophani*. Vnde Plutarchus refert Alcibiadem ducem strenuum magnoperè in sua iustificatione laborasse, quod accusatus esset cum Prophanus esset, sacrificijs interfuisse. Idem refert Cælius Rhodiginus. *Apprehendit eum de turba seorsum.* Hæc cæremonia non sola proponitur, sed hanc alia excellentior comitatur. *Misit digitos suos in auriculas eius.* Per digitos sacros, Sancti spiritus dona intelligũtur, ideò etiam Spiritus sanctus *dextræ Dei digitus* vocatur. Et vbi Lucas habet: *Si in digito DEI eijcio Dæmonia*, alius sic scribit: *Si in Spiritu Dei eijcio Dæmonia.* Qui Spiritus, Dei digitus est mutos & surdos sanans, nam proprium est Spiritus sancti peccatoris ac erroribus auocare. DEI ergò digitus, vt testatur Diuus Gregorius, cuius verba sunt hæc: *Quid per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritus sancti designantur?* Potest etiam per hos digitos miraculorum virtus designari. Ob id namque Christus in Scriptura manus appellatur, sic testantur Patres, Origenes, Hieronymus; deniq; Dauid qui in Psalmis sibi Deum in adiutorium aduocans inquit: *Emitte manũ tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*: quæ quidem manus digitos quinq; habet. Primus minimusque quem *auricularem* appellamus, humilitatẽ atq; obedientiã demõstrat. Secundus, qui vulgò *medicinalis* dicitur, eius pietatem necnon misericordiã designat, Tertius, qui medius maximusq; inter cæteros est, virtutẽ figurat miraculorum. Quartus, qui *index* est, prudentiam ostendit, hoc siquidem digito viã salutis errantibus demonstrat. Quintus, qui fortissimus atq; robustissimus est, quiq; *pollex* dicitur, mortem, atq; passionis acerbitatẽ significat; qui manus articuli hodie surdi aures tangunt. *Misit digitos suos in auriculas eius.*

Quid per digitos intelligatur.
Primo.
Luc. 11.
Matth. 12.
Hom. 10. in Ezech.
Secundo.
Orig. hom. 27. in numer. Hiero: Ezech. 27. & Abd. 5.

Misit digitos vt ostẽderet in omni corporis parte coniuncta diuinitati salutificum latere reme-

dium

dium quo languores diuersos, diuersarum ægritudinum genera sanare valeret. Sed nec ei sufficiunt quæ iam relata sunt; non abductio à turba; non digitorum in aures impositio; nõ saliuæ applicatio; sed insuper, *suspiciens in cœlum ingemuit.* Qui gemitus doloris caussa est, cumque is solummodo cognoscet, qui charitatis Christi incendium intelliget. Certũ namq; est dolorem ab amore prouenire, tantoq; esse vehemẽtiorẽ, quãto res amissa carior videbatur. zelũ animarũ in Christo existentẽ quis exprimere valet? Nemo sanè. Intuẽti tamẽ Incarnationis modum, Natiuitatis rationẽ, vitę regimẽ, mortis atq; passionis acerbitatẽ, suppliciorũ deniq; numerũ nequaquã amoris vis incognita erit, quę eò maior erat quò perituararũ augebatur numerus animarum. Peccatum etiam intuebatur Christus, cuius malitiam infinitam, gemitus ex cordis profundo procedens testabatur, tanta quipppe erat doloris magnitudo, vt nec etiam Angelis nota fuisse dicatur, sed illi soli qui peccati malitiam considerare valeret. nec. n. Angelus, immò neq; Beatissima Virgo maliciæ peccati perfectam cognitionem habet, & hæc ratio est: quia dum homo per peccatum mortale ab incomprehensibili bono separatur, necesse est vt incomprehensibilis sit, qui incomprehensibilis boni priuationem cognoscere debet. Solus itaque Deus morbi periculum cognoscens genit: *Suspiciens in cœlum ingemuit.*

Caussæ gemitus Christi.

Prima caussa.

Solus Deus enormitatem peccati cognoscit.

Secunda caussa gemitus.

Secunda huius gemitus ratio est, quia Christus miseriam peccatoris atque infælicitatem aduertebat, quæ tanta est, vt non solũ per peccatum Dei amicitia priuetur, sed & inimicus infensissimus denuncietur; adeò vt peccatorem tantò magis quibusuis humanæ vitæ periculis obuium deserat, quãto maioribus eum antea beneficiorũ atque gratiarum donis fulcierat. Huius infælicitatis modum describit Psalmista dum ait: *Oculi Domini super iustos, & au-*

& aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Psal.33.

Cum Iacob faciem soceri sui Laban alias lætabundam & hilarem, in iram conuersam vidisset, tanto dolore afficitur, vt domum eius deserere statuerit; inquiebat autem: *Video faciem Patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nudius tertius.* Ah! peccator qui fieri potest vt faciem Creatoris tui in te commotam cernēs quiescas, & viuere possi? fortunam namque Cain, infortunium inquam, sequeris, qui post reprobationem dicebat: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis qui me inuenerit, occidet me.* Genes.31. Genes.4.

Ita est de peccatore, qui à Deo alienus omnium malorum diuersitatibus subiacet, quod sic exprimit ab experientia doctus Dauid: *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum.* Quasi dicat. Quanto tempore à te alienatus per peccati maculam recessi, tanto tempore inimicorum insidijs mille subiacebam. Consilium fecerunt inimici in vnum: *dicentes Deus reliquit eum: persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Psal.70.

Si Absalom priuatus gratia paterna diutius viuere se non posse dicebat cùm ad Ioab sic loqueretur: *Obsecro ergo vt videam faciem Regis, quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* quantò minus Peccator, iræ Dei fulmina, vindictæque Creatoris onus insupportabile tolerare valebit? 2.Reg.14.

Infortunium fuit intolerabile Amam Persæ, qui cum olim aulicus Regis fausta sibi omnia atque fœlicia contingere congratularetur, subitam metamorphosim atque iram Regis vehementē nō sustinens, illico præ dolore tabescere putabat. Adeo namque efferuerat ira Regis, vt non prius abstinuc-

abstinuerit quam eum patibulo affixum esse vidit : *suspensus est itaque Amam in patibulo quod parauerat Mardochæo, & Regis ira quieuit* . Qui quidem stupor ex solo Reginæ verbo ortus fuerat: *Dixitque Esther & inimicus noster pessimus est iste Aman ; quod ille audiens illico obstupuit* , *vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens* . Maius attamen peccatoris infortunium est , qui non solum Regem in se commotum habet, sed & totam cœlestis aulæ curiam damnationem spirantē illius, qui per peccatum Regi displicuit. Hic suspicandū, hic gemendum: Sed quia id non valet homo, ideò Christus periculum aduertens ingemiscit. *Suspiciens in cœlū ingemuit*. Alia ratio gemitus huius fuit Consideratio pænarum, infinitarum peccatis debitarum. Nec immeritò ingemiscit, dum peccatorē obstinatum sui casus periculum paruifacere aduertit. & infatuatam animarum insaniam ! ô stupiditatem intolerabilem ! ô spirituum frenesim execrandam ! Ridet homo, flet Christus , gaudet homo, singultit propter hominis periculum Christus. Peccati onus non persentit homo, at Christus illud portat , & oneris magnitudinem cognoscit. Quanto tempore elementa in centris suis hærent, nihil oneris sustinent, at vbi diuersitates obtinent elementorum & locorum, grauia sunt. Sic peccator quamdiu volūtatem deprauatam habet, nihil oneris sentit, at vbi ad Deum conuertitur, hæbetudinem animæ cognoscit, stupiditatem miratur, ignorantiam aduertit . Sic Dauid de se testatur: *Sicut onus graue grauatæ sunt super me* . & infra: *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*. Omnis adeò fastidiosum iudicat Christus, vt in sola pænarum consideratione ingemiscat. *Suspiciens in cælum inseruit*. Cæremonijs iam productis miraculum audite. Cum supra dicta fecisset , aures apertæ sunt & lingua soluta , ipsoque laudes Deo referente, stupentes cæteri dicete cæ

Esther. 7.

2. causa gemitus.

Psal. 37.

re cæperunt: *Bene omnia fecit, & surdos audire & mutos loqui*. Hæc Concionis sicut & Euangelij conclusio sit. Discite ergo fidem cuique prodesse, seu ad corporis seu ad animi sanitatem obtinendam vt patet in Centurione, & Sancto Stephano qui orans meruit Pauli curationem. Discite pariter Messiam ad patranda miracula in hunc mundum venisse, vt patet Isaiæ 35. & Sap. 10.

Sana quæsumus mundi Saluator, atque animarũ medice languidos peccatores, quę olim patrasij miracula huic ætati sunt adhuc necessaria, plures namque sunt in anima surdi, quam tunc in corpore fuerint sanati. Obturant aures nè verba vitæ audiant, tu Domine patefac, os concludunt, nè laudes decãtent, tu Domine aperi, vt nõ solum laudes insonẽt, sed vt peccata confiteantur & vt vitam æternã adipisci valeant Amen.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in Latrones. Luc. 10.

FIGVRA.

SAcrorum vatum ferè Princeps, & Coriphœus Dauid, quanta in pauperes & afflictos duceretur misericordia, tunc apertissimè ostendit, cum insequentibus se quadringentorum militũ turbis, succensorẽ vrbis Sicleus persequens, quæ erat vrbs de tribu Simeon, in finibus Iudeæ circa tormentẽ Bosor, situata nihilominus spretis his omnibus oblatũ sibi miserũ malechitæ ducis famulũ AEgyptiũ, multis ęrumnis confectum, etsi idololatram & ethnicum miseratione ductus curaui, & pristinæ sospita-

Præmias illas adduxi Ethnicorum sententias, quibus facilius ad illā Doctoris gentium perueniremus vbi inquit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Et Christus in Ioannem: *Sine me nihil potestis facere.* 2. Cor. 3. Ioan. 15.

Vnde Angelicus Thomas, & Seraphicus Bonauentura infallibiliter colligunt existentem in mortali hominem, absque diuini fauoris auxilio nulla ratione sordium suarum volutabro exurgere posse. nec desunt exempla quæ afferāt. Inprimis Sanctus Anselmus Cantuariensis Antistes, qui ætate Henrici quarti in Anglia circa annum 1057. exstabat dicit: posse quidem hominem se in profundum aliquod proprijs augibus demittere nullius auxilio, non tamē inde exire proprijs viribus & solis. Idem affirmans de peccati abysso, in quam se præcipitare homini liberum est, resurgere proprijs viribus impossibile.

Secundum subministrat Diuus Chrysostomus inquiens, quod sicuti nauis amisso clauo incerta maris fluctibus, & scopulis agitatur, nec ad optatū littus facilè appellit: ita peccatos qui in hoc miseriarum mari continuis fluctibus æstuant, si diuinæ gratiæ gubernaculo excidat, non modo, resurgere, sed ne quidem Iunicarum tentationum procellis obuiare valet hoc. Idem succinctiori ante sententia docuerat Ecclesiastes, dicens: *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Prou 23.

Tertiū ex vastissimo aureatū sententiarū mari S. Augustin. depromitur, vbi dicit: quod sicut homo propriæ vitæ inuidus carnificinam in se exercere & vitam sibi adimere; non ademptam restituere potest, ita peccator spirituali vita se spoliare potest iuxta sapientis dictum. *Homo per malitiam occidit animam suam*, sed extinctæ gratiæ lumen à se conciliare non sufficit, alludit ad hoc scriptura in- Sa. 16.

quiens: *Spiritus vadens & non rediens.*

Quartum rursus suppeditat sacri eloquij decus D. Chrysostomus affirmans hominem, antequam in scelus labatur, esse vere liberum, sed post lapsū similem esse populo regem sibi statuente, & stabiliente quidem, sed non valentem eum à statu remouere; ita vt in eo sit similis illi peccator, qui quando semel propter peccati malitiam Dominum sibi adsciuit Diabolum, quicquid conetur, eum à Dominio repellere non potest. Quod autem peccatori dominetur Diabolus, clarioribus luce verbis iudicat patientiæ speculum dicens: *Ipse est Rex*
Iob. 41. *super omnes filios superbiæ.*

Quo tempore tanta fames inualuit super terram, vt ex omni mundi parte victualia petituri in Aegyptum pergerent, descendentes etiam filij Iacob, ad duos aut tres duntaxat annos, in ea morari constituerant, donec fames cessaret: verum contra eorum mentem prorsus factum est, vt & ipsi & tota eorum posteritas, mortuis ipsis, plusquā ad quadringētos annos sub duræ captiuitatis iugo detineretur. Idē planè de peccatoribus quod de illis censendū, qui tentationis tempore in peccatū, diaboli inquā dominiū delapsi, nō modo nō quāprimū resurgere, sed & sæpius post innumeras angustias in eo mori cogerentur, nisi Deus ter optimus maximus infinitæ bonitatis thesauros expandens, misericorditer eos reduceret; nec sine miraculis.

Miraculis inquam; nec mirum; cum celeberrimus Ecclesiæ doctor D. Augustinus ausus sit dicere in eo, quem de libero arbitrio scripsit, tractatu, *maius opus est* (sunt ipsamet verba) *vt ex impio iustus fiat, quam creare cœlum & terram.*

Sententiam de se verissimam stabiliunt adhuc amplius firmissimæ rationes, quarum fundamentalē ponit Aristoteles in Postprædicamētis inquiens. *A priuatione ad habitum impossibilis est regressus per naturam.* patet hoc in cæco, qui concurrentibus

etsi

nisi omnibus naturæ viribus, visui pristino restitui non potest. Sed desideratur ad hoc potentia super naturalis. Cum ergo summa animæ cœcitas ex peccato proficiscatur, vt etiam indicauit Sapiens his verbis: *excæcauit eos malitia eorum*, & hæc cæcitas multo periculosior sit quam altera corporis, Consequens est, ad hoc vt ea percussus sanus fiat, vt inquam in peccatore mentis oculi lucis, vsum recuperent, multo magis desiderari virturem supernaturalem, & diuinæ gratiæ vim qua ille non solum lumen, sed etiam vitam recipiat. Sapien. 2.

Sed quorsum hæc omnia dicetis? nihil abs re dictum esse videbitis, si attentius ruminetis hodierni Euangelij narrationē, in qua propositum audietis à Christo miserū quendā in deserto loco iactātē, plagis cōfectū, bonis omnibus spoliatū, & ita malo habētē, vt nisi commiserationis affectu motus Samaritanus eum curandum mandasset, quamprimū animam efflatorū credidisses, Samaritanū Christū, sanciatum peccatorem intelligite, rei huius testis est D. Lucas dicens: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho & incidit in latrones; qui etiam expoliauerunt enim, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Vt, quid in huius lectionis Euangelicæ discursu agitetur, videre possitis, propositiones in legeperiti Doctoris, Dei & proximi dilectionem spectantes, in medium afferemus, à quibus huius parabolæ explicationem deriuabimus, & indè facillimè cognoscetis, quantas malorum strages animabus vestris excitet peccatum; estote attentis auribus. Propositio.

Istius igitur discursus exordium est; quod cum Christus multa Apostolis disseruisset, subindeque eorum oculos fælices iudicasset ob ea, quæ viderāt & videbant, ac fæliciores adhuc animas quæ beatitudinis æternæ præmia incomprehensibilia prestolabantur; inter hæc, surgens quidam

iurisperitus, Euangelista verba ponam: *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* Insignem profectò legisperitum, qui omnium scientia se iactans, cæli viam ignorat, & legisperitus, seipsum ignorat. Simillimus oculo qui omnia circumspicit & seipsum videre non potest. Similior, inquam primo parenti, qui secundum infusam sibi rerum omnium notitiam rebus omnibus creatis nomina imponebat, sibi autem quia seipsum ignorabat, proportionatum naturæ nomen imponere nunquam valuit. Huius farinæ erat hic Doctor, qui totius legis peritia clauis, saluti suæ congrua ignorat, alios in lege instruit, nondum eorum, quæ sibi ad salutem necessaria sunt, discipulus. Secundum illud: Argus foris, domi talpa.

Legisperitus valde imperitus

Huic paginæ annumerandi illi mundani, & sæculi huius nobiles, qui si de publicis negotijs, & mundi implicamentis interrogentur apud homines oracula sunt, & æstimantur; qui si de conscientiarum angustijs, & casibus mentio fiat obtumescunt, fatetur idem Propheta Regius dicens: *vt Iumentum factus sum apud te.* Quasi dicat; O Domine Deus! si de conscribendis exercitibus, rixis sæcularibus componendis, aut republica prudenter ordinanda quæstio sit, fortè æqui parandum mihi video neminem; quod autem spectat ad animæ meæ statum, cultus & honoris, quē tibi debeo, exigentiā, vt iumentum, præ nimia ignorantia, factus sum apud te. Idem ferè alio loco dixerat de primo peccatore sermonem faciens: *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quod sic explicare de hodiernis licet: sapientes mundani honoribus, pompis & huius sæculi vanitatibus irretiti, nihil sapiunt spirituale, nihil quod futuri sæculi beatitudinem redoleat. vnde, Diuus Paulus: *Animalis autem homo non percipit ea*

Homines mundani in rebus sæcularib⁹ periti, in spiritualibus inscij

Psal. 12.

Psal. 48.

pit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Ac ideo optimè in eo caſu cum beſtijs de improuidentia participare dicuntur.

Architofel regni Iraelitici A ſecretis officiarius prudentiſſimus tanta in diſcernendis temporalib cauſis,& litibus ſollertia, excelluit, vt ob hoc etiam ſacræ ſcripturæ teſtimonio commendari meruerit,dicente illa . *Conſilium Architofel quod dabat in diebus illis quaſi quis conſuleret* Deum: Qui tamen in ijs quæ Dei & animæ erant, quam inſipiens fuerit, vel ex hoc ſolo apparet , quod proprijs manibus ſibi ſuſpendio vitam concluſit . In hoc ei ſimiles ſunt hodie docti mundani , qui ſi conſilio opus ſit, ſagaciſſimi & prudētiſſimi ſunt; ſi cæleſtia interroges,aut neceſſarias ſaluti animæ quæſtiones obijcias,ſunt cæci,in terrenis lynces , oculorum acies, talpis ſimiles ad cęlum extollere nequeūt.idem in ſe agnoſcens homo ſecundum cor Dei,dicebat.*Dereliquit me virtus mea,& lumen oculorū meorū & ipſum non eſt mecum.* Quaſi innueret Ego qui hactenus Gigantem Goliath proſtraui,leonem extinxi , Phyliſteos domui,vrſum necaui , qui fortè adhuc hodie in temporalibus tanta ſagacitate polleo, vt neminem vereat ſi iā de recogitandis animæ meæ vulneribus, meditandis inferni cruciatibus, contemplandis mentali oculo futuri ſæculi gaudijs, Denique ſi de procuranda animæ ſalute ſit quæſtio, cœcutio,*lumen oculorum meorum non eſt mecum* . Idē hic Doctor. *Domine quid faciendo vitā æternā poſſidebo*? Miſer homo alios docet,ſibi ignarus, iter alijs oſtendit,pro ſe petit oſtendi.Similis illi Syrię regi, qui lepra ſanādæ conſilium dedit exercitus ſui duci,Naamā,immò etiā litteras cōmēdatitias ad Prophetā deſtinauit.ipſe intereà in Idiolatriæ ſuę fœdiſſima lepra debiteſcere nō curauit.*Dixitque ei rex Syriæ, vade mittam litteras ad regē Iſrael* De his & ſimilibus,qui in ſordibus ſuis & peccatis ſe volutātes,alios in viā ſalutis ducere & emendare ſatagūt,

2.Reg.16.

Pſal.37.

4.Reg.5.

in persona Dei loquebatur Dauid dicens. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.*

Sed quid vobis videtur dicēdum de miseris illis operarijs, qui arcam, qua familia Noë saluaretur à diluuio, fabricantes, seipsos vndis diluuij submergi passi sunt? Eheu, quod nostra ętate extāt illis similes, qui alijs student, aliorum salutem concionibus, pijs monitionibus & similibus operibus procurant ipsi in voluptatum & vitiorum suorum cœno volutari se patiuntur. Quod quantum abhorreret Apostolus, apertissimè iudicāt ipsa eius verba: *Timeo nè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* codē vitio laborabat Doctor ille dicens: *Domine quid faciendo vitam æternam possidebo.*

1. Cor. 9.

Egregius sanè Doctor, inutilia fortè collet, necessariam autem vitæ æternę semitam ignorat. Nil est in republica perniciosius, quam quando in hominibus doctis, scientiæ coniuncta est superbia. Sicut enim ex officinis pharmacopolarū cū sanis & salubribus potionibus, exeunt antidota ex maximè pestiferis venenis cōposita; ita sæpissimè ex doctorum virorum scholis, superbiæ viam insertis, prodeunt documenta multa contagione infecta. (Sceleratus monarcha Herodes, Scripturarū & Prophetiarum arcana scrutabatur, nō vt exindè vitā emēdare disceret, sed vt Christi nascituri quem enecare tentabat) tempus & locū nosse posset. Ita planè plurimi literarum studijs insudant, nō eo fine vt ex illis virtutum flores seligant, sed malitiæ venena decerpant.

Perniciosū est scietiæ coniunctā esse superbiam.

Nobilis illa arbor scientiæ boni & mali in medio paradisi à deo collocata, cōtra statutum sibi finem non suis discipulis profuit, quin amplius maximè nocuit, & orbis vniuersi ruinā induxit. *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrū visu, et ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio para-*

disi lignumque scientiæ boni & mali. Ita plerumque viri, omni scientiarum genere conspicui, qui in medio ciuitatum, & rerum publicatum; ad hoc vt alijs prosint radices fixerunt, pessimos seditionum & turbarum fructus porrigunt. Seruus ille nequam, qui talentum à Domino suo acceperat, vt in eo operaretur, & aliud superlucratus tam sibi quam domino prodesset, non modo neutrum effecit, sed effodiens illud in terra, Domino detrimenti & sibi ruinæ causa fuit: vnde ei improperatum est. *Serue male & piger &c. oportuit ergo te committere pecuniam meā nummularijs, & veniens recepissem vtiq; quod meū est cum vsura.* Eadem ratione viri illi, qui pretiosissimum scientiæ talentum tum ad Dei honorem, tum ad suam salutem promerendam sortiti sunt, non modo sibi nocent illud superbiæ copulantes, verumetiam Dei honori & proximorum saluti obsunt. Vnde & audituri sunt idem quod seruo nequam dictum est. *Serue male & piger. &c.* *Matth. 25.*

Stellæ & astra cælestia, omnia quidem nutriunt & augent omnibus pręsunt terrenis, nō tamen omni vtilia & proficua, verum aliqua eorum prauis motibus, & sinistris influentijs multum efficiunt. In sacris litteris, viri docti stellis & astris comparātur, his verbis: *qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt alios, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Illi sunt qui sua dexteritate & prudentia, omnia regunt, verum sæpissimè eorum vitæ modus & ratio, tam statui sæculari, quam Ecclesiastico multum nocent. *Dan. 12.*

Ager ille Euangelicus, in quo pater familias triticum optimum seuerat, cum ad tempus messis ventum est, repertus est plenus inutilibus & noxijs zizanijs. Viri docti & eruditi sunt eximij Ecclesiæ campi, qui sæpissimè immissum sibi & insitum scientiæ donum, in zizaniorum ac tribulorum sordes conuertunt, ita vt cum messis colligendæ tēpus adest paterfamilias Deus nil præter

ter vanitatum, superbiæ, ostentationis & plurimorum malorum zizania reperiat. Eidem paginæ adscribendus Doctor noster, qui calumniã potius inquirens quam veritatem sub hypocrisis velo interrogat: *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo.* O fallax alloquium, doctrinam prætendens, & calumniam expectans! cui verè congruit illud Psalmistæ. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* tunc enim fallaciam meditamur, cum aliud corde, aliud ore loquimur. Olim Deus in lege inhibebat ne contexerentur vestes simul ex laua & liuo: *non indueris vestimento, quod simul ex laua liuoque contextum est.* illi enim lauam liuo commiscent, qui aliud lingua proferunt, aliud corde meditantur. cui præcepto obuiabat Doctor hic aliud nempe mel disciplinæ, lingua, & aliud vtpote fel tentationis corde occultans & dicens. *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo.*

Psal. 49.

Deuter. 22.

In quo laudandus legisperitus

Non tamen eius vituperio tribuenda omnia, quin aliquis etiam laudi tribuatur locus, si enim omnia perpendamus, videbimus eũ non ludicra vt hodierni Academici, sed seria & salutem spectantia interrogantem non enim quærit, vt hodierni Philosophi, an detur vacuum, an detur in vacuo motus, an serpens ante primi parentis lapsum pedes haberet, sed: *Quid faciendo vitam æternam possidebo.* Academistis illis optime, tribui potest illud psalmi: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua:* Hic autem operum bonorum exercitium, & æterna vitæ beatitudinem eiusque consequendæ modum examinat. Deinde Pharisæus hic, in hoc extollendus est, quod dissimilis est Caluino & Luthero eorumque segnacibus, qui dicunt superflua esse ad salutem bona opera. Hic autem de praxi rogat: *Quid faciendo*: non solum verbis, sed amplius factis æternam vitam consequendam iudicãs. Vnde non garrulis sed operarijs donatam merce-

Psal. 118.

dem refert S. Matthæus, dicente domino: *voca operarios & redde illis mercedem suam.* Matth. 20

Couersionis suæ basim ab operibus iaciēdā rectè putabat Apostolus cum dixit. *Domine quid me vis facere?* Quasi diceret, scio Domine scio cœlū ponderatim, & ideo non Verbis, sed operibus emi, quid igitur mihi faciēdum Itidem loquitur Doctor noster. *Quid faciendo &c.* Necessarium est, vt virtus & scientia, velut inseparabili vinculo connexæ inuicem se comitentur. Quæ si sic habeantur, hominē ad omnis perfectionis apicem euehunt. eam ob rem in veste sacerdotali olim granaticis malis cāpanulæ iungebantur. Vt inde doceremur scientiam campanulis figuratam, virtuti granaticis malis significatæ, indissolubili nexu copulandam esse. Doctus quidem & eruditus erat hic legisperitus; verū doctrina, fastum, & fallaciam, non virtutem addiderat. prælegit enim potius Christum tentaturus, quā intellecturus accedere vulgaris ille est Doctorū & Sapientū detectus, & fortę omnium heresū & sectarum, quæ Ecclesiam velut procellis & tempestatibus agitarūt, fons & origo, cū eruditi illi sibi nimium attribuerēt nec suis opinionibus antiquas, & probatissimas sanctorum Patrum sententias preferentes omnes, omnem vitæ suæ rationem, consilia, actiones, secundum proprios sensus, & appetitus instituendas putant. confirmat idipsum insigni sententia disertissimus S. Aug. cū inquit. *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris ecce in carne sanguine volutamur.* Ea enim minus sapiētū ratio est, vt curiosas scripturarum, & scientiarū inuestigationes negligentes, omnes suos conatus, & actiones ad pietatis, & virtutum exercitia conferant. Quod facere nimium sapientes nugis suis intricati detrectant.

Act. 9.

Virtus cū scientia coniungi debet.

Exod. 28.

In hoc propositum incidit quod refert Surius de Egregio illo & suorū temporū clarissimo Arsenio, qui etiam ob ingenij excellentiam dignus iu- *Surius Tomo 4.*

dicatus est, qui ad filiorum Theodosij imperatoris pœdagogium sublimaretur hic cum relictis sæculi negotijs, ad eremum secessisset, & neglecto proprio sensu omnem sui regiminis rationem ad rustici cuiusdam, & indocti anachoretæ AEgyptij leges componeret vice quadam interrogatus, cur id faceret, scitissimè respondit: *Quia huius rustici illiteratam planè iustitiam fateor me nondum didicisse.*

Eximius tẽporum testis Plutarchus, in suo cupiditate diuitiarum volumine scribit, quod cũ quodam die multis laudibus celebraretur, vir quidam proceræ staturæ, procerique corporis, manibus & brachijs admodum protẽsis, repentè Hispomachus quidam surgens, laudes repressit dicens. Hoc tam procerum corpus, hæc membra, vtilia admodum forent, si belli laurus & corona & sublimi dependeret, solumque rapienda foret: doctissimè intelligẽs, non multum prodesse corporis altitudinem & põdus, si desint animi prudentia, tanta corporis constitutio, maximeque animi magnitudo & fortitudo. Eadem de sapientibus sententia, nisi eruditioni pietas accedat, nisi doctus virtutum disciplinis imbutus sit, non multum efferenda est ipsius doctrina, & scientia.

1.Cor.13. Clarissimè docet idipsum vas electionis & Gẽtium Doctor his verbis: *Si omnem scientiam habuero, charitatem autem nõ habeam nihil sum.* Vnde priusquã à Deo doctrinam flagitaret Propheta Regius, vir-

Psal. 118. tutem & bonitatem rogauit dicens: *bonitatem & disciplinam & scientiã doce me.* Docti olim erant Scribæ & Pharisęi, ad hoc vt erudirẽt Herodẽ de Christi Natiuitate, loco & tempore; sed boni non erant, vt ipsi etiam cum Magis adorarent. His per similes extant complurimi, tum diuinarum, tum humanarum legum expertissimi Doctores, quibus non ad Dei cultum, aut proximorum ædificationẽ, sed solum ad lucrum, & superbiam prodest scientia.

Sponsus in Canticis, in ornatu sponsæ suæ com-

comparando euirosus inquit. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quis vnquam simile aliquid audiuit? Forte magis placuisset, si dixisset murenulas argẽteas vermiculatas auro. Verum ita spiritui sancto dictanti visum est. Vera enim charitas scientia excellentior euadit. Vndè quia vtrumque inuicem sibi decorem addit, charitas auro, scientia argento comparatur: Pretiosum admodum animæ Christianæ monile. *Cant.1.*

Vnde D. Paulus absque alio, idest, scientiam virtute comite destitutam nequicquam haberi arbitus, improbum prædicatorem his terminis irridet. *Factus est velut æs sonens aut cymbalum tumiens.* Ego verò dicere audebo, ei vt idolis optime accommodari posse illud Psalmistæ: *Oculos habent & non videbunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Habet enim omnia virtute exercende instrumenta, nec illis vtitur, præterea adeo necessaria est scientia socia virtus, & præter hoc quod sine hac illa nihil est, sæpissimè etiam hac deficiente, sola scientia & Doctorum, & Discipulorum ruinam, & perniciem inducit. In aliqua domo caminus ordinarie super reliquas partes eminet, non est tamen inter omnes vlla, quæ sordibus & sparcitijs sit plenior; sic etiam in regno vel republica aliqua eminere solent, & velut omnibus excelsiores haberi Doctores, & scientes viri, ipsi etiam sępissimè propriarum passionum sordibus deteriores & spurciores existunt. Montes & rupes in sublime elati, & cœlo viciniores, primi quidem rorem & pluuias recipiunt, semper tamen steriles & tam pascuis quam inhabitationi humanæ manent inutiles. Quibus persimiles Doctores & Legumperiti, qui fouendis & educandis virtutum alumnis deseruire deberent, crebro nihilominus & sibi, & alijs inutiles, vt arua sterilia, perdurant. *1.Cor.13.*

Et Quau-

Et quandoquidem de fructibus est mentio insignis illa arbor Principis & Regis Nabuchodonosor, quæ tanta fructuũ vbertate vigebat: *& fructus eius nimius*, ne quidem vnum tamen hominum vsibus, & alimentis ministrabat, sed omnes bestijs impendebat, iterum supra viros doctos arboribus fructuosis comparatos, audistis, verum non rarò contingit, vt ipsi omnes scientiarum suarum prouentus non animabus ad pietatem erudiendis applicent, verum ijs ad bestiales sensualitatum suarum motus, passionum turpitudinem & ambitionis augmentum vtantur. Vndè ob hoc ira succensus Deus, sæpius prauas arbores abscissioni & incendio deputat, sicut illa supradicta arbor; quia, *subter eam habitabant animalia, & bestiæ & ex ea vescebatur omnis caro*: Iure meritissimo audire meruit: *Succidite arborem, discutite folia, dispergite fructus*. Recentius verò Saluator in Euangelia: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Dan. 4.

Scriptura teste: *Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud Dominum suum & honoratus, erat autem vir fortis & diues, sed leprosus*. Idem dicendum de viris doctis, qui vt omni scientiarum genere illustrati, principum dignitatibus & honoribus nobilitantur, verum eorum plerique leprosi sunt, id est ambitionum, vanitatum, fastuum, ac simulationum lepris animum infertum gerunt. In horum scholis educatus fuerat Doctor ille, qui præsumptionis & fallace lepra corruptus tentaturus dominum inquit. *Quid faciendo*. Vnde responsionem audit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

Via ad beatitudinẽ est amor.

Huic petenti, qua via ad æternam beatitudinem pergendum esset, legem Saluator ob oculos audiuit & inquit; mirum quod, in lege periti nomen habẽs, quid in ea scriptum sit ignores. Subiunxit ille scriptum est: Diliges dominum Deum tuum &c.

&c. cui iterum Christus fac hoc & viues. Quasi inde concludens omnem adipiscendæ beatitudinis modum esse, dilectionem Dei & proximi. *Diliges &c.* Diuus Ioannes Chrysostomus in quadam ad populum Antiochenum homilia locum hūc attendens, infert, euidentissimum de diuini in vos amoris signum, quod tā sæpè reciprocum à nobis amorem exposcit, nec malè: congruum enim est, & rectæ rationi consentaneum, vt cor, cui primus in tota corporis humani fabrica debetur titulus, eius etiā primū obsequio mancipetur, ad quod inclinās vates Regius inter cętera canebat: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Non exoptat sibi nec possit alia mēbra, vel alios sensus ad fœliciorem scite eorum vsum, sed cor tantummodo, quia illo recte se habente reliquæ corporis partes sine dubio melioreſcunt. *Psal. 50.*

Illud est mobile primum, quo motum inchoante cæteri cælestium orbium globi motum aggrediuntur. Ille solaris orbis, illud astrum quo lucem emittente cæteræ naturę virtutes vires suas exerunt. Ille rotus animatus, quas impellens describens Ezechiel inquiebat: *Quocumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu & istæ pariter eleuabantur sequentes eum, Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Cor etiam illud est, quod ipse sibi offerri vult Deus. In antiqua lege inseraucrat Deus: *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus quā de iumentis.* Si quid per primogenitum accipiendum sit examinemus, teste Philosopho primogenitum hominis est cor. *Cor enim est primum viuens, & vltimum moriens.* Theologi vero primogenitum hominis interioris esse decent amorem. Ex quibus exquisitissima & Deo gratissima componitur oblatio. De hoc doctissimè disserens Ecclesiæ lumen D. August. asserit cor esse vberrimā scaturiginē in duos amplissimos fluuios diffusam, quibus cælum & terra aluuatur, cū enim *Ezech. 1.*

appeti-

conditiones & partes copulentur, in prima ordine cor & voluntatem, in secundo intellectum, vt firmissimas & infractas bases statuit. In priori parte cor & voluntatem locat vt fontes & origenes amoris & piorum animę instinctum; in posteriori intellectum ponit, quia vt amor debitum sortiatur finem, necessarium est eum pijs affectibus & contemplationibus ac in DEVM eleuationibus extolli. Ob vnicam hanc rationem Spōsa in canticis ex delicijs, fauoribus, ac ciuilitate sponsi sui gloriæ occasionem nacta dixit: *Introduxit me vox in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Quasi dixisset: Interea quibus me ditauit, ornamentis, sponsus, ex præcipuis illud vnum fuit, quod me erudiuit qualiter subordinata dilectione tum in Deum, tum in me, tum in proximum ferri deberem: primo in Deum, deindè in animæ meę salutem, Tertiò in proximū, Quartò in corpus propriū, Quinto, ni proximi corpus. Deniq; in necessaria vitæ sustentationi bona, ita vt sic amando verè diligamus Deum ex toto corde, & proximos sicut nos ipsos. Idem mandatum extat etiam in Deuteronomio scriptum, huius ille est intellectus: sit Deus in vna parte constitutus, mundus in altera, potius totius mundi iacturam quam Dei pati tenetur homo. Quod integerrimè seruatum à tribu leui apertissima narratione declarat Exodus. Vbi post adorationem vituli, accepto à Moyse mandato: *Ponat vir gladium super femur suum, & occidat vnusquisque fratrem suum & amicum, & proximum.* Et paulò post subditur: *Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysis occideruntq; in die illa quasi 23. millia hominū & ait Moyses, consecrastis hodie manus vestras domino, vnusquisque in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* O prodigium, & rem horrendam, nec parentum senectuti, nec matrum lachrymis, nec fratrum precibus, nec filiorum tenellæ ætati aut innocentiæ parcunt leuitæ, hoc volebat

[Margin notes: *Cant. 2.* — *Deuter. 6.* — *Exod. 32.*]

lebat integra Dei super omnia dilectio, hoc facto ostendebant non habere se nec habendos esse parentum loco Dei inimicos aut eis legibus inobedientes; sicque seruari præceptum: *Diliges ex toto corde tuo.* In vltima cœna Christus Dominus super hoc mandato ad Apostolos verba faciens his terminis vsus est. mandatum nouum do vobis, miramini fortem mandatum nouum dici, quod etiam antiquissimum est. verum mirandi occasionem subtrahet, si perpendatis cum noua etiam tunc in homines auaris flamma exarsisse cum pro serius mortem atrocissimam abire dignatus est Dominus, ac ideo condignum fuit dato exemplo amori vim nouam addere, ita est vere nouum sit mandatum diligere: *ex toto corde suo.*

Picus Mirandulanus subtilitatis vtique vir eximiæ & raræ sagacitatis In quadam quæstione examinat quam ob causam Deus postremum omnium creauerit hominem. creauit enim, cœlos, & Angelis cumulauit, creauit terram, & bestijs omnis generis compleuit, Aerem, auibus: mare piscibus: denique repletis omnibus locis vltimum fecit hominem, vbi Domine excellentem adeo creaturam, vbi nullo asseruato spatio hominem collocabis (In cælo? ægrè ferent Angeli. In terra? obstrepent bestiæ, In aere? obgannient volucres. In mari? non ferent destinatum sibi locum ab alio occupari pisces. vbi igitur? Et egregiæ respondet: excelsus ille creatorum a se omnium moderator & rector, hominem phlasmare voluit creatis & occupatis omnibus, vt cum Psalmista canere disceret homo: *Dominus pars hære-*
Psal. 15. *ditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæredita-*
Psal. 141. *tem meam mihi, & portio mea in terra viuentium.* vnde sequutus eum in libris confessionum D. August. aiebat: *Fecisti nos Domine ad te & inquietũ est nostrũ donec requiescat in te.* Conformiter præcepto huic *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* quasi diceretur: Omnes actiones tuæ Christianæ huius amoris

trutinâ, ponderandæ sunt : illis enim pondus vel minus vel maius pondus tribuit minor aut maior dilectio. In veteri lege duo erant in vsu pondere genera; publicum vnum & vulgare, aliud particularius sanctuarij. Ita his etiam temporibus est duplex pōdus, vnum vulgare, leuis hominum ęstimatio, aliud certius dilectio, nempè qua omnium iudex Deus nostros omnes actus perponderat. O quot hodie ieiunia, quot vigiliæ, quot orationes ad humanas lances reductæ plurimum ponderis habent, quæ tamen si diuinæ discretionis trutinæ subijciantur, quia vel timoris vel coactionis causa exantlatę sūt, plumarum leuitatem vix assequuntur. Ponderate igitur & videte quantum in illa lance pondus habituræ sint actiones vestræ, æstimate illud simile fore Arithmetico numero, in quo nota zero vnitati adiuncta decimum efficit, duplicata cētesimum, triplicata millesimum : ita planè si dilectioni gradus vnus adijciatur valoris, multum, si secundus amplius, si tertius meritorum infinitā copiā coaceruabit.

Ita sine dubio, amandus enim Deus quia Dominus, quia Deus, quia tuus: Diligendus quia bonus, quia delectabilis, quia vtilis. Diligendus quia hoc naturale, quia bonum, quia necessarium. Diligendus inquam potentiæ causa quia *Dominus*, sapientiæ, quia *Deus* clementiæ, quia *tuus*, sed & super omnia; quo amore in eum flagrabat inter duos senes Susanna; cum assereret malle se mortem subire, quam eorum impudicis prouocationibus succumbere.

Eo inquam dilectionis incendio prosequendus Deus; quo ad libidinem illectus Ioseph fugiens, & amplexus carnales euadens dicit : *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum.* Illud illud est ius diuinum, vt eius amori nullum alium præpōnamus nec carnālem mundanum. Philistæi eò quod arcam fœderis in eo altari collocassent, in quo delicuerat Idolum Dagon, & iram Dei, & Idolorum Gen. 39. 1. Reg. 5.

Q lorum

lorum suorũ iacturã sibi promeruerunt; verè philisteus & paganus ille dicendus est, qui in corde suo Deum & mũdũ vno cultu ijsdem honoribus cõtentos fore arbitratur. In Leuitico filij Aaron eo quod nouũ & insitatũ ignem incenso adhibuissẽt, iræ
Leuit. 10. diuinę vindictã morte subita mulctati sunt. Acceptissimarũ laudũ & precũ incensũ Domino Deo est cor nostrum, ac ideò qui in eo peregrinis amoribus & affectionibus locum præbet, inusitatum ignem Diuini amoris incenso admouet. Quod ita Diuinæ eius maiestati displicet, vt eo solo intuitu, homo sibi mortis æternæ damna conciliet; vindicat enim Deus sibi totum eius cor, totumque eius amorem.
3. Reg. 3. In tertio regum libro, adultera illa infantis diuisi partem sibi donari poscebat, vnde cum eam non genuinam matrem esse dignouisset Salomon, non partem sed totum veræ matri tribui voluit. vnde docemur amorem nostrum, qui velut animarum nostrarum proles est, diuidendum non esse sed integrum diuinæ maiestati reddendum, secundum illud mandatum: *Diliges ex toto corde tuo*. A quo etiam in secundum deriuamus, vnde discimus quis sit censendus noster proximus, & ea est secunda parabolæ pars in hunc sensum declinans: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Ierischo.*

Denique cum iste legis doctor interrogasset, quis esset veri proximi loco habendus, hoc à Christo responsum accepit sub velo parabolæ. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, quem deprehendentes prædones, nec eius omnimoda spoliatione contenti, nec verberibus illatis saturati, miserum etiam plagis & vulneribus onustum semiuiuum reliquerunt: præterit interea summus Sacerdos, visum contemnit, transit Leuita consideratum relinquit. Tandem Samaritanus illac iter faciens saucij conspecti, miseratione commotus, equo descendens elargiso vino & oleo

sanan-

sanandum curat expensis proprijs. quibus præmissis legis peritum interrogat Christus, quis inter eos proximi nomen mereretur. ad quod ille, qui misericordiam fecit, ille proximus fuit. vnde audiuit: vade & tu fac similiter: *homo quidam descendebat.*

Parabolæ huius scopus est aperire quis verè proximus dicendus sit: verum, si eius arcana profundius inuestigare conemur, aduertemus tandem illa nil expressius quam peccati enormitatem designari. Peccatum enim est vniuersale diluuium, generale excidium, & tanta pestis, vt integrum nihil in hominis anima relinquat. peccatum in hebraico idiomate *Aberem* dicitur ab aba vel aben quod vniuersali pesti aut calamitati æquiualet. quod perpendens Bethsabee Dauidi dicebat: *Et erit cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego & filius tuus peccatores.* Quasi innueret in profundissimam malorum omnium abyssum delapsi.

Parabolæ scopus.

Peccatum quantum malum.

3 Reg. 1.

Nec hoc abs re alienum videri debet, cum locus semel diuinæ præsentiæ fauore, ob peccatum orbatus vastationi certissimæ relinquatur, vnde quod verbis dico consulenti se Sauli te indicauit Samuel his verbis: *quid me interrogas, cum Dominus recesserit à te.* Et idem agnoscens Salomon: *qui in vno peccat multa perdit.* Quid vero terribilius illa sententia Deuteronomij: *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictũ horreũ tuũ, et maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus eris ingrediẽs & maledictus egrediẽs.* Sonat idem nostra parabola: *homo quidam.* Quæ quidem ad moralem sensum reducta vnanimi Sanctorum patrum sententia ad primi parentis casum applicatur, & misericordis Iesu Christi redemptioni attribuitur. nec absurdè descendens ab Hierusalem in Iericho prædonum iniurijs affectus refertur, cum doctissimè notauerit Diuus Hieronymus fuisse olim inter illa loca crudelem lanienam &

1. Reg. 28.

Eccles. 9.

Mystica parabolæ explicatio.

locum: *abomina*: Id est sanguinolentē & carnificinæ assuetū nemus, aptissimè etiā descendens dicitur homo, quia teste Sancto Basilio Hierusalem in mōtanis, Ierícho in valle sita erat.

Descendit igitur ab Ierusalem, quid hoc aliud quam à visione pacis, homo enim cum adhuc in innocentiæ statu perstaret omnimoda pace fruebatur, subijcientibus se rectæ rationi inordinatis appetitibus: verum cum in Iericho descendit, relicto eo secundum quod dicebat Apostolus: *Nostra conuersatio in cœlis est.* In perniciocissimum

Philip. 3. malorum omnium præcipitium se prostrauit. O miserum lapsum de gratia in peccatum; de cœlo in infernum: ex Angelo, dæmonem; ex homine, bestiam fieri. quam enucleate hoc definit Psalmista dicens: *homo cum in*

Psal 48. *honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quis enim talis descensus, ex Dei filio, diaboli mancipium effici?

Verè, attendenti lachrymas elicit prodigus, qui ex fortunatissimo deuorata substantia sua cogitur, & vitam vili porcorum famulatu sustentare, & famem eorum siliquis satiare. Sed proch dolor quanto vberiores, & ore singultus, & oculis lachrymarum imbres effundemus, si examinemus qualiter miser homo in amplissimis deliciarum thesauris, in excellissimo super omnia creata dominio constitutus, ex omnium Domino vilissimum omnium mancipium factum sit. Ipse enim: *com-*

Psal. 48. *paratus est iumentis insipientibus*, & secundum Parabolam: *Homo quidam descendebat ab. Hie. in Ie*: Sanctus Ambrosius ad hæc alludens, putat homine Iericho mundum ob eam quam cum Luna participat inconstantiam; & Ierusalem pacificæ & æternæ beatitudinis stabilitatem designari. quem sequutus ego non incongruè notandos arbitror tres primi parentis conditiones & status. Ho-

tus. Horum primus est ille in quo eum Deus ab instanti creationis collocauit: Secundus post peccatum: tertius denique quem obtinet post redemptionem. quibus omnibus optimè quadrat hæc parabola: Alius enim erat antequam descenderet, alius post descensum, alius post vulnerum medelam.

In primo statu homo immortalitatis & omnium perfectionũ dotibus ditatus fuit omni molestiarũ labore immunis. Post lapsum autem omnibus his spoliatus, in miseriarum vallem decidit, etenim sicut aceti guttula integrum vini dolium in quam amaritudinem conuertit, modicum fermentum, totam massam corrumpit, riuulus corruptus fluuium integrum turbat, & sceleratus homo nequitiarum suarum peste totam vrbem inficit, ita solum peccatum spoliatam omni bonorum genere naturam humanam innumeris calamitatibus onerauit. Sicut enim arbor euulsa radice sterilis permanet, sic etiam voluntas gratiæ radicibus euulsis nullos deinceps bonorum & æterna beatitudine dignorum operum fructus parturit. Inde in omne miseriarum genus delapsa natura nostra. Sicut enim cadauer quamdiu vnguentis delibutum & munitum est, integrum & corruptionis inscium durat, sublatis autem illis in putredinem & cineres desinit, Ita primus homo, quamdiu in innocentiæ statu permansit velut diuinæ gratiæ, vnguẽtis præseruatus corruptionis omnis expers fuit, vbi verò cecidit, angustijs & morti destinatus est. Denique in tertio statu pristinis immortalitatis & gratiæ priuilegijs restitutus fuit prosequamur parabolam. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho.* Et quod amplius: *Incidit in latrones.*

Infortunatus homo incidit in latrones, vnanimi sententia Patres, Dęmones intelligendos putant, illi .n. peruersissimi prędones, qui alium humilitate alium patientia spoliant, nuptialem charitatis ve-

tis vestem, spem adimunt. Illi direptores thesaurorum Regis Ezechiæ, illi Camelos & cætera sanctissimi Iob armenta abducentes: illi Amalechitæ latrunculi, quos insequens Dauid inquiebat: *persequar latrunculos hos & comprehendam eos.* Illi denique dracones rapacibus caudis amœnissimos syderum & planetarum orbes vastantes. Nec malè prędones appellantur dæmones; sicut enim prædones terrenis bonis spoliati, quid aliud agant nescientes, furtis & latrocinijs se dedunt, dæmones itidem proprijs cœli sedibus deturbati velut deprædandis virtutum omnium bonis relicti esse videntur. Deinde sicut prædones prædis viuunt, ita nec dæmones animarum nostrarum perditionibus inhiare non desinunt. Denique sicut scelerati illi nonnunquam etiam amicitiam & viæ societatem fingunt, teste Ieremia: quasi latro insidians in solitudine, ita peruersissimus dæmon nonnunquam bonum se simulans transfigurat se in angelum lucis, sed vt sic facilius malorum omnium vinculis homines irretiat: tandem etiam in hoc simillimi sunt, quod sicut illi prædis & rapinis nunquam diuites fiunt, sic neque dæmonibus animarum omnium ruina & perditio quicquam vtilitatis confert. *Incidit in latrones,* Verum quid inde damni accepit? *qui etiam despoliauerunt eum.* Nebulones illi miserum etiam vsque ad indusium expoliarunt. O quot illis similes inter eos qui bella frequentant reperiuntur. Sentire videor eiusdem sortis & farinæ militem, qui in obsidione vrbis eiusdē Iericho ob subreptam chlamydem ducentis argenti siclis æquipollentem, & laminam auream quinquaginta siclorum pondus habentem viuus lapidari meruit, aduerto inquam ipsam sponsam in canticis conquerentem in hunc modum: *tulerunt pallium meum custodes murorum.* Idem habemus. *qui etiam despoliauerunt eum.* Latronum horum nomine dæmones accipientes mystico sensu verè dicere

4. Reg. 20
Iob 1.
1. Reg. 30.
Apoc. 12.

& plan-

& plangere possumus primum hominem infælicissime excellentissimis corporis & animi dotibus orbatum. Cuius egregium typum gerebat Iob, cum in sordibus iacens exclamaret: *Expoliauit me gloria mea & abstulit coronam de capite meo & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam*. Tunc enim gloriam homo perdidit cum gratia excidit, quæ est decus animæ, tunc coronam amisit, cum innocentiæ statum quo & sibi & creaturis omnibus dominabatur, miserrimè deturbatus reliquit. Iob. 1

Nec solos ornatus amisit, sed & quod peius, saucius remansit, nũquid enim ille verè saucius qui in intellectu cæcitatem, in voluntate rebellionem, & perturbatum inordinatis appetitibus animum retulit, bono mortuus, malitiæ vuius. Non longè ab illa Ieremiæ sententia: *Sapientes sunt vt faciant malum, bonum autem facere nescierunt.* Ier. 4.

Sed eheu quid faciet infœlix ille in deserto & solitudine plagis ita coopertus? nullus ne miserebitur? nemo succurret? siccine mori permittetur? audio parabolam respondentem transisse illac sacerdotem, insuper & leuitam, nulla tamen eius compassione ductos. O ferinam inhumanitatem. Verum non sine mysterijs. Verè pertranseunt, quia neque lex, neque sacrificia expiando solo primi parentis crimini vnquam suffecerunt, neque victimis sacerdos, neque leuita lege. *Nihil ad perfectum adducit lex*. Itaque prætereunt, prognosticum certo certius præsignans nihil peccatoribus emolumenti attulisse legem mosaicã. testis est Apostolus: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. Idest: *nullus homo*: Insignẽ huiusce rei typũ gessit Eliseus propheta, à quo missus famulus Giezi vt baculi tactu Sunamitidis hospitæ filiũ ad vitã reuocaret, nihil ꝓfecit, donec veniẽs ipse & ad defũctũ puerũ inclinatus ei spiritũ reddidit, Hebr. 7. Galat. 4.

reddidit: *calefacta est caro pueri, & reuixit.* In hunc modum miserat olim Deus famulum suum Moysen legis præceptis instructum vt baculo, verum amissam homini gratiam & vitam reconciliare nūquam valuit; Deum exigebat res tanta, descendit ille ad hominem, se inclinauit, humiliauit se, exinaniuit se, sicque pristinæ hominem gratiæ restituit. Ita vt indubitatissimum sit, omnes, qui à mundi exordio ex peccati tenebris in gratiæ lucem redierunt, solis præuisi Christi meritis salutem assequutos esse. Quamobrem iure meritissimo prolatum est illud Apocalypsis: *agnus occisus ab origine mundi:* virtute nempe, & diuina præscientia, nec mirum quod spiritus sanctus hoc dictans dixerit: *ab origine mundi*, nō *ab æterno* quia ex tūc præstātissimus eius sanguis hominum saluti deseruire cœpit.

Miratus sum olim cum legerem illud circa finē apocalypsis de Christo dicente: *Ego sum radix & genus Dauid.* Verum stuporis occasionem subtraxit, quod scrutatus Patrum varios sensus reperi, quod sicut rami omnes ab ipsa radice humorem foliorū & fructuum productiuum accipiunt, ita omnes qui extitere ab origine mūdi Sancti Viri & Patriarchę, rorem animas virtutibus & meritis fœcundantem à solo Christo præcognito velut scaturigine participarunt.

Vas electionis Diuus Paulus de antiquis illis Patribus verba faciens sic dixit: *bibebant de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* quasi diceret, petra fuit Christus, virga crux: aquæ emanantes, gratiæ diuinæ, charitatis, peccatorum indulgentię dona, quæ omnia nec Moyses nec cæteri Prophetæ hominibus illius ætatis vnquam impartiri suffecerunt. Quid aliud significabunt duo Cherubin ad propitiatorium conuersi, quam vtrūque legis & gratiæ populum ad solum Iesum Christum verè propitium aspicientem: Idem penè iudicabat

rabat serpens æneus vera crucifixi Christi figura, quem intuentes morbis percussi peccatorum formam gerentes, quamprimum sanabantur, hoc autem nec lex, nec quicquam aliud præstabat, in cuius signum Sacerdos & Leuita prætereunt.

Stupẽdum & plangẽdum ꝙ inter Ecclesiasticos qui omni bonorum genere excellere deberent tam pauci misericordes inueniuntur, ea tamen fuerat diuinæ maiestatis intentio, sic olim præcipientis: *& assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis vt sanctificentur.* Quorsum hæc ceremonia, nisi vt erudiãtur Ecclesiastici, qui sunt velut domus Dei tapetes & ornamenta, maximè congruentem suæ cõditioni esse misericordiam, & in egenos beneficentiam prætereunt, interea minime solliciti Sacerdos & Leuita.

Inter Ecclesiasticos pauci misericordes.

Ex quibus primum infero pauciores reperiri inter Ecclesiasticos qui clementer in pauperes agant, quam inter sæculares.

Secundo antiquum illud sæculum magis ad misericordiam inclinari solitum quã nostrum. Quod indè liquidò constat, quod inter tres pertranseuntes vnus in misericordiã summè procliuis est. Nostra ætate vix inter centum aut mille benignus vnus dignosci poterit, & hoc speciali modo in Ecclesiasticis eorum, qui in hoc facto cœteris immaniores apparent. Fidem facit parabola crudeles & inhumanos prædicans Sacerdotem & Leuitam & Samaritanum collaudans his verbis: Samaritanus autem videns eum misericordia motus est, nec vulgari, sed tanta, vt eum equo suo impositum ad hospitium ducendum & apprime curandum proprijs sumptibus mandauerit. O pietatem! O virtutis plurimum colendæ exemplum! hac, hac ratione inopibus & indigis subueniendum, cor medium corporis humani domicilium occupãs. etsi vitam mẽbris omnibus æqua mensura suppeditet, nihilominus maximè in sinistrũ latus inclinat, ita disposuit

modo ægrotis vt Samaritanus hic impertiuntur.

Eam ob causam etiam in Deuteronomio præcipiebatur: *quæ ruminant & non diuidunt vngulā immūda erunt vobis*. Quo mysticè significabatur eos qui ad normam ferarum nullo ducti pietatis affectu non diuidunt vngulam, idest bona & opes suas illis qui egestate præmuntur, coram Deo immundos esse. stupenda profecto Samaritani nostri charitas, vinum, oleum, equum, aurum, quæcumque habet impertitur. Deuter. 14.

Sed amabo quis vestro iudicio Samaritani huius nomine intelligēdus? nunquid ille forte cui à Iudęis improperatum est: *nonne bene dicimus quia Samaritanus es*: Immo profectò, ille ipse est, qui ad nos accessit & teste D. Ambrosio: *tunc appropinquauit quando factus est compassionis nostræ susceptione finitimus & misericordiæ collatione vicinus*. Nec hoc solum, sed & ex equo descendit cum de cœlo in terram demissus seipsum exinaniuit & *factus est* (pro nobis) *obediens vsque ad mortem*. Vinum & oleum præbuit, nempe doctrinam Euangelicam, ex qua gratiæ vnguenta & iustitiæ opera copiosissimè ebulliunt. Quandoquidē inquit Apostolus: *ira Dei reuelatur super omnē impietatē hominum*. Et inde in Dei timorē ducimur secūdū Dauidē *potasti nos vino compunctionis*. Saucij vulnera alligauit cū sacramēta ad animarū nostrarū medelā & salutē instituit. Duos denarios protulit nouū, & vetus testamentū; in nouo habitus, in veteri præuisus, vtrūq; enim ad normā pecuniæ principis speciē & effigiē gerit. Est ne quicquā in quo parabola deficiat, nihil nisi eius imitatio. Philipp. 2. Rom 1. Psal. 59.

Superest hoc animæ fideles, vt vberrimam instructionum Sanctarum segetem ex hoc Euangelio metentes, Deum ex toto corde, tota mente, totis viribus, dilecti, diligatis, restat inquam, vt etiam Samaritani vestigijs inhærentes charitatis & misericordiæ operibus incumbatis, quod præstantes, Deū ex toto corde, proximū sicut vos ipsos, vt cōdignū

est, di-

est, diligetis & sic viuetis. O quam hoc rationi cōsentaneum est mundi redemptor & conditor, vt ę quem ad humanitatem assumendam, labores supplicia, contumelias, mortem denique pro nobis perferendam tanta charitas impulit, si non pari saltem qua possumus dilectione prosequamur. Quid igitur? eritnē in hac vita quicquam quod tibi præferamus? eritnę quod tui amore non perferamus? eritnè in corpore sanguis quem non effundamus? vitalis Spiritus quem non emittamus pro eo, qui pro nobis mori voluit? absit hoc à Christianis, tu enim es Domine insignis ille Samaritanus, qui ad nos curandos vinum & oleum contulisti, quo erudiremur nonnunquam clementiæ seueritatem miscendam esse ad animarum salutem assequendā. Firmum sit igitur & deliberatum Domine Deus omnes nostros affectus, vires, actiones, & quæcunque in homine sunt in tuum amorem coalitura, vt te in omnibus, & per omnia, & super omnia diligentes, ac debitum proximo amorem indulgentes æternæ beatitudinis præmia mereamur, quod nobis concedat Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Cum ingrederetur Dominus quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi.
Lucæ.17.

FIGVRA.

4. Reg. 5. STupebat olim Syria tota dum Principis militiæ præpotentis leprosi Naaman per impositionem manus Prophetæ curationem percepit: At iure

iure potiori stupere debet Galilæa tota, in qua decē leprosos in ingressu cuiusdā castelli sanat Christus. Verū inter priorē & hos posteriores differētia maxima intercedit. Naamā nāq; Syrus, sanatus, quātas potuit Prophetæ pro curatione grates rependit, inter hos autē decē, nouē ingratitudinis vitio laborātibus, vnicus illeq; Samaritanus gratias agit Deo. Hęc Euāgelij hodierni series est, quam Deo fauente explanare decreui, per Virginis intercessionem, cui supplices offeremus cælicum. *Aue Maria.*

Pythagorica lectio. Pythagoras, non ignarus quantum detrimenti periculique inferre posset improborum atque peruersorum familiaritas, doctus, doctè hoc in præcepto reliquit: *Quæ nigrantes habent caudas, gustari non oportet.* Quæ verba Plutarchus explicans eorum esse sensum inquit. Non oportere cum eis conuersari, quorum vita deprauata est, moresque vitiosum luto infecti sunt.

Prauorum consortiū diligenter vitandū. Hunc in opinione eadem secutus est Isidorus, qui non solum familiaritatem prauorum vitandam censet; sed etiam potius incurrendum odium ad huiusmodi familiaritates euitandas arbitratur; *melius est* (inquiens) *habere malorum odium quā consortiū: sicut bona multa habet communis vita sanctorum; sic plurima mala affert societas malorum.*

Cuius periculi neutiquam inscius erat Salomon, qui quod Pagani filijs inhibebant, hoc ipse Christianis sedulò tradit obseruandum. *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt.* Non consortium solum inhibet peccatorum, sed etiam familiaritatem, quæ ex vsu communi atque frequentatione domestica oriri posset, consulit deuitandā. Reprehensus namque grauiter fuit Rex Iosaphat à Iesu Propheta, quod gregem suum cum grege Achab Principis coniunxisset: *Impio* (inquiens) *præbes auxilium, & ijs qui oderunt Dominum amicitia* *Prou. 1.* *2. Paral. 19.*

Ideò cum Dominus eiecisset Chananæum & reliquos habitatores terræ, locum daturus Moysi & filijs Israel, ne forte eorum consortio contaminarentur, inhibuit ne cum illis vllam familiaritatem inirent vel vllo amicitiæ vinculo coniungerentur, his verbis: *Non accipies vxorem de filiabus eorum filijs tuis, ne fornicari faciant filios tuos in Deos suos: Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias quæ sint tibi in ruinam.* Exod.34.

Quanto tempore filij Seth innupti fuerunt, Sancti semper extiterunt, at vbi filiabus Cain coniuncti sunt, in tantam peccatorum atque maliciæ abyssum descenderunt, vt eorum flagitia iram Dei, deinde diluuij aquas prouocarint. Semeias Propheta quia de cibarijs falsi prophetæ manducauerat à leone deuoratus est. Plerosque etiam iustos & bonos Leo (Diabolus) de quo Sanctus Petrus inquit: *Quia aduersarius vester circuit quærens quem deuoret*, enecat & trucidat per prauorum atque malorum hominum consortia & familiaritatem. Hinc amici Iob occasionem calumniandi eum qui vitio carebat sumpserunt, præcipueque Eliu qui aiebat: *Quis est vir vt est Iob? qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem & ambulat cum viris impijs.* Pet.5. Iob.34.

Concludo itaque prauorum consortia pessima atque perniciosissima esse, salutique animæ prorsus contraria, argumentum desumens ab Euangelio vbi decem læprosi à mundi frequentia alieni, occurrunt Domino eunti in quoddam castellum, nec tamen appropinquare audēt, sed à longe stantes clamabant & orabant vt sanitatem impertiretur. Seriem Euangelij narrat Lucas Euangelista: *Cum ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi qui steterunt à longe.* Vt autem melius rem totam elucidemus, Primū de leproso- *Propositio & partitio.*

rum insatiabilis; Sic etiã Sanctus Hieronymus in quadam epistola, *libido famem patitur sui.* Salomõ autem duo insatiabilia esse inquit: *Infernus & perditio* (quæ peccatum significat) *Nunquam replentur.*

Secundo. lepra abominabilem eum reddit in conspectu beneuolentium, qui ea peste infectus est. Sic etiam peccatum, hominem non solum abominabilem coram hominibus facit, sed etiã intolerabilem in conspectu Angelorum & omnipotentis eum efficit; ideò Dauid inquiebat: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum.* Salomon autem *Abominantur iusti virum impium.* Osææ quoque 9. *Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor & alienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles.* Et ita abominabiles vt Hugo dicere non formidet: *Tolerabilior est canis putridus foetens hominibus, quam anima peccatoris Deo.* Nunquid abominationis indicium est, cum Deus ita peccatorem odit vt nec eum videre velit? 2. Psal. 118. Prou. 29. Osee. 9

Tertio. Lepra omnia membra corrumpit. Illud ipsum etiam facit peccatum. Nã sicut leprosus manibus & pedibus, vel saltẽ eorum officio priuatur, ita peccator bonis affectibus bonæque voluntatis operibus spoliatur. 3.

Quarto, lepra oculos cæcat, nasum abradit, omnes denique partes corporis vitiosas reddit. Ita etiam peccatum mortale cęcos facit; nam in Psalmis legimus, *supercecidit ignis & non viderunt* solem. Sapientiæ 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* surdos reddit, dictum est enim. *aures habent & non audient.* Nasum denique auellit surripiens cœlestium rerum gustũ; ideo dicitur in Prouerb. *anima saturata calcabit fauũ.* 4. Psal. 5. 7.

Quinto, lepra iuxta Medicorũ communiorẽ opinionem, est morbus insatiabilis; peccatum etiam est secundũ Theologos, ideoq; summũ malum vocãt. Hieremiam de hac re vaticinantem audiamus; *Insanabilis est* (inquit) *fractura tua* Sicut autem mag- 5.

ſunt vtriuſque ſexus, qui nihil præter impudica ſoniant, quibus nihil ſapit,niſi obſcœnis & illicitis colloquijs miſceatur. Alij denique ſũt,qui interioribus putrefactis & in colore & in cute lepram præſeferunt. Hi eos ſignant, qui leproſi per totum corpus ſunt; qui inquam vndique leprá infecti ſunt. Has decet meretriculas, lepra cæteras inficientes è ciuitatibus expelli, quæ diuerſimodè habitum, geſtumque corporis componentes nihil præter libidinem ſpirant. *Occurrerunt ei decem viri leproſi qui à longè ſteterunt.*

Stupendum profectò atque omni admiratione digniſſimum euentum! Ingredienti ſiquidẽ Domino caſtellum, decem ſeſe mundandi offerunt leproſi. ô infauſtum locum, infortunatum caſtellũ! lepra ſcates, totum omni peſtilentiæ genere infectum es. Nobilitas ſic ſemper inficitur, nam in Bethania quatriduanus fœtet Lazarus, Magdalena luxuriæ vacat, Martha ocioſa iacet, Herodis domus inceſtu plena, crudelitate repleta, iuſtitia abundat. In regali Balthaſaris domo concubinaria conuiuia ſacrorum vaſorum impia prophanatio reperitur. Denique quemadmodum Ecclypſes omnes à præſtantiſſimis luminaribus atque ſyderibus oriuntur; ſic peccata teterrima vel à diuitibus vel nobilibus proficiſcuntur. *Math. 14.*

Ah! quot hodie nobiles antiquorum ſuorum virtutem ſuis vitijs obfuſcant, honorem atque familiæ maieſtatem denigrant, *dedecorant bene nata culpæ*; Nam ſicut dedecus infert Ciuitati peruerſus incola; ſic maieſtati decorique familiæ aduerſatur Nobilis, vitiorum putore inquinatus. Quod optimè inſinuauit Anacharſis, qui obijcienti ſibi quod alienigena eſſet, ſic reſpondit: *Mihi quidem probro patria eſt, tu verò patriæ.*

Virtus itaque nobilitatem colluſtrat, honorem auget, facitque vt inter populorum frequentiam ad inſtar facis ardentis eluceſcat. Vnde

 optimè

optimè hos Luna designat, de qua Prouerbium est: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat*. Nam si virtutum radijs circundati alijs sua bonarum actionum exercitia demonstrent, horum virtutem tota turba sequetur: Si sanguinolenti nil præter cędes, homicidia, atque percussionem insonabit: Si pariter remissi atque vltra, quam expedit, fuerint benigni, rebellio quotidiana erit, murmuri in populo atque seditio. Denique nisi prudẽtes fuerint, vitijs abundabunt, atque hominibus pestilentibus circumcingentur.

Exẽplum hoc in castello. *Occurrerunt ei decem &c.* Decem occurrunt, quorum, nouem Iudæi ingrati de beneficio collato gratias nõ agunt, decimus verò Samaritanus beneficij magnitudinẽ recognoscens gratias refert. Horum ingratitudinem improperabat Ieremias dum diceret: *Transite ad insulas Cethim, & videte si factum est huiusmodi, si mutauit gens Deos suos* quasi diceret, Transite nunc ad peregrinas gentes, ad barbaros atque infideles & videte si eorũ tanta nequitia, tanta ingratitudo. Ideò voluit Deus arcam fœderis ad Philystinorum manus diuolui, quia Sacerdotes debitum ei non deferebant honorem. Misit pariter eandem ob causam Dominus Ionam vnum ex minoribus Prophetis ad ciuitatem Niniuę vt ex eius ore verbo Domini suscepto pœnitentiæ fructũ perciperent, ad vituperandã Iudæorũ infidelitatẽ, qui Prophetis etiam maximis aurem dare noluerunt. Hic similiter inter nouẽ Iudæos vnus Samaritanus, dum gratias refert ingratitudinẽ Iudæorũ demonstrat. *Decẽ viri leprosi.* In vnũ cocũt decẽ leprosi! Quam citò malorũ atq; prauorũ consortiũ conuocatur! Obmurmurantiũ decẽ millia Absaloni coniunguntur, fitque prauorũ exercitus. Pharaonẽ populũ electũ persequentẽ, tota AEgyptus comitatur. Trecentæ vulpes conueniunt, vt horrea dissipẽt. Hic verò decẽ occurrũt leprosi, nõ solũ aũt leprosi, sed viri leprosi, si pueri, si infantes, si se-

Hier. 2. | 1. Reg. 4. | 2. Reg. 15. | Exod. 14. | Iudic. 13.

si sexus fœminini tolerabile foret, at quandoquidē viri sunt, intolerabile, nefandū inquā malū est. Tolerabilius etiā foret in Republica, infantes aut fęminas videre leprosas, quā viros ætate maturos aut in gradu dignitatis constitutos. *Steterunt à longè.*

Verentur accedere, populi frequentiam fugiunt- nè legi contrariantes cæteros pestilenti halitu inficiant. Vnde patet periculum consortij prauorum. Nam quis pestifero cohabitare exoptet? Quis mortuo conuiuere? si quidem mortui extra ciuitatem efferebantur, vt patet Luc. 7. *Efferebatur extra ciuitatem* Adam commissa culpa morti traditus à paradiso exulare cogitur; Lucifer è latris, supernis sedibus priuatur; Nabuchodonosor imperio spoliatur, atq; ad brutorum vitā degendā eijcitur. Deniq; leprosi peccatorū Ideę hominū fugiunt societatē. *Steterunt à longè* Neque lex tantummodo ab approximatione retardabat, verùm etiam reuerentia, quam Messiæ deferebant, nè propius accederent, cohibebat. Similis erat publicani reuerentia: *Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Similis etiā erat reuerentia filiorum Iacob non audeentium Iosephi faciem intueri. *Et leuauerunt vocem dicentes, Iesu præceptor miserere nostri.*

Num. 5

Genes. 3

Dan. 4.

Luc. 18.

Genes. 45.

Alta voce, elato clamore Dominum obtestantur vt eorum misereatur. Hæ voces doloris atque pœnarum indicia sunt. His vocibus docemur ad Deū exēplo psaltæ Regij in tribulationibus & aduersitatibus recurrere, *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Indicia dicto sunt dolorum quibus expediri atque liberari exoptabant, ideò ad Dominū festinant, festinantes sequuntur, sequentes virtute Dei sanitatem consequuntur. Adeò vt nisi calamitates persæpè corpus obruerent, vix vnquā ad Deū pergeremus, vix eius clemētiæ pedibus aduolueremur. Sicut. n. Ioab pluries vocatus venire ad Absalonē distulit, donec omnia bona igni deuorāda tradidit: Sic peccator inspirationibus Sanctis nō

Psal. 119.

Calamitas ad Christū adducit.

acquiescit, donec igne tribulationis percutiat eum Dominus: at vbi superuenerit afflictio, tunc conuertitur quærens doloris leuamen, vt bene notauit Psalmista: *Imple* (inquiens) *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.* Rogant itaque vnanimiter leprosi dolore tabescentes, vt eorum vnita oratio citius misericordiam Dei flectat. Nam vt ait Tertullianus: *Hæc vis Deo grata est*, & vt inquit Philosophus; *Vis vnita fortior est seipsa dispersa*, ideò orationibus publicis facilius flectitur Deus, quā priuatis. Clamant vnanimes ad Deū vt ostendant, cum solū peccatorū verū esse remedium, eū inquā esse, *Qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostrā.* Sic prodigus dissipata substantia ad patrē reuertitur. Sanitatē rogant, nec specialē aut particularē verū communē, *Miserere nostri.* & hæc charitas est quæ *nō quærit quæ sua sunt*, ad quā nos exhortatur Apostolus inquiens: *Orate pro inuicem vt saluemini.* Rogant igitur communi voce: *Iesu præceptor miserere nostri.* Breuis equidē oratio est, at nō minus efficax. Iesū nāq; nominant eū, Saluatorē agnoscētes, Præceptorē vocāt, obsequiū offerentes quasi dicant: Tu qui ventis imperas, qui mortuos suscitas, ægrotos sanas. *Miserere nostri*, misericordiam obtestantur, miser icordiā rogant, misericordiam cōsequuntur, *Ite ostendite vos Sacerdotibus.*

Psal. 82.
Psal. 101.
Luc. 15.
Iacob. 5.

Leprosi ad sacerdotes mittuntur varias ob causas.

Exaudita eorum lachrymosa deprecatione mittit eos ad Sacerdotes varias ob causas. Prima, vt ipsi tanti miraculi nouitatem admirantes in eum crederent & eum Messiam agnoscerent. Secunda vt legi satisfacerent. Tertia vt Politicam legem adimplerent quæ imperabat vt Sacerdotibus sese leprosi offerrēt iudicādi, vtrū leprōsi essēt an nō. Quarta vt ipse legē seruaret qui alias dixerat: *Non veni legē soluere sed adimplere*, & ideò dicit: *Ite ostendite vos Sacerdotibus.*

Matth. 5.

Mittit eos, vt fidei firmitatē experiatur, & vt le psi iudicētur, sicq; miraculi veritas magis pateat. Mittit

cos ad

eos ad Sacerdotes, vt ostēdat peccatores lepra spirituali infectos ad Sacerdotum remedia recurrere debere. Vnde etiam indubitanter colligunt Patres confessionis necessitatem, atque huic innixi argumento quasi basi cuidam pœnitētiæ, probant necessitatē; quāuis alia pleraq; loca idē indicēt, vt Isaię 43. *Narra quid habes vt iustificeris:* & ad Rom. 10. *Ore autem confessio fit ad salutē.* & Psal. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*, & iterum: *Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate.* Et alijs multis in locis. Verū hic locus maximè fauet. Nam quid est quod leprosos mittit ad Sacerdotes, nisi vt ostendat peccatores Sacerdotibus offerēdos. *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* Huius missionis causam aliā affert D. Hieron. super c. 8. Matth. vbi inquit, Dominū misisse leprosū ad Sacerdotes, vt reuerētiā maximā quę huic statui debetur demōstraret. D. Aug. necnō Cyprian. hāc reuerentiā honorēq; summū etiā Sacerdoti malo deberi affirmāt. Cayphas pessimus erat, attamē filius Dei honorē Sacerdotalē in eo agnoscēs multa tulit, Pharisæos & Scribas licet peruersos vult De' honorari, ait. n. *Omnia ergo quacūq; dixerint vobis seruate & facite.* Ob id noluit Deus, vt Sacerdotibus hæreditaria bona assignarentur, sed voluit vt mensæ suæ semper fierent participes, ita dicere possint: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Philo Iudæus inquit Deū Sacerdotalē dignitatē regio honori æquiparare voluisse: *Ex his* (inquit) *rebus liquet iuxta legis iudiciū Sacerdotes æquiparari honore ac maiestate Regibus, siquidē illis tanquā Principibus conferri tributa imperat.* Immo neque barbari Sacerdotū honorē neglexerunt; siquidē de AEgyptijs infidelibus dicitur: *In vniuersa terra AEgypti quinta pars soluitur regibus, & factū est quasi in legē, absq; terra sacerdotali quæ libera ab hac conditione fuit.* Quātò magis igitur cōuenit & decet vt inter Christianos venerētur? Ideò etiā Plato

1. Ioan. 1.

Sacerdotes reuerendi & honorādi.

S. Aug. & S. Cypr. epist. ad Rogatian.

S. Cyrill. Alexand.

aiebat: Inter AEgyptios Sacerdotibus semper primas fuisse tributas. Dignitas ergò Sacerdotalis nō solum ex immunitate legum colligi potest, sed etiam mille laudibus atque Sacrę Scripturæ locis adornata conspici potest. De eis namque dicitur. *Constitues eos Principes super omnem terram &c.* Hier.1. *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & dissipes, edifices & plantes.*

Gen.2. Quemadmodum Deus luminaria duo creauit, alterum quidem vt præesset Diei, alterum verò nocti: sic duorum statuum genera stabiliunt, alterum Sacerdotale, vt spiritualium rerum diei præesset; alterum Regale quod temporalibus atque mundanis curis præficeretur. Verum Sacerdotalis dignitas tantum pręcellit, quantum, lumen nocti præualet. Vocantur plerumque etiam Sacerdotes Angeli: Malac.2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Quæ verba exponentes nonnulli, dicunt hanc ob causam Apostolorum Coriphæum præcepisse, vt mulier velata compareret: *Ideo debet mulier velamen habere super caput propter Angelos.* 1.Corin. 13 Deos pariter eos scriptura appellat: vt, *Appella eos ad Deos* Exod. 12. hoc est *ad Sacerdotes, Dijs non detrahes*, id est *Sacerdotibus*. Et iterum: *Ego Dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* Psal.81. Nec abs re Dij dicuntur, siquidem etiam summos Reges & Principes excommunicant, vinciunt peccatores, peccata soluunt, & alia pleraque Dominationis opera excercent. Hos dico æquali pænè honore Christi colendos, sic enim Christus ait: Matth.10. Luc.10. Ioan.13. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Ideo qui Sacerdotem despicit, filium Dei ne despiciat Psal.16. vereatur, Cui dictum fuit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nam qui Sacerdotem deriserit, caueat ne maledictionem Cham incurrat, qui propter derisionem nuditatis parentis maledictus fuit. Hanc Sacerdotum ca-1.Reg.1. lumniam cultabat Dauid, dum mortem Saulis de-

flens aiebat: *Nolite annũciare in Cheth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur &c.* Sauli similes sunt Sacerdotes, qui quandoque in peccata labuntur, sed eorum vitia patefieri non vult Deus. Si Aman ventilabat fœlicitatem suam, quia ad Reginæ Esther conuiuium vocatus erat; *Regina quoque Esther* (inquiebat) *nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum*: Quanto magis pẽsanda est Sacerdotum dignitas qui non semel diuinæ assident mensæ, sed quotidiano, Corporis & Sanguinis Christi pascuntur ferculo. *Caro enim Christi verè est cibus, & Sanguis eius verè est potus*. Noluit propter Sacerdotij dignitatẽ Angelus vt S. Ioãnes adoraret, aiebat enim: *Vide ne feceris, conseruus tuus enim sum*, & hodie etiam Mundani Sacerdotes sibi famulari volunt. Si Hierosolymitani tantam pullo asinæ deferenti Dominum reuerentiam exhibuerunt; quanto maior Sacerdotibus exhiberi debet, quorum manibus atque verbis quotidie Sacrosanct. Christi corp⁹ cõficitur? Ideò Christus hos leprosos ad Sacerdotes remittit: *Ite* (inquiens) *ostendite vos Sacerdotibus*. Et subditur, *vnus autem ex eis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens*. O hominum ingratitudinem! Vitium hoc adeò execrandum Romanis erat vt seruum libertate donatum ad seruitutis iugum denuò propter ingratitudinem reuocare possent. Hoc detestabatur Noë, qui post diluuij aquas; *Ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare*. Gratiæ igitur pro beneficijs referendæ sunt, attamen quæ omni fermento iactantiæ careant. Ideo dicitur: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento*: gratiæ inquam agendæ. Nam vt ait Seneca: *Qui grate beneficium accipit, primã eius pensionem soluit*. Assimilatur ingratus mari, quod aquas dulces continuò recipit, & semper amaras reddit.

Esther 5.

Apoc. 19.

Vitanda ingratitudo.

Genes. 8.

Leuit. 7.

Senec. lib. 2. c. 22. de benefi.

reddit. Similis eſt agro ferenti Zizania; ſimilis eſt Iudæ, qui poſt beneficia infinita, mortem Domini procurauit; Chriſtus inquit; nonne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Solus Samaritanus gratias agit.

Ex hac ergò Euangelica ſerie colligat Chriſtianus peccatum lepram eſſe, peccatores verò lepreſos, quibus ſocietas aliorum legè inhibetur. Diſcat Catholicus eos vitare, nam cum bono bonus
Pſal. 17. eris & cum peruerſo peruerteris. Diſcas inſuper poſt peccatum ad ſacerdotem recurrere, cui ſolummodo virtus ſanatiua conceſſa eſt, eum ob hanc dignitatem reuerere. Denique vide ne ingratitudinis vitio labores, ſed pro beneficiis à Deo acceptis ſemper Deo gratias rependas, ne fortè tanquam leproſi hi nouem ingratus iudiceris.

Nos ô Mundi Redemptor læproſi ſumus, nos clementiam tuam inuocamus, nos ad Deitatis tuæ munificentiam corda, manus, voces tollimus exclamantes; *Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Miſerere igitur rogantibus, miſerere languentibus, parce peccatoribus veniam rogantibus, vt bene mundati gaudijs ſempiternis mereamur perfrui. Amen.

DOMI-

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus Dominis seruire.
Matth.6.

FIGVRA.



Hilistææ genti barbaræ & infideli, Dagonis idolo & fœderis arca vnius & eiusdem templi altari vnico superpositis, duos Deos adorare & duobus dominis seruire volenti, cœlum id impossibile factu ostendit: In eius rei signum eorum idolum deiecit, & fatuam temeritatem illico plaga mirabili mulctauit. Hoc fuit præcurrens mysterium, cuius hodie interpretationem in Euangelio habemus, vbi dicitur impossibile esse duobus Dominis seruire, duasque adorare deitates; id est Deum & diuitias amare. Subiectum illud valde sublimè est. Spero illud clarè me vobis explicaturum mediante Sancti Spiritus auxilio, & intercessionibus D. Virginis; Quam eo fine salutabimus salutatione Angelica. *Aue Maria.* 1.Reg.5.

Famosus ille & celebris Orator Romanus Cicero in orationibus suis & causis criminalibus de auaritiæ prauitate differens, ait esse vnum ex nefandissimis humanorum vitiorum, & eam luxuriæ copulans. *Duæ res, inquit, quæ maximè impellunt ad maleficium, luxuries & auaritia sunt.* De hinc idem resumens in Officijs suis autumat non esse auaritia abominabilius peccatum, præsentim inter principes & reipub. rectores his verbis: *Nullum vitium tetrius est quam auaritia, præsertim in principibus & reipub. gubernatoribus.* Cic l. 2. ad Heren. *Auaritia omnium vitiorum facile maxima.* Cic. l. 2. Offic. Valer. Max.

Valerius Maximus post dum melius & velut carbone

corpus & animam & omnē fortunæ substantiam adurentes: *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitates, & mensura minor iræ plena.*

Hinc est quod D. Aug. auaritiā inferno cōparat. Infernus est locus tormentorum plenus, sed locus semper ardens nec à recipiendis mortuis vnquam cessans. Nō absimilis est auaritia. Est siquidē gehenna perpetua, est passio vrens, quæ corda & animas torret, & nūquā fatigatur. Huic Patrē prębete. *Auarus* (inquit) *similis est inferno. Infernus enim quanto mortuos deuorat nunquā dicit, satis est. Sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in auarum, nunquā satiabitur.* Id confirmat in concionibus suis, & asserit reuera auarū se similē inferno omnia absumēti. Vellet nāq; oēs mortuos, vt solus, quod tot⁹ capit orbis possideret. S. Aug. ep. 3. ad Bonifacium.

S. Chrys. Vt cæteri comparationes ingressurus, auaritiā dicit mari assimilari. Quia sicut mare nūquā est à vētis, procellis, vel tēpestatibus immune, ita qui in auaritiæ Oceano nauigāt, nūquā à cura, periculo, timore, inquietudine liberi sunt. *Authoris verba præclara sunt. Quemadmodū* (inquit) *sine fluctibus mare nunquā conspicitur, sic animos diuitum auarorū absque sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis, nūquam reperies, sed antequam priora cōponant, alia innascerunt. Ita vt excessimè possit auaris appropriari illud Isaiæ Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Hugo de Sancto Victore doctus & religiosus vir, assumpto calamo hoc scelestissimum vitiū denigrare plenius volens scripsit: *Superbia clausit diabolo cœlum; gula primo parenti abstulit paradisum: auaritia diuiti aperuit infernum.* D. Chrys. ho. 76. in Matth. Isai. 57. Hugo l. de claustris animæ.

Alteram præsentis sententiæ partem ex Apostolo mutuatus fuerat, qui ostēdere volens quale malum foret auaritia; Timotheo discipulo suo scribebat. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueū diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nocnia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6.

Heu! homini patibulo appenso funis vnicus ne-

cē causare potest, sed ij quos Sathā in suppliciū dānationis adduxit, vltra funes efferos, mille passionibus, mille ambitionibus, infinitis tētationibus in infelicitatē, perditionē & ruinā cogētibus torquētur.

D. Ioann. Euāgelista peccatorū apophasin faciēs
S. Ioan. 2. tria velut reliquorū capita, in totū mundū grassātia seligit: Inter hęc primas tenet auaritia. *Omne quod est in mundo*(inquit)*aut est concupiscētia carnis, aut cōcupiscentia oculorū, aut superbia vitæ.* Ad confirmādū & stabiliēdū eius dictū, Scriptura sacra è cœlo tria iudicia tribus istis mundi vitijs correspondētia nobis proponit. Primū datū in cœlo ob superbiam Angelorū, cuius sentētiā adhuc experiūtur, nec modò sētentiā sed & superbiā ipsā, quæ eos deturbauit: iuxta illud Psalmistæ.
Psal. 73. *Superbia eorū qui te oderūt, ascendit semper.* Secundum, factum in diluuio tempore Noë ob luxuriam, quæ tunc in orbe regnabat.
Gen. 6. *Omnis caro corruperat viā suā.* Tertiū, in fine mundi, ob auaritiā tunc temporis refrigerata charitate regnaturam.

Audite qualiter iudex pronūtiabit. *Ite maledicti. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: Sitiui & nō dedistis mihi bibere &c.* Et considerate quod iudi-
Matth 25. ciū extremum penè totū fundabitur super auaritiæ crimen. O peccatū infandū! O peccatum detestādū!

Isido. l. 3. de summo bono. S. Isidorus, qui ab hinc mille annis viuebat tēpore Imperatoris Heraclij, & à Iesu Christo anno 630. me in apostrophas conijcit: Audio etenim ex profundo Episcopatus sui Hispalēsis exclamātē: *O pestis maligna auaritiæ! sēper bonis animis detestāda, quid illæsū; q̄d in cōcusū dimittis?* Tu gen⁹ humanū cōfudisti: tu discipulū comitē Christi ab Apostolatu deiecisti.

Ephes. 5. Necdū finis. Apost. Paul. huiusce vitij iniquitatē intimè & profundissimè scrutans, asserit esse purā idololatriā. *Quod est idolorū seruit⁹.* Huic loco obuiās D. Tho. rationē reddit quare Paulus qualitatē tā ignominiosā ei indiderit, & dicit, tūc esse idololatriā, cū honor soli Deo debitus tribuitur creaturæ. At, honor refertur in Deum dupliciter, quando in eo

ultimum

vltimū finem statuimus;& humeris maiestatis suę totā spem & fiduciam nostrā imponimus. Qui secus facit, idololatriæ culpandus est. Sed auaritia eò extremitatis hominē redigit, ei creaturam pro diuinitate obijciens, in ea finem vltimum & bonū totū stabilire, omnē spem, diuitiarū possessionem in eam referre compellens, ergo est vera idololatria.

Auaris accidit, quod olim Hebręis, qui cū à Moyse serpētē ęneū accepissēt, vt ex eius intuitu à serpētū & viperarū morsibus sanarētur, ita in illi' serpētis exarsēre amorē, vt nō cōtenti sola cōtēplatione, sed idololatrātes quasi diuinitati ei incēsū offerrēt. Quod vidēs rex Ezechias, vt idololatriæ fluxū impediret, serpētē cōfregit. Sic vbi Deus nobis diuitias & tēporalia bona elargitus est, tāquā remediū sumptū ad primā rúinā & dānū causatū à primo serpēte, vt eas tantummodo contemplemur, & quæ sufficiunt ad vitæ nostræ sustentationem sumamus ita abutimur, vt eas velut deitates honorantes & amantes in idololatriam labamur. 2.Reg. 8.

Quod D. Paulus *Idolorum seruitutē*, merā stultitiā voco, auarūq; omniū stultissimū arbitror. Laboriosè thesauros accumulat, eis se potiturū aliquādo sperās, sed miser fallitur. Quod sibi in voluptatē & felicitatē censurū opinatur, in infælicitatē & ruinā vergit. Sapiēs me eloqui compellit quod ipse prior Ecclesiastici 21. est effatus, *Qui ædificat domū suam impēdijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyme.* Termini isti sūt obscuri, & metaphorici. Sed vt clarius explanentur, insinuant eos, qui de opibus malè acquisitis superba ædificia exstruunt, hyemali tempore ad ædificationem lapides congregantibus esse similes; vti namque rigescente gelu eiectæ fabricæ, ita auarorum palatia ob iniustitiam & impietatem, procellarum diuino spirante turbine agitata diu subsistere nequeunt. Versionis ordinariæ loco, græca exemplaria legunt: *Quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui.* Quibus verbis in- Eccl. 21.

bis indicatur, quod alienis diuitijs & malè partis castella & domos erigentes, eodem tempore sepulcrum & mortem, damnationem & ærumnam æternam ædificant.

Num. 11. & Exo. 16 Numerorum libro vt miraculum notatur, quod collectum manna vltra quam par esset in vermes & corruptionem conuerteretur, nec amplius esset manna, sed infectio. Hodie idem auaris & voluptuosis euenit, iuxta D. Chrysostomi sententiã. Siquidẽ quo magis voluptatibus acquirendis & opibus aggregandis inhiant, eò maiorem perniciem & detrimentum consequuntur; & quod rationabiliter sumptum dat manna, cupiditate nimia & iusta Dei punitione, in mortem & damnationem æternã miraculosè transit. *Chrysost. hom 20. in Matth.*

In hocce auaritiæ exordium non auarum, sed reuera liberalem & prodigum ostendere me volui, vt speretis in præsentis Euangelij theatro me plura dicturum; vbi nisi de mammona, nisi de auaritia, nisi de mundi cura & sollicitudine sermo habetur. D. Matthæus sic materiã decidit. *Nemo potest duobus Dominis seruire: Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Super hoc cæptam methodum continuans, intra obsequij Deo debiti, & fiduciæ in Diuina prouidentia habendæ fines continere vos gestio, vtrimque horrorem abominandum, & horribilem auaritiæ abominationem egressurus.

Quod ad primũ, Dominus noster Iesus Christus in hoc Euangelio soli Deo seruiendũ, opes spernendas ostendere intendens, terminis enigmaticis impossibile esse duob' Dominis seruire proponit. Hos duos Dominos Deum & diabolum. D. Augustinus intelligit, quibus simul famulari nullus potest: & velle id exequi cor duplex & biuium est appetere, quod vltra impossibilitatem maledictionẽ in scriptura refert. Sic Ecclesiasticus. *Væ duplici corde, labijs scelestis & peccatori ingredienti terram duabus vijs.* *Eccl. 2.*

D. Thom. Morales Philosophi, & D. Thomas inter cæteros quærunt

runt, vtrum homini plures fines esse possint. Quod tantum valet, quantum, si duobus Dominis quispiam seruire possit? Negatiuè concludunt, & in Christi solutione fundantur, *Nemo potest duobus Dominis seruire:* & in legis præcepto, Deuterono: 2. *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Ethnicorum dij consortia magis quam solitudinem æstimauêre. Dagon inter Philistæos Arcam Dei sibi adiunxit & in sibi dicato altari celi permisit, Sed arca comitem non agnoscens, & refugiẽs subuertit.

1 p. q. 1. a. 5
Duobus Dominis seruire impossibile est.
Deut. 2.
1. Reg. 5.

Exodi. 14. Non nisi exesa AEgyptiaca farina mãna celeste Israeliticæ plebi concessum fuit. Mysterium magnum ex tunc, si voluptatum & illecebrarum farina inconsumpta fuerit, mannæ diuinique dulcoris incapaces nos esse demonstrans.

Apud Plinium in naturali historia, aquilina species in aquis venatrix, à cæterarum aquilarum robore degenerans (quippe quæ coruo victori palmã præbeat) proditur. Monstruosæ compositionis corpore constat. Alterum pedem instar anseris clausum, ad nationis vsum, alterum aduncum, vt aliæ aquilæ ad captandæ predæ finem, habet. Qui duobus dominis seruire volunt, prodigioso huic monstro, re attentius examinata, accedere videntur. Deo seruire appetendo cælestia, & dæmoni & mundo terrestria; aquilinum & anserinum est habere pedem; est viuere in terris & in aquis: natare in caducarum opum torrente cum voluptuosis & carnalibus: cum spiritualibus ad apprehenda cælica in altum volare. Sed hoc multum à virtute deflectit & à coruo infernali facilè vincitur.

Plin. nat. hist. l. 10. c. 3.

In Poëtarum prophanorũ scriptis, multoties mõstruosæ formæ recensentur. Satyri & Hypocentauri syluarum & montium incolæ, naturis discoloribus multum in se distincti. Modò etenim corpus duabus mixtum formis habere, modo partim honesti partim inhonesti & impudici esse finguntur.

His rectè assimilem esse censeo, cuius cor vnũ & id duabus affectionibus in Deũ nẽpe & dæmonẽ mouetur. Hoc Satyrũ & Hyppocentaurũ est imitari, & partim rationẽ admittere, partim negare, eiusdem respectu. In contrarietate simulationem admittere, monstruosum est.

Leuit. 11. Olim nycticoracem Deus reprobauit, quia auis expansis alis, detecto pectore animal terrestre vult videri. Nycticoracem simulant, qui simul delicias sectantes humi serpunt, & æætherea contemplantes in excelsum volatum extollunt.

Quintus Curtius. l. 4. de gestis Alexãdri, hosti Dario Persici regni dimidium offerẽti. Alexãd. respõdisse refert, quod sicuti duos soles mũdialis sphæra, ita duos reges regnũ vnũ pati nesciat. Meo proposito illud apothegma applicãs, & Macedonis huius verba sequens, dico. Sicuti mũdus duos Soles, & Asia geminum monarchã refugit, ita cor vnum affectiones duas, erga Deum nempe & mundum simul admittere non potest.

Deut. 22. Deut. 22. Israëli mãdauerat: *Nõ seres vineã tuã altero semine, non arabis in boue simul & asino: non induerĩ vestimento quod ex lana linoque contextum est.* Ii diuerso semine terram serunt, qui Dei & mundi amorẽ in anima recipiũt. Qui sub duabus affectionibus, ꝓ terrenis & æternis bonis laborãtes, degũt, in boue & asino arãt, vestimẽtoq; ex lana & lino cõtexto indũũtur. Quod est cõtra institutiones diuinas, & maximè Euãgelicã illã, *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Iosue Iosue. 24. Religionis fundamẽtalẽ legẽ, *Nunc timete Dominum & seruite ei corde perfecto atque verissimo, & auferte Deos alienos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Aegypto, ac seruite Domino,* promulgari Deus iusserat; respõdit statim populus: *Absit à nobis vt relinquamus Dominum & seruiamus dijs alienis.* Vanitatibus & occupationibus transitorijs dediti, Dei cultũ relinquunt & honorẽ contemnũt, eiusmodi idolis cũ veræ Deitatis præiudicio contra fas libantes.

Eodem

Eodẽ oculorũ actu cęlũ & terrã intueri impoßibile apud oẽs constat. Impoßibilitas ista naturalis in spiritualibus maiorem detegit, & valdè difficile, in Deum & mũdũ cor vnũ propẽdere nobis intimat.

Vna ex maximis AEgypti plagis fuit ranarũ, *Percutiam omnes terminos tuos ranis*; & ; *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorũ.* Ranæ palustria & immũda sunt animantia, eius proprietatis vt in aqua natent, & in terra ambulent. Vna ex hominum plagis, execranda valdè est, videre immundos velut ranas, in illecebrarum paludibus natantes, & in pœnitentiæ terra progredientes. *Exod. 8.*

Vbi duo Domini, diuersis humoribus & natura nullo intercedẽte symbolo distinguũtur, obsequij distinctũ mediũ esse necesse est, Si n. alter multiloquus alter silẽtij amãs est; alter in risu & ioco, alter in fletu & labore sibi cõplaceat, quo pacto vtrique simul potest fieri satis? O quã contrarij humoris sũt duo domini, Deus & mũdus. Alter est liberalis, alter auarus: Hic crudelis, ille misericors; hic dator, ille raptor! vtrique complacere simul, quis poterit? *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Demũ quales domini Dæmon, Caro, Mundus? Quam molestus, & absque vlla mercede eorũ cultus! Formosæ Rachelis captus amore, soceri sui Laban quatuordecim annorum curriculo ministeriũ Patriarcha Iacob suscepit. At infœcunda coniunx, mille angustias, dolores mille parturiuit: è contra Lia gratis oblata omnis benedictionis ferax multimodam consolationem germinauit. O humanam miseriam! Quod minus laboriosum, plus nobis emolumenti, & quod laboriosius, nocumenti plurimũ affert. Heu! non solũ quatuor annorũ spatio sed toto vitæ nostræ decursu Dæmonis & mundi famulatui iniquißimo insudamus, vt nobis gazas, delicias, & eiusmodi repẽdat, & interim in hac vita afflictio, in futura cruces & cõfusio æterna, merces inexpectata cõfertur: Virtutes verò nobis vtilißimas & facillimas aspernamur. *Gen. 29.* *Dæmoni, & mundo absque mercede seruitur.*

es, qui orbis Dominum te iactitare soles. Respõsi Philosophici, serij magis quam faceti termino Propheticæ tubæ clangor ille adiungi potest: *Seruietis dijs alienis die ac nocte qui non dabũt vobis requiem.* Et pro conclusione thema Euãgelicum. *Non potestis duobus Dominis seruire, & Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Hier. 16.

Mammona Syriacè diuitias significat. Hoc supposito, Christus non dixit, non potestis diuites fieri & Deo seruire, quia contrarium in Abraham. Iacob, Iob, Tobia, & infinitis alijs est euidens: *Sed, non potestis seruire mammonæ*, vt ostenderet diuitias homini non hominem diuitijs seruire debere: Calamitosum illud scelus auarorum nomine deflẽs Regius Psaltes accinebat. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vocat eos viros diuitiarum, quià non ij diuitijs, sed diuitiæ ijs iugum seruitutis imponebant.

Diuitiæ homini non homo diuitijs seruire debet.

Psal. 75.

Iudicum 7. Milites, qui aut in terra proni, aut poplite flexo, sitim aqua fluminis expleuerant, vt pusillanimes Gedeon reiecit; qui verò currentes manu haustam aquam biberant, vt strenuos & ad bella doctissimos selegit. *Qui manu & lingua lamberint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Allegoricè hoc insinuabat eos à Deo reprobatos, qui proni absque mensura diuitias sorbent; sed mediocriter & ad sustentationem vitæ tantùm sumẽtes, à Deo electos & selectos ad debellandum mundum cum duce Christo. Optimè Psalmista consulit, *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.*

Excensiuo amore opes prosequi & ijs velut dominabus asseruire, Idololatria est. In eius rei figura Exod. 32. Israelitica propago auro & opibus Aegyptiaris ditata, aureos vitulos conflauit, & vt Deitates supremas adorauit. Omen reuerà infaustum, quod auari bonorum à Dęo acceptorum fructu nõ vterentur debito, sed in Idololatriam inciderent: *Exod. 32.*

Vnde hanc ærumnam plangens aiebat Osæas, *Argentum suum & aurum suum fecerunt idola vt interiret.* Sed quid? *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

Iudas Iscariotes Apostolatū ingressus, assūpta loculorum cura, ijs & Deo seruire non potuit, & pro dolor! tota maledictio sua inde emersit. Mysterij plenum præsagium, quod ij toto cœlo errent, qui & vitam Apostolicā ducere & simul diuitijs insudare se posse arbitrantur, contra axiomatis assertionē negatiuam, *Non potestis Deo seruire & mãmonæ.*

4. Reg. 5. Helisæi famulus Giezi vir auaritię deditus, Prophetæ seruire, & Naaman thesauros recipere volens lepra percussus fuit, & cum tota seminali posteritate Diuinam punitionem passus est. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum.* Ita qui Prophetarum Regi seruire, & in auaritiam procliues auri cumulos cogere student, sæpissimè peccati lepra inficiuntur, inficiuntur filij & familia tota.

Apoc. 17. Apocalypseos meretrix & fornicationis mater auro & margaritis circūquaq; ornata & onerata, quę veneno suo inebriauerat, & in malum abduxerat omnes Reges terræ, *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habēs poculū aureum in manu sua plenū abominatione, & immūditia fornicationis eius.* Meretrix inquā, illa auaritiæ imago est, quæ tota aurea etiā est fornicationū & vitiorū mater, sordiū & abominationū cloaca, etiā præcelsas mūdi animas ordinariè seducēs: Aut si velitis, est insignis instructionis mysterium, animā manus auro & argēto refertas, affectionesq; ijsdē oneratas habentē, Deo infidelē & cōcubinā mūdi esse declarās. In Euangelij verbis stabilior, *Non potestis seruire Deo & mammonæ.*

Orbis miraculo, pietatis Iudaicæ loco, tēplo Salomonis ruinæ & demolitionis causa fuit thesau-
4. Reg. 25. rus. Nō enim si diuitię nobiles Sacris rebus admixtę non fuisset, in Sāctā fabricā conspirasset Chaldęus. Omnes sumus tēplū Spiritus Sācti, secūdū Apostolo-

ni. *Nescitis quia tẽplũ Dei estis vos*? Cor nostrũ altare est, sed in eo Deũ & diuitias colere, persępè pestis & dãnatio est animę nostrę. Apud aurũ virtus non est secura: In medijs gazis deuotio naufragatur. Hinc est, quod *Nõ potestis Deo seruire & mãmonæ*. Id ita filius Dei nos edocet; & quod plus est omnem curam sæculi vetat regni cęlestis solicitudinẽ suggerẽs, *Nolite solicit, i esse*. Secũdæ meæ partis nauigio me committo.

Vbi Christus Dominus neminẽ quãtũuis officiosũ & diligẽtem diuersi humoris & præcepti Dominis seruire posse ostẽdit, statim infert maximã illã vniuersalẽ (*Nõ potestis Deo seruire & mãmonæ*) ex vniuersaliori præfata: Deinde cõcludit nõ esse habẽdã tẽporaliũ curã, nec cũ tanta solicitudine cibos & vestes quęrẽdas, quia quantum datur corpori, tantum animæ demitur; & ideò *Nolite solicit esse*. *Solicitudo rerũ tẽporaliũ relinquẽda.*

Exod. 5. populi Israëlitici in deserto vero Deo sacrificare intẽdẽtis resolutionẽ edicto grauiori Pharao impedire conatur dicens: *Otiatur, & ideo hæc loquitur. Plures reddat lateres, paleas etiam quærat, vt sic ei non vacet alia cogitare.* *Exod. 5.*

Sic ô Christiane, sępissimè rectę Deo seruire gestis & proponis, sed diabolus statim infert, hic otiatur. Occupãd⁹ est. Ideò negotijs terrenis opprimendus est vt non possit vacare Deo: Christus è contra, *Nolite soliciti esse*; & Matth. 24. *Videte ergo ne grauẽtur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius sæculi.* *Matth. 17.*

Sicuti ad montis alti verticẽ cõscensurus si oneribus grauioribus humeros premat iudicaretur finẽ nõ cõsequuturus; ita Christianus ad cælestia tẽdens, & sæculi sollicitudine sese aggrauans, ascensionis impossibilitatem, & cœlestia non esse sibi cordi apertissimè propalat.

Esaias inter nobiliora Christo dedit nomẽ. *Admirabilis Cõsiliarius*, pręuidẽs in aduẽtu suo hominibus prudẽtissimè consulturũ. E omnibus consilijs unus non reperio, quam hodiernum, in quo mu- *4. Reg. 5.*

di contemptum,& auaritiæ fugam quæ curarũ parens est,suggerit. In toto Euangelio Philosophia sublimior nõ habetur. Quia namque auaritia talis est,eam primo depellere vult, vt radice euulsa curarum & vitiorum rami pullulare nequeant. *Nolite sollicitu esse.*

3. *Reg.* 21. Auaritia est pandora omni malo & confusioni parens: crudelis Iezabel ad augendam fortunam,& iniquè vsurpandum alienum, cupidum Achab ad
2. *Reg.* 18. homicidium compellens: mulus Absalonis filios contra parentes armans eosque temerarijs ambitionis affixos arboribus enecãs. Dæmõ Dei filios ad excelsa montium iuga assumens, & indè regna
Matth. 4. mundi demonstrando clamans, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* ô infœlix auaritia! ô diuitiæ detestabiles.

In huiusmodi exclamationes efferor,quia in Scriptura mihi subiectum offertur. A sapientia æterna, auaritia,& diuitiæ vocãtur,mammona iniquitatis. A S. Luca.fures;à D.Paulo.Laquei Diaboli. A Poë-
Luc. 1. tis prophanis,irritamẽta malorum, vt apud Ouid.
Luc. 12. & 16. 1. Metam.
Effodiuntur opes irritament malorum.
1. *Tim.* 6. Ego verò furunculas incãacacaces voco, quæ cor nostrum,animam,iudicium, & cogitatum subducu nt.

Hosinus Historiographus narrat Appellem æ-
Auaritia est fur. grotantẽ Archesilaum Regem visitasse, qui puluinar surrigere fingens decumbẽtis ceruici lautè auri cumenam supposuit. Aliquantulò postRegios discessum,adueniens puer amoto puluinari,dum lectulum mouere & sternere vult,eam reperiens, exclamauit,Domine,vide quid in lectulo tuo inuenerim. Respondit Appelles silentium ei imponens, furtum esse à Rege domi commissum. Intulit puer. Quid !hac pecunia Princeps affectione particulari motus tuæ necessitati voluit subuenire, & furtum dicis? Tunc Appelles,optimè,inquit,dixi, quia Archisi-

chesilaus hoc munere cor & animam meam sulfuratus est. Nunquid volebat insinuare auaritiam furem esse, & opes periculosas?

In Scriptura cū Deus creasset pisces & aues, habetur, *Benedixit eis*. Postea cū fecisset bestias terræ, nō legitur eis benedixisse. Et maiestatis infinitæ Deus, plusnè auibus cœli & piscibus maris ostenderunt animantia terræ, vt benedictione careant? Mysterium est. Voluit ità factum Deus, vt doceret eos, qui obtinêre finalem illam benedictionem, *venite benedicti patris mei*, voluerint, debere natare & volare, & non super terram viuere. Eni mucrò terræ adhęrētib⁹ nō benedixit. Eia ergò anima mea in cōtēplatione volādū, in cōtritionis & pęnitētiæ lachrymoso mari natādū, & sup omnia, auaritia fugiēda.

Terra aurū aut argētū producēs sterilis est, messis & vinearum incapax. Animus pariter auaritiæ deditus, ad cætera est ineptu, ineptus ad misericordiam, ineptus ad iustitiā, inutilis admodū, & sterilis, nihil nisi siccitatem spirans.

Opes secundum se Adiaphoræ sunt, habent tamen hoc proprii, quod bonis quorū mens in Deo est, qui cū iis nō adulterāt, vel nō pluris faciunt quā fidei debeant, viles valde, è contra malis secus furientibus pręiudiciabiles sint: Numerorum. 5 præcipiebat Deus, vt si inter Israelitas mulieris adulterium suspiciosū foret, sic eius cognitio probaretur. Adduci debebat mulier in tēplum, & coram multis comparere. Sic comparenti potum amarissimū ex certa aqua, cinere & terra cōpositū, adiunctos maledictionibus bibēdū Sacerdos præbebat: Si insons & fidelis marito esset, nō ei obesat, si infidelis & adultera, illicò inflato ventre, computrescente femore, erat in maledictionē & in exēplū omni populo. Allegoricè aqua illa amara puluere mixta diuitiarum figura est: Sūt aquæ, quia fluunt; amaræ, quia cū labore acquirūtur & cum dolore amittuntur. Mixtæ sunt puluere, quia aurum, & argentum nihil aliud

Diuitiæ bonis viles malis nolliæ.

Num. 5.

sunt quam terra, puluis, & cinis. Mulier probanda est anima, quæ si Christo fidelis est, non ei nocebit diuitiarum potus: si secus, valde præiudiciabilis est. *Nolite ergo solliciti esse.*

Vt ab hacce mundi cura expediremur, Leuit. 7. statuer. t Deus, vt eadē die qua offerretur sacrificiū, totum manducaretur, *Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane.*

Leuit. 7.

Exod. 16. Ex Dei præcepto Moyses de collectione mannæ ad populum loquens, *Nullus*, inquit, *relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidā ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit.* habet scriptura, figuraliter indicans nō plus diuitiarū sumēdū, quā victui necessarium sit. Si plus cōgregetur, contra Dei præceptum est, & corruptionis maximum periculum.

Lucæ. 11.

Lucæ. 11. Saluator vniuerso mundo viuendi normā tradēs, vt diffidentiam & auaritiā auelleret, & prouidentiam suā nobis insereret, inter cætera hūc modum orandi præscripsit, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et vt magis prouidentiā suā nobis inculcare possit, in Euangelio clamat, *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.*

Rationes, ob quas fugienda diffidentia & sollicitudo. Prima ratio.

Magnus & sublimis ille mundi doctor ad fugādā diffidentiā & sollicitudinē mūdi, insignes rationes proponit, quarum prima est. *Nonne anima plus est quā esca? Et corpus plus quam vestimentum?* Quasi diceret. Qui magna dedit, parua facilè subministrabit. Qui in magnis liberalis fuit, non erit parcus in minimis. Deus tibi dedit corpus tot tantisq; partibus & mēbris compositū, sensibus & potentijs tam præclaris præditum: dedit & animam ad imaginē & similitudinem suam formatam, facultatibus, & perfectionibus admirabili ordine ditatam; & vitale alimentum vobis & bestijs commune putas recusabit? *Nonne anima plus est quam esca?* Quasi diceret, qui corpus & animam tuam formauit, potest conserua-

ſeruationi & ſubſiſtētiæ tuę prouidere. Semel quippe creata Deus in eſſe conſeruat, quia iuxta Philoſophorum maximam, *Qui dat eſſe, dat & quæ conſequuntur ad eſſe.*

Secunda Chriſti ratio ad debellandam diffidentiam ſumpta eſt ex prouidentia ad volatilia protenſa. *Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa: Nōne vos magis plu is eſtis illis?* ô Philoſophia mirabilis! Deus prudētia ſua tot creaturas alit, quidni ergo ſtudioſius animaliū domini, regis mūdi, iſtius magnæ familię principis ad imaginē ſuā creati hominis neceſſitatibus adeſſet? *Reſpicite volatilia cæli.* *Secunda ratio.*

Nonnulli ex antiquis per volatilia intellexerunt Angelos vt refert D. Hieron. in ſuis commentarijs: ē contra D. Hilarius intelligit malignos ſpiritus, & fortaſſis allegoricè: Sed euidētiſſimū eſt eſſe ſequēdū literā, & abſq; difficultate intelligere aues alis ſuis aëra ſecantes niſi velimus argumēti vim debilitare, & integrā ſententiā funditus euertere. Quare potius volatilia nominarit Deus, quā terreſtria animalia, tres cauſas opinor dari poſſe. Prima eſt, vt exēplis ex orbe toto deſumptis prouidētiā ſuā clariorē redderet. A cœlo nāq; incœpit, *Reſpicite volatilia cæli,* & in terra finiuit. *Conſiderate lilia agri.* Secunda. Quia in remotioribus aëris regionibus exiſtētia nihilominus ea debite paſcit. Tertia. Quia terreſtria animalia, ad alimēta quærenda magis induſtria sūt, vnde ſedulitatē nos edocturus, ad formicā remittit inquiens: *Formica populus infirmus qui parat in menſe cibum ſibi.* *Cur volatilia & nō terreſtria animalia Deus nominarit. Prouerb. 9. & 30.*

Poterat ille Deus, inquit Chryſoſt. pro diuinæ ſuæ prouidentiæ exēplo. Moyſen Heliā, D. Ioannē Baptiſtā proponere: Nā Moyſes tranſacto ordine & lege naturæ quadraginta diebus a cibo & potu abſtinuit Helias omniū volatiliū voraciſſimū, Coruū, nutritiū habuit hoſpitē: Zachariæ filiū viginti triū annorū fluēte tempore victu & veſtitu carentem, *S. Chryſ. hom. 22. Exod. 24. 3. Reg. 17. Matth. 3.*

tem deserta viderunt: Sed quæ proposuit, ea propter proposuit, vt prouidentiam etiam ad infirma extendi in propatulo esset.

ratio. Tertia ratio aduersus diffidentiam militans his verbis manifestatur. *Quis vestrũ cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum!* Hoc est; tam latè patet diuina prouidentiæ Sphęra, vt sicut corporũ nostrorum dimensionibus addere vel demere hominũ cura & industria nõ potest, vbi semel ea Deus creauit, ità etiam cura terrenorum ei opposita inutilis & inefficax est. His excitatus Apostolorũ Princeps, omnes vt in Domino confidant hortatur,

1. Pet. 5. *Quoniã ipsi, inquiens, cura est de vobis.* vt Psalmista. *Facta super Dominum curam & ipse te enutriet*, significãs

Psal. 54. Deum curam nasci maiorem suscipere, quam nosipsi susciperemus. *Quis autem vestrum.*

Ratio hæc & intellectum difficilis est, & Patribus multum affert negotij. Hier. Aug. Beda, Strabus opinantur, quod sicut Christus antea probauit animam cibo præstantiorem, *Nonnè anima plus est quã esca?* ità nunc vult probare corpus vestibus esse excellentius. Vndè sicut Deus potuit dare corporis molem, ità vestitum conuenientem adinuenire & formare potest.

D. Chrys. & Theophylactus cum Euthymio cẽset sic explicandum Christi rationẽ. Si bibendo & edendo, staturæ vestræ non possitis nisi operante Dei potentia, vel minimum augmentum addere, quare alimẽta etiã bestijs nõ negata tã anxiè quæritis? Interpretatio probabilitatis aliquid, veritatis verò nihil habet. Patet enim ex Luc. 12. non esse germanum scripturæ sensum.

Maldonat. in hunc locum. Maldonato assentior aliter & quidem verissimè explicanti. Dicit enim Christum voluisse argumentari è minori ad maius. Probat ergò minorem primi argumenti quam subticuerat hoc modo: *Anima plus est quam esca* Sed Deus solus dedit animã, ergo solius Dei est escarum curam suscipere: Probat

bat minoris partem priorem. His verbis, Quis aũt vestrũ cogitans &c. Id est: Si non potestis corpori vestro addere cubitum, multo minus totum formare, quia omnipotentis effectus est.

Quarta ratio talis est *Considerate lilia agri quomodo crescunt* & quasi diceret. Si Deus sic lilijs virorem, & rosis cum vigore, candorem subministrare satagit, quomodo vestri obliuiscetur qui meliores estis? **4. Ratio.**

Agri lilia specificat, quia lilia hortorum ab homine coluntur, sed agrestia à solo Deo immediatè dependent: Per hoc videtur Christus hoc exemplo velle insinuare Deum non modo necessitatis, sed pulchritudinis nostræ esse etiam memorem.

Quod verbo modo, alias effectu mõstrauit. Sexcenta enim millia Hebræorum & amplius in deserto quadraginta annis, vestibus competenter & sufficienter induit, & operuit. Hæc gratia obliuionem eorum remouet præ oculis posita Deuteronom. 8. *Vestimentum tuum quo operebaris nequaquã vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* **Deuter. 8.**

Profectò prouidentia illa adeò certa est, vt de ea dubitare infidelitatem sapiat. Sic cõcludit Christus, *Nolite solliciti esse dicentes Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operemur: hæc enim omnia gentes inquirũt.* Dicite Christiani, creditis in Sacrosãctã Trinitatẽ? Respondebitis statim, credimus. Quarè. Quia Scriptura docet, & ego dicò vobis eandẽ, Deũ humanis necessitatibus prouidere, manifestè tradere. Hæc est maxima, *Nolite solliciti esse.*

Esdras Vir sanctus qui comite Zorobabel plebẽ Israëliticam è captiuitate Babylonica, oriente Cyri monarchia reduxit, in ipso recessus instanti etsi prçuideret infinita pericula, diuturno itineri ingruentia, nũquã à Persarũ Rege præsidiũ ausus est petere, nè professionis fidei, & prouidẽtiæ diuinæ, toties ei annuntiatę præiudicaret. *Erubui* (inquit) *petere*

3. Esdræ. 8 *tere auxilium à Rege, quia dixeramus Regi, Manus Dei nostri super omnes qui quærunt eum in bonitate. &c.*

Nolite ergo soliciti esse. Sit vobis præsens concio vtilis, & Euangelium proficuum; Seruite Deo in toto corde vestro; Abrenũtiate mũdo; & duobus dominis impossibile seruire recordamini. Imaginamini eos solos diuites, qui sua sorte contenti sunt, Epictetus Philosophus interrogatus quis haberetur diues, respondit, *Cui satis est, quod habet.* Socrates itẽ super eodem interrogatus, *Qui paucissimis* (inquit) *contentus est.* Democritus verò hominem fieri diuitem asserit possibile, *Si* (inquiens) *cupiditatum pauper fuerit.* Fugite ergo auaritiam & opes contemnite, ab omnique cura labili perfectè exonerati, Diuinæ prouidentiæ innitimini. Eò nos deducit Dominè Deus Euangelium tuum. Eò hodie resoluimur. Amodò nullis diffidentiæ laqueis irretiemur. Te solum Dominum fatemur, te vnicum fidelissimè agnoscimus, tibi vnico post hac seruiemus; Et quãdoquidẽ sic volatilia pascis, & agri lilia cõseruas, multò maiora sperabimus. Hæc spes nostra, illa prouidentia tua resolutos Euangelij documẽta sequi instigat, terrena nempe aspernari, & æterna meditari, cum nihil desit cœlica quærentibus: Ad quæ nos perducat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat.
Lucæ. 7.

FIGVRA.

3. Reg. 17. EXimius ille atque toto orbe notissimus Propheta Elias, cui corui alimenta ministrabant, atque ignis inimicorum fraudulentiam vindica-

dicabat, appropinquans Sareptæ, filium viduæ mirabiliter suscitauit. Et ecce hodie Dominus noster appropinquans Naym, miraculosè defunctū filiū, viduæ matri viuū restituit. Mirabilis sympathia. Elias mortuum, Christus defunctum suscitat, Ibi vidua hæc vidua, vnum dumtaxat discrepat, quod Elias precibus, Christus verò authoritate diuinitus obtenta mortuum vitæ reddit. Mysterium patefacere intendi, dummodo auxilij diuini sustentaculum adfuerit, quo fulti materiam explanabimus. Quod vt nobis concedatur cælicum dicemus. *Aue Maria.*

Etsi peccati malignitas ex infinitis, quæ mundo intulit malis, colligi possit, tribus tamen modis originis prauitatem ostendit. Tria namque mortis genera homini adfert peccatum; nimirum corporis quæ est naturalis; animæ quæ spiritualis; denique damnationis quæ est æterna & interminabilis. Adeò vt mihi in mentem reuocet crudelitatem Ioab, qui Absalonem fugientem à facie paterni exercitus tribus transfodit lanceis. Hic peruersus Absalon primi parentis imaginem atque figuram præseferebat, qui ad vitam atque diadematis sublimitatem destinatus postquam à summi parentis amicitia defecit conciliante inimicitias peccato, non solum vita fuit priuatus, sed & ambitione priuatus, & prætentionibus friuolis spoliatus extitit; *per vnum* (namque) *hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors.* Peccati similitudinem gerebat olim bestia Danieli ostēsa: *Et ecce bestia alia similis vrso parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei, surge & comede carnes plurimas:* nam omnia sibi obiecta vorat peccatum nemini parcens, nullius dignitatem attendens.

Tria mortis genera ostendunt pecca-i malignitatem.

2. Reg. 18.

Rom. 5.

Dan. 7.

Poëtæ antiqui fabularum inuentores finxerunt atque mortalibus tricipitem esse Cerberum suadere voluerunt, qui quosuis obuios latratu atque morsi-

morsibus infestaret: fabulosum quidem hoc, attamen veritati cõsimile: figuram namque peccati gerit Cerberus; siquidem peccatũ triceps est tria semper mortalibus inferens, damna, latrat insuper & homines obuios morsu periculosissimo lædere consueuit. Tria dicit esse Salomon quibus terra mo-
a. 20. uetur: *per tria* (inquit) *mouetur terra*, *& quartum quod non potest sustinere*. Postposito sensu litterali allegoricam videamus interpretationem: *tria quibus terra mouetur*, tria sunt mortis genera; *quartum* (verò) *quod non potest sustinere*, peccatum est. vel ita: homo terra est, siquidem ei dicitur: *Terra, terra, terra audi verbum Dei*, verùm terra quæ triplici mortis genere semper agitata mouetur. A tribus iterum ti-
lef. 20. muisse se ait idem Sapiẽs, *à tribus timuit cor meum*, & rectè quidem à tribus quæ tria, triplicia sunt genera mortis, ita hominibus in hac vita degentibus reformidanda, vt sola earum consideratio hominem
tth. 7. terrere deberet. Naturalis immò sola, Christo terrorem incussit.

Tribus plagis infectam tertiam hominum partem asserit S. Ioannes, *& ab his* (inquit) *tribus plagis*
x. 9. *occisa est tertia pars hominum, de igne & de fumo & de sulphure*. Peccatum triplicem hominibus infert plagam, triplici genere mortis, non tertiam hominum partem, sed vniuersum penè orbem percutiens. O plagam periculosam!

Prima mors, corporalis est, quam originale peccatum induxit quæque ad instar lapidis Nabucho-
n 2. donosoris fragicitatis nostræ pedes attingens, to-
n. 5. tius corporis molem atque colossum contriuit: *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum*, *& per peccatum mors*. Corpus nostrum immortale erat, neque mortis tyrannidi vllatenus subiectum; at vbi peccatum libertati hominis præualuit, mors dominium in hominem cæpit, & ex libero seruum effecit. Nec his contenta, etiam extremi supplicij atq; in cineres conuersionem procurauit. Ei namque

post

post peccatum dictum est: *puluis es & in puluerem reuerteris.*

Secunda mors, Animæ est, quam spiritualem dicimus, hæc ex priuatione gratiæ prouenit. Nam quod in corpore anima efficit, hoc etiam in anima gratia operatur; & de hac morte agebat Apostolus cum dicebat: *existimate mortuos quidem vos esse peccato,* Et alibi: *cum essetis mortui in delictis & peccatis vestris.* Quasi insinuans: Mementote Ephesij, temporis præteriti, quo eratis in peccatis vestris mortui. Nec mors hæc in dubium reuocanda est, nam axioma scripturæ sacræ certissimum est: *anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Rom. 6. Ephes. 2.

Tertia mors, filia peccati, est æterna, quam comminabatur Christus impænitentibus Iudæis dicẽs: *Et in peccatis vestris moriemini.* mori autem, est Dei visione priuari & æternalibus flammis excruciari. *Sicut oues* (inquit Psalmista) *in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Primum igitur mortis genus malum est, teste Aristotele: *Omnium terribilium, terribilissimũ est mors.* Secundum peius, at tertium pessimum esse perhibet Diuus Augustinus: *Illa autem mors est grauior & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ & corporis tantum, sed in æternam pænam potius vtriusque complexu: ibi enim erunt homines semper in morte, ac per hoc nunquam viuentes, nunquam mortui, sed sine fine morientes.* Hoc etiam mortis genus vitandum ostendebat Christus Apostolis inquiens: *timete eum qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* Ioan. 8. Psal. 48. 3. Ethic. lib. 13. de Ciuit. c. 2.

Tres igitur mortis species sunt, quarum posteriores duas breuitati studens omitto, priorẽ quia de ea agit Euangeliũ, assumens. *Ibat Iesus in Ciuitatẽ quæ vocatur Naim & ibant cũ illo discipuli eius & turba copiosa, cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Vt igitur clareat magis, agam in primis de huius adolescẽtis morte, deinde de miraculosa eiusdem suscitatione.

De duobus agendum in sermone. Moriendi necessitas ostēditur. Communem omnibus mortem nemo dubitarit: *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem?* Prudens autem Thecuitis inquiebat: *omnes morimur & sicut aquæ dilabimur.* Apostolus insuper ait: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Cuius mortis necessitatem perpēdens Origenes dicere solebat, Deū hominibus duo pharmaca dedisse, alterū, herbarū medendis corporū doloribus aptū; alterū scripturæ sacræ animæ vulneribus sanandis præsentissimum, contra mortē autē nullū omnino esse remedium. Vnde sapiens inquit, *non est medicamentum exterminij.* Deinde ad id facit vulgò tritum adagium, *contra vim mortis non est medicamen in hortis.*

2. Reg. 14. Heb. 9. Orig. in Psal. 33. Sap. 1.

Apophthegma. Philosophi plerique post impensum pluribus annis Alexandro Macedoni obsequium, præmium exquirentes, petierunt immortalitate donari; at Alexander fati huius necessitatem considerans Philosophis Philosophicè respondit, *nemo dat quod non habet.* hi igitur verbum regis admirantes dixerunt, Si mortis ineuitabilitatem agnoscis, cur igitur tibi blandienti aure dici permittis, *Rex in æternum viue?* Hinc instruentes eū qui mortis necessitatem cognoscebat, immortalitatis sibi iura vendicare nunquam debere. Nec enim mors vincitur, at vincit omnia. Hanc equo albo insidentem vidit Diuus Ioannes in Apocalypsi. Pallida mors, pallido insidet equo, pallorem hominibus pariter incutiens. Omnibus dominatur, omnia suppeditat, & conterit. Vt hanc mortis necessitatem perpenderet Sacerdos summus, iniunctum erat vt omnium tribuū nomina gestaret, inde consideraturus quanta sit huius fati ineuitabilitas, cum tot, tantique duces mortis dominio fuerint subiugati. Eandem mortis necessitatem atque vitæ humanæ cursum vt antiqui referrent, Ludos Circenses adinuenerant, quorum ordinem recensere gratum erit. Quatuor in primis quadrigæ equis quatuor varijs coloribus distinctis vehebantur. Viridis vna erat ver ostendens,

Apoc. 6.

dens; Secunda flaua, designans æstatem: Tertia cæruleo obscuro circumtecta, autumnum significans; quarta verò alba, hyemem verè figurans. Equi varijs coloribus distincti, varietatem humorum in corpore humano concurrentium designabant, nempe Calidum, siccum, frigidum & humidum; vel, phlegma, Choleram, Sanguinem, & melancholiam. Hi currus hunc in modum compositi in *Circo* summa cum violentia huc illuc ferebantur, nunc in hanc, nunc in illam partem circumcursantes, adeò vt maximè esset admirabile, hinc insinuantes vitam nostram celeri cursu ad mortem tendere. *Et æstimauerunt lusum esse vitam nostram & conuersationem vitæ compositam ad lucrum.* Sap.15.

Quod sub hoc emblemate antiqui figurarūt, hoc idem admirabili visione Nabuchodonosori cælum demōstrauit. Vidit namque in somnis statuam ingentis magnitudinis, cuius caput aureum regiam figurabat dignitatem, brachia argentea, brachium seculare & Ecclesiasticum, Pectus æreum, Duces atque milites, pedes fictiles atque terrei, reliquam populi multitudinem designabant. Quam dum miratur Rex magnanimus qui se immortalem arbitrabatur, lapillus subitò de mōte corruens statuā omnem cōquassauit atque in cineres redegit. Statua corpus humanum est, diuersitas materiæ, dignitatum atque honorum varietatem significat, Cōtrita verò per lapillum statua, mortis imperio subiugandos quosque huius mūdi viros ostendit. Postquā ad visionis admirabilis cognitionem vniuersū orbem aduocauit Ioel. *Audite hæc* (inquiens) *omnes senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ*, paulò post subiungit: *residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Quæ verba licet plerique de fame vniuersa intelligāt, tamē morti maximè accōmodata reperio, illa si quidē q̄ bello nō cōsumūtur, celeri Dan.2. Ioel.1.

pede rapit, omnes omnium ætatum prosternens, ideoque *residuum bruchi comedit rubigo.*

Igitur cum mors ineuitabilis sit, memoria illius, maximè homini confert. Quam astutiarum atque fraudum architectus dæmon semper conatur tollere, vt patet in Nabuchodonosore, qui mane facto somnij mortis similitudinem referentis neutiquã recordabatur. At Deus qui nõ vult mortem peccatoris, Danielem præsentauit qui somnij obscuritatem elucidaret: Idem nobis plerumque contingit, nam postquam inspirationibus Diuinis acti boni aliquid perpẽdimus, insufflante inimico totũ quod antea cogitaueramus euanescit; Verũ Deus benignè subueniens, Prædicatores ad nos mittit, qui bona deperdita restituãt, atque damna futura repellãt. Mortis ergò memoria necessaria est, Ideò enim Deus præceperat nè sibi ouis in victimam offerretur, quæ cauda & auribus careret, per caudam mors intelligitur vel mortis memoria designatur, quæ homini Deo placere volenti maximè necessaria est. Peccatori verò maximè esse necessariam constat ex Dei opere, qui primos parentes in peccatum lapsos vestimẽtis pelliceis induit, vt perpetuã mortis inderet memoriam, vnde optimè Sancti Patres Athanasius & Theodoretus. *Decebat vt peccator se talibus vestimentis indueret, quæ essent insignia suæ mortalitatis, nè posset prætendere obliuionem, vel ignorantiam suæ mortis*: Nemo igitur memoriam mortis deinceps dubitet esse prestantissimã, ex hac nãque schola, præcipua vitæ nostræ trahimus documenta. Ideò etiam Hieremiam ad figuli destinauit officinã, indè vasorum fragilitatem considerans, humanæ sortis imbecillitatẽ perspiceret. Nam dum rotæ impositam terram componit ad vasis parationem, vix conuoluta erat, & citius vas paratũ, vel desiccãdo vel decoquendo destruebatur. Sic humana natura quæ figuli rota figuratur, diuersi generis vasa componit, & diuersa corpora producit, quorũ alia in te-

Dan. 2.
Leuit. 22.
Mortis memoria necessaria.
S. Athan. de varijs q q.
Theod. q. 3.
Orig. ho. 6. in Leuit.

in tenellæ ætatis flore corrumpuntur; alia morte conquassata comprimuntur, *generatio namque vnius est corruptio alterius*, vt ait Philosophus. Denique vita hominis processioni simillima est in qua alij redeũt, alij adueniũt. Mortẽ igitur & finẽ pẽsare decet, ex cuius consideratione in nostri venimus notitiam. Ideò enim Christus cœcum natum illuminare volens oculos eius luto liniuit, vt humanæ fragilitatis atque imbecillitatis sortem demonstraret, insuper, vt mortis memoriam, finis inquam cogitationem necessariam esse ostenderet. Hinc namque vera nascitur scientia, teste Dauid qui ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, quasi dicat. dum mortis necessitatẽ atque huius fati ineuitabilitatẽ perpendo, non humanam sed quasi supernaturalem mihi inditam scientiam comperio. Nam dum mortis finem perpendo, in tuæ essentiæ notitiam tendo, quam admirabilem atque incomprehensibilem inuenio. Huius igitur mortis scientia fructuosa, ignorantia verò damnabilis atque detestabilis est. Quam antiqui ęnigmate obscuro præfigurarunt. Nam animal monstruosum leonis pedes habens, mulieris faciem gerens, reliquum autem corporis plumis contectum depinxerant. Quod quidem ęnigma plerique interpretati sunt, alij ad omnia totius orbis peccata distrahẽtes; alij ad quędam tantum, quæ commemorat Diuus Ioãnes inquiens: *Omne quod est in mũdo, aut est cõcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Prima leo est, secunda fœmina, tertia plumæ sunt. Quæ quidem omnia, ex ignorantia sui ipsius oriũtur, atque ex mortis obliuione progrediũtur. Huius ergo memoria necessaria est. Ideò enim præceperat Deus Moysi vt altare terreũ sibi pararet dicẽs: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra*. Altare terreum exquirit, innuens velle sibi actiones mortis consideratione cõspersas offerri. Hui⁹ insuper cõsiderationis vtilitatẽ atq;

Ioan. 2.

emolumentũ, pulchrè admodũ Mellifluus doctor opere integro explanauit, quẽ librum *de consideratione ad Eugenium* inscribens sũmo Pontifici dedicauit, inquiẽs veræ sciẽtiæ atq; sapientiȩ originẽ in eo recunditã esse. Duo dumtaxat scire peroptabat S. Augustinus studiorũque suorum scopus erant hæc duo, *Nouerim te nouerim me*, Deum nosse rogabat, & seipsũ cognoscere studebat; suiipsius autẽ vera sciẽtia haberi non potest, nisi in consideratione mortis colligatur. Nam *scire, est rem per causas cognoscere*, causæ autem hominis, ex fraglitate & mortalitate, & ex origine (scilicet humo) pensandæ sunt.

D. Ioan. Chrysost. super hæc verba Matthæi *Qui vult venire post me abneget semetipsũ & tollat crucẽ suã & sequatur me*, scribens, ait, eum propriè Christũ sequi, propriamque baiulare crucẽ qui in hac mortalitatis carne existens mortem semper ab oculos habet; talis namque dũ finẽ exitus considerat, risibus, iocis, atque mundi voluptatibus vacare non potest, sed ad instar malefactoris, qui supplicio extremo afficiẽdus ducitur, cogitat & mente reuoluit quem finem sit sua vita sortitura. Cuius mortis memoriam vtinam sibi mundani mundanis delicijs implicati proponerent! necessaria siquidem est.

Refert Amos Propheta, Isaiæ cõtẽporaneus, Dominũ cõtra Moabitas vehementissimè cõmotũ, dixisse: *super tribus sceleribus Moab & super quartũ nõ conuertã illos, eo quod incẽderint ossa Regis Idumeæ vsq; ad cinerẽ.* Commouetur Dominus in eos qui sepultos monumẽtis extrahũt, quia tales mortis memoriã tollũt, q̃ sepulchris sẽper inesse solet. Ideò nãq; mortuũ Iosue in vltimis finibus terræ suæ, filij Israel in loco, *Solis* dicto cõstituũt, vel quia ibi Solis statua posita erat, vel vt cõueniẽtius ostẽderẽt eũ qui Solis cursũ in medio cæli retardauerat, morti etiã succubuisse: vel vt ex cõsideratione mortis magnatũ, plebani & populares fati ineuitabilitatem aduertant.

Amos. 3.
Andreas Masius
Iosue, 24.

Cũ morti appropinquaret Ioseph fratres vltimo

rogauit dicens: *Asportate ossa mea de loco isto.* Vbi aduertũt & notãt nõnulli docti patres in exitu Aegypti arcã fœderis præcessisse, feretrũ autẽ in quo Ioseph ossa recondita erant subsecutũ. Illa præcedebat, hoc sequebatur non sine mirabili mysteriorum sympathia. In hac nãq; arca fœderis sicut tria continebãtur, nẽpe Tabulæ legis, virga Aaron, & manna; sic in posteriori tria reclusa erant, tria superiora apprimè referentia, tabulas namq; legis referebat, lex antiquiius stabilita: *statutum est omnibus hominibus semel mori*; Virgam Aaron repræsentabat ineuitabilitas huius sententię; *tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. ex tunc*, id est, ab initio mundi, à peccato protoplasti parentis, à tempore condemnationis: Mellitum porro manna, Resurrectionis futuræ spes referebat. Præcedebat fœderis arca inimicos visibiles impugnatura, subsequebatur posterior mortui corporis arca, inuisibiliũ inimicorum impetũ refrænatura. Ad hoc nãque maximè valet mortis recordatio atque memoria. Heb. 9. Psal. 75.

Ideò .n. mortui Moysis corpus *sepeliuit Dominus in valle Moab cõtra Phegor*, cuius rationẽ addẽs Procopius Gazæus ait: *vt imposturam illius idoli corrigeret aut frænaret.* In valle hac fanum erat in quo Dei lubricissimi atque impudicissimi statua colebatur. Contra quas carnis atque voluptatũ petulantias rectè mortis constituit memoriam Deus, Nihil nãq; est quod ita carnaliũ cohibeat concupiscentiã queadmodũ memoria mortis. Et ne vnius sepulti memoria euanesceret, corpus filii regis ibidem sepultum fuit, vt continua mortis versaretur imago. Proc. Gazæus in Deut. 34.

Superbiæ causã, mortis obliuionẽ esse psalmista testatur, *nõ est* (aiẽs) *respectus morti eorũ, ideò tenuit eos superbia, operti sũt iniquitate & impietate sua.* Quę verba exponẽs D. Hier. inquit: *Nõ cogitãt de morte sua, ideò tenuit eos superbia.* Adeò vt peccati fomes sit mortis obliuio. Sola nãq; huius fati consideratio, omne peccatũ à Regio vate resecabat, nã inquiebat: *Cũ consisteret peccator* Psal. 72.

catur aduersum me, obmutui, dum verò vindictæ appetitus subrepebat, *Notum fac mihi* (dicebat) *Domine finem meum*, da vt valeam nouissima pensare, & de ijs cogitando à peccatorum nexibus dissolui.

Psal. 38.

Exod. 12. Varijs plagarum generibus vsus fuit Moyses vt obduratum Pharaonem è malitia reduceret ad veram iustitiæ & æquitatis lineam, sed nouissima plaga deletionis primogenitorum, cor diutius obduratum adeo emolliuit, vt nulla mora interposita, dimiserit populum Israël, quem antea varijs plagis castigatus dimittere neglexerat. Tantæ virtutis, tantiq; roboris est etiam sola mortis recordatio. Peccati enim mors, mortis est recordatio, nec solum peccati maculam fugat mortis memoria, verùm etiam diuitiarum, atque mundanarum rerum inducit contemptũ. Quidã enim doctus atq; scientia clarus vir, inquiens cur adeò liberè AEgyptij sua quæque aurea filijs Israël discedentibus tribuerint, memoriam mortis in causa fuisse censet, quibus adhuc recens stratagematis angelici plaga ob oculos versabatur. Alij insuper scientia præditi clatiq; viri inquirentes cur duodecim exploratores à Moyse missi, posthumanitatis atque munificentiæ excepta beneficia varijs fructuum honorarijs onusti terram omnem explorauerint, cum postea duo tantummodo à Iosue missi vix effugerint & vitæ periculum fecerint? hanc solam scripturæ rationem assignant. Quia dum duodenarius exploratorum numerus in terram Chanaam profectus est, pestis vehementissima grassabatur, ideoque illius terræ habitatores sepeliendis corporibus præpediti, omnia contemnentes morti soli studebant, quam continuò ob oculos habebant, dum sibi obiecta tum prolium cum vxorum mortua corpora cernebant. *Facile* (inquit S. Hieron.) *contemnit omnia qui se semper cogitat esse moriturum*. Cum verò bini exploratores terræ bona explorare intendunt, mors nulla, nulla pestis, aut mortis memoria erat, ideoque defensioni suæ-

Num. 13.

Iosue. 2.

ni suorum maximè insudabant. Ad hæc refert Plutarchus Reginam Semyramim sepulchro suo has decem voluisse superscribi litteras. Q. R. P. E. D. M. Q. Q. V. S. significantes: *Quisquis regum pecunijs eguerit, demoliens monumentum quotquot volet sumito.* Vnde Darius auri atque diuitiarum cupidus, monumentum aperiri iussit, inæstimabiles arbitratus ibidem latitare diuitias, At spe fraudatus acrem admodum reperit reprehensionem; scriptum enim erat. *Nisi malus & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos, nunquam mouisses:* Ridiculum quidem erat non tamen mysterio vacans, In sepulchris namque mortuorum inæstimabilis thesaurus requiescit quem qui habere voluerit, necessarium est, vt mortuorum sepulchra inquirat atque effodiat. Hæc mihi dicenda mors adolescentis proposuit, sed quoniam sepeliendus est, ad eius sepulturam materiæ residuum disponam. Ait igitur Euangelista. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Hic aliquantulum immorandum hic honorificentissimarum exequiarū antiquitas aduertenda, quā non solū Christiani, verū totus orbis ad vnguē seruare cōsueuit. Iudæi attamen maximè, qui ab ineūte mundi primordio exactissimè sepulturæ honorificētiā asseruarūt. Abrahā vxorē defūctā munificētissimè sepelit. Iacob ex AEgypto asportatur vt in sepulchro Patrū collocetur, cuius corpus tota AEgyptiorum nobilitas comitatur. Ioseph morti vicinus sepulturam fratribus commendat. Tobias morte corpus inuadente filio suo vltimo valedicens ait: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.*

Reginæ Semiram. monumentum.

Exequiarum antiquitas & honorificentia.

Genes. 23.

Genes. 49.

Genes. 50.

Tob. 4.

Maiori attamen cum honore atq; pompa in nouo testamento sepelitur Lazarus; Beatus etiā Stephanus de quo dicitur: *Sepelierunt Stephanum viri timorati.* Christus insuper tanta cum reuerentia atq; honore sepultus est, vt Nicodemus & Ioseph ab Arimathia sepulturæ officiū præstare non dedignati sint.

Ioan. 11.

Act. 8.

ti sint. De hoc sepulchro prædictum fuerat per Prophetas: *& erit sepulchrum eius gloriosum*. O insignem
Isa. 11. atque admirabilem sepeliendi normam, quam in
2. Reg. 3. scripturarum varijs locis reperio! Dauid cum omni nobilium turma, lachrymabundis oculis atque luctibus repletis, singultibus animam prementibus strenuum ducem Abner maximo cum
2. Reg. 2. honore sepelit. Habitatores Galaad Saulis defuncti corpus maxima cum solemnitate sepeliunt, cæteraque aliorum ducum qui eadem in strage interfecti fuerant. Iudas Machabæus vir omni pietate florens militum occisorum corpora, tympanis quasi lugentibus, lituis tristia clangentibus, Sacerdotibus sacrificia pro animabus eorum offerentibus, sepeliri iubet.

Tobias vltra scripturæ laudē, qua extollitur ob officiū in sepeliendis corporibus præstitū, ab Ange-
Tob. 12. lo magis adhuc honoratur, dum ab eo illi dicitur: *Quando sepeliebas mortuos & abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas & relinquebas prandium tuum.* Quin immò & ipsi pagani vero Catholicæ fidei lumine carentes defunctorū corporibus pietatis officia exhibebant. Alexander Macedo defuncto amicissimo Ephestione tantū doloris mœrorisque recepit vt non solum sepeliri, verùm etiam exercitum vniuersum luctus vestimenta portare, atque ciuitatem in qua mortuus fuerat demoliri iusserit. Valerius Maximus refert Symonidem cum nauigaret inuentum corpus submersi
Mirabilis Symonidis historia. humo mandasse, qui beneficij accepti non ingratus retributor, Symonidem nauigare volentem à proposito diuertit, periculum futurum prænuncians. Qui cæteris nauigare volentibus idem annuncians, at flocci pendentibus, verū esse quod annunciatum fuerat aduertit. Nam vix à portu soluta erat nauis cum ecce anchora puppique confractis naufragium patiuntur. Insuper idem

Symo-

symonides erga mortuos officiosus, prandens cum aliquibus, vox illi ad aurem intonuit dicens; foris duos esse viros sibi loqui volentes, qui subitò surgēs & ad ostium respiciens neminem qui eū cōpellaret aduertit: at vbi retrospiciens sibi illudi arbitratur, ruina domus cōuiuas omnes oppressos aduertit. Fabulosum arbitretur qui volet, seriū ego cognoscens inde impensum mortuis beneficiū nō in vanū dico, rependunt siquidē memores beneficij, gratiā gratis acceptā. Tanta est huius sepulturæ acceptio, vt in nulla orbis parte sit vel natio quæ aliquo sepulturæ genere non vtatur, dico *aliquo sepulturæ genere* quia diuersis in locis diuersa fuit sepeliendi norma. Lotophagi nāq; Africani (sic dicti quia loto vescantur, qui *lotus*, genus arboris est, fructus dulcissimos ferentis, quo qui vsus fuerit, tanta afficitur delectatione, adeoq; fructus dulcedine reficitur vt etiam immemor patriæ reddatur. Vnde tritū illud fuit *lotum gustasti*, hoc est patriæ immemor factus es) mortuis sepulturæ locum, mare tribuebant. Pānonij vt refert Laertius, in stagna vt piscium fierēt esca. Bactriani sęuitiæ maximè dedita gens canibus voranda corpora mortuorū obijciebant quos ideò publico dispendio, communibusque sumptibus ę nutriebant vt tęstatur Cicero & Diuus Hieronimus. *Diuersa diuersis sepeliendi norma.* *Hom l. 9. Odyss.* *Cicero l. 1. quæst. Tusc.* *S. Hieron. l. 2. contra Iouin.*

Messageti Scythæ natione, vicini Caspij maris, crudelitatis vt arbitror inuentores morbo aut senectute suos occumbere neutiquam sinebant, sed suos parentes iam morbidos & ad decrepitam ætatem prouectos interimebant, eorumque carnes vorabant, honestius arbitrati esse, interfici, atque violenta prolium cædę occumbere, quam senectute premęnte, vel alia mortis occasione superueniente ex hac luce migrare. Fiebantque esca filiorum, qui filijs fuerant causa vitæ. Sic Alexander ab Alexandro.

Tibare-

Tibarenij voluptatibus atque risibus & iocis nati amicissimos quosque mortuos pertica eleuatos exsiccabãt, vt postea in conspectu positi, defunctorum magis memoriam refricarent. Scythę amicissimos atque familiares omnes eodem in sepulchro recondebãt. AEgyptij mortuis pyramides erigebãt arbitrati æternas fore mortuorum ibidem mansiones.

Iudæi verò humaniores, mortuos nũc in campis, nunc in montibus & cauernis inhumabant. Fidem faciunt varia scripturæ loca, Dominus namq; noster, in confinibus Gerasenorum transiens, duos dæmoniacos sibi oblatos atque è sepulchris erumpentes sanat. Iosias montana pertransiens, necnon aliqua mortuorum monumenta prospiciens, eorũ ossa sustulit, altari Bethel impositurus. Deinde emitur ager, pretio sanguinis, peregrinorum sepulturæ deseruiturus. Deniq; , ecce filius vnicus viduæ efferebatur, vt extra septa ciuitatis inhumetur.

Matth. 18. *Mar. 5.* *Luc. 8.* *4. Reg. 23.* *Matt. 27.*

Defuncti huius corpus gerit imaginem peccatoris. *Ecce defunctus efferebatur*. Dum huius defuncti corpus intueor peccatoris imaginem videre mihi videor. Primo, quia quemadmodum mors corpus exangue reddit, sic peccatum animam exanimem facit. Ideò Hieremias nullum esse ait frigus quod ita aquam gelu obstringat sicut malitia animam obfuscat & refrigerat. Hoc gelu comminatur Dominus: *Gelu* (inquiens) *sicut sal effundam super terrã*. Quod enim fructibus terræ atque arboribus, damnum efficit gelu, hoc animæ etiam parit peccatum. Ideò sponsa in canticis, coniurat ventos frigidiores, ne vastent suorum amœnitatem hortorum, auras verò fauorabiles conuocat, *veni* (inquiens) *Auster, persla hortum meum, & fluent aromata illius.*

Hier. 6. *Eccles. 43.* *Cantic. 4.*

Secũdo. Mortu⁹ grauis est admodũ & põderosus, sed in hoc simillimus est peccator, cuius grauitatẽ neq; ferrũ, neq; plũbũ aut metallum aliud à natura productũ superare valet, ꝙ inde liquet quia quodlibet graue siue lapides, siue ferrũ, siue aliud quod-

uis metallũ aqua sustinet & vehit: at vni⁹ Ionę peccatũ non patitur, reijcit, nec vehere sed submergere cõminatur. Si de terra agẽdũ sit, quæ adeò firma & stabilis est vt psaltes Regius de ea dixerit: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* attamen tātũ grauaminis ei intulit peccatum, vt oneri impar succubuerit, apertaque eos quos sibi tantum oneris adferre præsenserat deglutiuerit. Nec cœli pariter *qui solidissimi sunt, sicut ære fusi,* Angelicũ scelus tolerrae potuerunt. Mare non fert vnius peccatum; terra imparem oneri se fatetur; cœlum succumbit; tu verò anima mea quæ peccatorum multiplicium pondere grauaris, nunquid iure ruinam vereberis? *Ion.1.* *Psal.103.* *Num.16.* *Iob.37.*

Tertio. Mortuus graueolens est, talis & peccator: *Sepulchrum* namque *patens, est guttur eorum.* Mortuus vita caret, hac neq; fruitur peccator, qui licet viuere videatur exterius, interius tamē animæ vita spoliatus mortuus est: Quem in Apocalypsi sic interrogat Euangelista, *nonne habes quod viuas & mortuus es*: Hos similiter refert Sapiens: *Vidi impios sepultos, qui etiam dum adhuc viuerent, in loco sancto erant.*

Quarto. Mortuo similis adhuc peccator est, neque enim videt, neque sentit, neque intelligit, neq; loquētis voces auribus percipit; Insēsibilis est, quia monitiones & verbera quibus Dominus eum castigat non sentit, dicitque: *Vulnerauerunt me, & non dolui, traxerunt me & non sensi.* Denique simillimus est defuncto. *Ecce defunctus efferebatur.* *Prou.23.*

Mirum sane! ecce defunctus, qui paulò antè cuique arridebat, qui matrem parentesque oblectabat, qui totius familiæ gaudium atque recreatio erat, statim vt mortuus est effertur, cuique displicet, nemini gratus est; hoc miseriæ genus in se contigisse deplorat Dauid dicens: *obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Ideoque sepulturam optimè vocat terram obliuionis: *Nunquid* (inquiens) *cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis.* *Psal.30.*

Psal. 87. *nis?* Quæ verba exponens Genebrardus dicit, vel hic infernũ significari, quoniã Deus animarũ in eo detentarũ nõ meminit, vel sepulchrũ, quia breui tẽpore mortuorum memoria euanescit iuxta illud. *sicut* Psal. 87. *vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius.*

Multum amicitiæ fraternique amoris ostẽderat Martha, cũ Lazaro ægrotanti cõpatiens Dominum litteris exorabat vt veniret; cũ lachrymans infortuniũ morbi defleret; at vbi vita decessit atque sepulturæ traditus fuit, iã statim pariter, & obliuioni datus fuit. *quatriduanus est, & iam fœtet.* Quanto tem- Ioann. 11. pore vitalibus perfruimur auris multi sunt qui amicitiæ signa demonstrant; qui dũ mors suo nos subiugauit imperio, nostri statim obliuiscuntur, neque præteritæ meminerunt coniunctionis. *Ecce defunctus efferebatur.*

Adolescens mortuus erat & efferebatur. Primò, quia orphanus, & patre orbatus. Multos plerumq; videmus Patrum defectu mori, multos etiam defectu paternæ curationis interire. Hoc deflens Hier. aiebat. *Pupilli facti sumus absque Patre, matres nostræ* Thren. 5. *quasi viduæ.* Secundo. Iuuenilis fortè ætas mortem intulit, quæ feruida cum sit, si bene non componatur sæpissimè mortem parit, illa est iuuenilis ætas quæ homini malum maximum adfert, quod etiam se ignorare Sapiens aiebat: *& quartum* (inquiens) *pe-* Prou. 30 *nitus ignoro, viam viri in adolescentia.* Verùm, quis est hic defũct⁹ q̃ efferebatur? *filius vnicus matris suæ.*

Vt materni cordis dolorem exaggeret Euangelista, ait filium vnicum fuisse matris viduæ: Dolorẽ sanè inęstimabilem, quique humanę mentis acumẽ excedat; siquidẽ amoris vehementiam, sequitur æqualis flamma doloris. Non autem exprimi potest maior affectio, quã si per amorẽ maternum declaretur. Ideò Dauid, vehementissimi amoris, quo Ionatham prosequebatur mensuram explicare volẽs, aiebat: *Doleo super te mi Ionatha, quia sicut mater vnicũ amat*

amat filium ita ego te diligebam. Eadem ratione Hieremias populum hortatur dicens: *luctum vnigeniti fac tibi.* Talis igitur est materni cordis affectus vt inexplebilis sit, cum dolori semel intendit His fidē facit quod Tobiæ vxor absēte filio intonabat: *Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ:* His addere possumus verba Sapientissimæ Thecuitis, quæ filij causam agens sic Dauidem alloquebatur: *Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam dicit: trade eum qui percussit fratrem suū, vt occidamus eum, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere scintillam meam quæ relicta est, vt non superfit viro meo nomen, & reliquiæ super terram* Vnde facilè colligi potest amoris materni vis & magnitudo, ex magnitudine verò, doloris inæstimabilis mēsura. *Filius ergò erat vnicus matris suæ.* Tob. 10. 2. Reg. 14.

Mirabilia profectò sunt iudicia Dei, qui diuitibus sterilitatem quādoq; immittit, pauperibus verò fæcūditatē elargitur. Mirabilia inquā sūt iudicia, quia ad instar medici lāguidos plures curātis sese habet. medicus est, medicus animarū, huic expedire iudicās fæcūditatem, huic tribuēs sterilitatē, huic rapiēs prolē vt Dauidi, hūc infamans ignominia seculari ab hac etiam vnicum è viuis tollens filium *Filius vnicus matris suæ.* 2. Reg 12. Dan. 13.

Sępenumerò Scriptura mortem leoni cōparat, tū ob crudelitatem, cum propter astutia qua vtitur. veluti. n. leo gradiēs per arenā, miro ingenij artificio pedū vestigia tollit vt securū sibi cōparet iter, tutāq; efficiat semitā; sic mors vitę suę nullū relinquit vestigiū, sed qua parte vēturā arbitrabaris, ipsā vitat, aliamque de qua nō suspicabaris aggreditur, sicque te perimit. Clemens quandoque mors est Dei seruis diu parcens, at nec vnitatem filij viduæ attendit, cui neque propter maternos singultus, neque propter eximios dolores aliquo modo pepercit. Mors simbolis leoni

Exequi-

tis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Exod. 22.
Non igitur despondrat animum vidua si iustitiam in hoc mundo non fuerit assecuta, nam ante tremēdum Iudicis extremi tribunal iustitia fiet, vt psalmista testatur: *turbabuntur à facie patris orphanorum & iudicis viduarum.* Nam protector vester est, *non enim despiciet preces pupilli, nec viduæ, si effundat loquelam gemitus.* Viduitatis induta vestimentis Thecuitis Absalonē, Patri reconciliauit. Et ecce Dominus *misericordia motus super eam* hodie tantum patrat miraculum. Matris miseretur infortunatam filij mortem deplorantis, Adolescenti compatitur sepulturæ iam proximo. Videturque hic Dominus fecisse quod olim Iudices Romani Lucio Pisonio capite damnato fecerant. Hic namque capitali sententia damnatus; morti proximus amarissimè deflens, faciemque luto conspergens erectus adeò Iudices pietate commouit, vt sententiam iam latam reuocarint. Idem dico fecisse Dominum qui adolescentem corruptioni vicinum vitæ restituit, pallorem intuetur, maternos singultus attendit, & misericordia motus eū qui sepeliendus efferebatur vitalibus restituit auris. *Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius &c.* Et Iob orans vt misericordiæ scintillam elargiretur dicebat: *Memento quæso quod sicut lutum feceris me & in puluerem reduces me.* Quæ consideratio mouet etiam Christum. *Misericordia motus super eam.* Immò adeò mouet vt viduæ flenti dixerit: *noli flere,* quasi innueret, Si bonum quod mors homini adfert, agnosceres, non vtique filium mortuum ita defleres, *Laudaui enim magis mortuos, quam viuentes.*

Psal. 67. Eccles. 35. 2. Reg. 14. Lucius Piso. Psal. 102. Iob. 10. Eccles. 4.

Quod vt ostenderent Persę, mortuos purpura indutos lauro circumtegebant, inde fortunam fœlicē qua mortui gaudebant collaudantes. Nam è militia huius seculi in pacis quietem ferebantur, cuius hieroglyMos sepeliendi apud Persas.

roglyphicum laurus est. Quod antiqui sub hac sepeliendi norma faciebant, hoc Christus insigni miraculo inclusit. Matrem consolatur, lachrymas vetat, *noli flere* inquiens, Adolescentem alloquitur dicens: *Adolescens tibi dico surge*, subitoque vitæ restitutus erigitur. In hac adolescentis suscitatione non parua reperio. In primis si à peccatorum nexibus liberari volumus, si à morte peccatorum resurgere, necesse est vt mortis consideratio semper nobis ob oculos versetur. Moyses post vituli aurei adorationem cõgruẽtem filijs Israel tradidit medicinam. Contritum nãque atque comminutum Idolum Idololatris tribuit potandum, vt qui per vitulum in Idololatriam lapsi fuerant, per cineris potationem reficerentur. Idolum mundus est, conteramus mundum & cineribus epotis reficiemur. Id non ignorabat Dauid qui canebat. *Consideraui vias meas & conuerti pedes meos in testimonia tua. Consideraui vias meas*, hoc est nouissima mea, *& conuerti pedes meos*, retrocedendo à malo. Hæc omnia suggessit inopinata adolescentis suscitatio, qui ad instar eius, (de quo scriptum est in lib. regum: *quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei, quod cũ tetigisset ossa Elisei, reuixit homo & stetit super pedes suos*) adolescẽtis suscitati per cõtactũ Elisei, etiã per contactũ Domini suscitatur. Mira sanè atq; admirãda suscitatio!

Mortis cõsideratio à morte peccatorum suscitat.

Exod. 32.

Psal. 118.

4. Reg. 13.

Hoc opus miramini, hoc admirãdum stupete miraculum. mortuus offertur in corpore, mortuũ designans peccatorem in anima. Vnius horrorem mortis, alter peccati periculum demõstrat. Vt igitur peccatũ viteris, mortẽ ineuitabilem esse cõsiderate, mementote mortis Adolescentuli huius; recordatio siquidem fructuosissima est. Verũ consentaneũ foret vt tu Domine qui hoc perpetrasti miraculũ, noua iterum denuoque miranda produceres miracula. Vt inquam animas nostras, peccatis mortuas suscitares atque manu misericordiæ tuæ erigeres. Necessariũ inquã est vt eruas *de manu canis vnicam meam*. Vnica est,

Psal. 21.

est, Ecclesiæ filia, Ecclesia defleat absentiam, dico visibilē deplorat, hanc consolare, huic succurre & animā iā defunctā verbo salutis, vitæ restitue, vt vitali aura perfruens æternam adipiscatur requiem. Amen

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, Lucæ 14.

FIGVRA.

Formosissimus ille Dauidis ex Maacha regis Gessur filia filius Absalon, vt se de suo fratre Amnō vlcisceretur, conuiuium instruxit, illumque accersiuit, accersitum clam intercepit. Par hic subest dolus: ecce populus Iudaicus, nescio quo animi errore perditus, Christum ad mensam cuiusdam principis Pharisæorum vocat; quo in ipsius mores & vitā, si possit, seuerius animaduertat. ô mens! ô perfidia! ô cœcum cōsiliū! Sed a Iudæis, Christo texūtur insidiæ; à Christo tamen Iudæo hydropico retexitur salus. Super his apud vos in præsenti verba facturus sum, modò mihi diuina S. spiritus aura aspirauerit, qua vt fruamur, Diuæ virgini supplicemus. *Aue Maria.* 2. *Reg.* 13.

Insigni vir ingenio & eruditione Alanus, si quādo in sermonē de inuidia incidisset, in hæc solitus erat prorūpere: *Inuidia quod mōstruosius mōstrū: aut quod dānosius dānū? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? hæc est errore excœcitatis abyssus, humanæ mētis infernus, cōtētionis stimulus, corruptionis aculeus.* Verè hæc & doctè; cū etiā S. Patres vnanimi pede in eādē eāt sententiā. *Alan. de complāctu Natur.*

S Cyprian. ita olim: *Inuidia radix est malorū omnium fons cladiū, seminariū delictorū, materia culparū; mala cætera terminū habent, Inuidia autē est malū iugiter permanēs, & sine fine peccatum.* Imò addit omnē ab hac Megēra intoxicatū hominē in bestiā conuerti. *Hinc* inquit *vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida. effrenata cōuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.* *Cyprin. ser. de liuore ante medium.*

Hinc subscripsit S. Aug. *Inuidia* (inquiens) *filia est*

superbiæ; suffoca matrem, & non erit filia &c. inuidia est odium alienæ fælicitatis respectu superiorum, quia eis non æquatur; respectu inferiorum, ne sibi æquentur; respectu parium, quia sibi æquantur.

Imo verò *Inuidia*, teste eodem, *vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est, & inexpiabiliter reus*: Neque enim Lucifer vt fur, aut homicida, vel adulter, sed vt inuidus æternum damnatus est. Nec à communi suffragio abijt S. Chrysostomus cum protulit inuidiã adeo esse perniciosam, vt hominem in non hominem, imò dæmonem transmutet: *Inuidia* (ait) *pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immitissimum conuertit. per eam mors venit in mundum &c.*

Chrys. Hom. 5.

Et multò ante hos in eandem sententiam sapienter loquutus Rex sapiens: *vita carnium*, (inquit) *sanitas cordis, putredo ossium inuidia est.* quasi dicat, Inuidia est furiosa passio quæ in homine cor, cerebrum, intellectum, ipsasque ossium medullas depascitur.

Prou. 14.

Viperarum genimina ipso in partu maternæ vitæ dispendio sibi vitam quærunt; viperæ non absimilis inuidia: Huius stirps odium & liuor, quæ vbi animus conceperit, priusquam pariat ab illis ipsis euisceretur necesse est. Mihi testis Ambrosius sic monens; *Fuge inuidiam quæ non solum alienos, verum multò magis eum quem possederit, lacerare consueuit.* & eloquẽter D. Hieronymus epistola ad Demetrium: *Oro te quid inuido delectationis præstat inuidia? quem secretis quibusdam conscientiæ vngulis liuor ipse discerpit, & alienam fælicitatem tormentum facit:*

Ambr. l. de fuga sæculi. Hieron. ep. ad Demetr.

Vnde non abs ratione S. Basilius, inuidiam ærugini comparabat, *vti enim ærugo ferrum, sic inuidia, quã inficit animam consumit.* Nec ego ab hac comparatione recesserim, imò dixerim inuidiam tantum malũ, vt inuidum perpetim in torturam trahat: toties enim hic nouis torquetur doloribus, quoties ille fortuna gaudet pinguiori.

Tigribus à natura est, teste Plutarcho, vt illæ in furorem

Plutar. in Moralib.

furorem agantur euestigio ad timpani sonitum, tubarumque clangorem; quam syluestrem belluinamque insaniam æmulantes inuidi, vbi saniorem aliorum famam, consonosque virtutum concentui illorum mores audiunt, furijs abripi solent, & agitari. Quos apiè ego cum Heli contuleram, qui Domini lāpadem dō intensiorem, acutioremque sui claritatē irretusa fronte non valebat intueri. Siquidem Lucernæ ardenti iustos assimilat sacra pagina: *erat lucerna ardens & lucens*, de S. Ioanne loquitur. At extinctæ, mortuaque lampades impiorum simulacrū præ se ferunt, & inuidorum, qui nec iustorum probitatem, nec mores bono placidoque aspiciunt oculo, minus bono animo ferunt. Verè dixero Phœnicis genium in inuidis reperiri. Solet is iam in extremo vitæ suæ limine positus, odoriferos herbarum, suauecolentiumque lignorum fasciculos longo labore quaquauersum quæritare, vt ex illis sibi rogum struat, mox vt & in illo sibi vitam destruat. Ecce inuidi de suo proximo mussitari audiunt? quid id sit, curiosius indagant: si proximus bene audit, indignātur, dolent, excruciantur: exindeque quæsitis vltro, citroque alienæ famæ odoribus, ingloriè suffocantur, vt pro certo sit malis alienis inuidiam florescere, alienis autem bonis deflorescere. Pellorū auidi vultures, cladiumque amantes, vbi cadauerum stragem præsagiunt, eò euolant: & culices sanis corporibus minus officiunt, at vlcerosa ambiunt importuniùs & irritant. quid inuidi? bonos colunt? aut in virtutis callem iter faciunt? non faciunt. sed virtutes exosi in vitijs progressum faciunt. Vtque scarabæis alienis in sordibus luxuriari vita est: sic inuidis in alienis vitijs, ac infortunijs; teste illo, qui dixit, *Inuidi aduersa aliorum fortuna, vt scarabæi alieno stercore, nutriuntur.* Sed de misera hac peste iam plus satis; quæ quam immaniter in Iudæos sæuierit pedetentim innotescet. igitur *cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorum &c.*

1. Reg. 3.

Inuidi similes Phœnici.

Inuidi cōparantur vulturi & culicibus.

Chrysost. in Hom.

In prima huius conuiuij mensa, Pharisæorum inuidiam vobis apponam: in secunda autem mirè restitutam hydropici sanitatem. En mihi prima frõte occurrit in hoc discursu subdola mens, vesanũq; Pharisæorum consilium: Christum enim inuitant. at quo die? Sabbathi die, quo aut ignem struere, aut manna in deserto colligere, aut ex agris lignorum frusta conuasare, imò ægris subuenire lege prohibebantur. Inuitant tamen, at vt rigidioris censuræ periculo illum subijciant: *cum intraret Iesus &c.* Hunc pharisæorum principem vocat Euangelista: nec id mirum; mos enim fuit, non modo solum apud Iudaicos sacerdotes principem sortiri: sed apud quamlibet sacerdotum familiam, quamlibet sectam, quãlibetque synagogam sibi in suo statu principem præficere, qui cæteris honore, & authoritate anteiret. Hinc Zacheum publicanorum principem: sic Luc. 8. principem synagogæ: sic Ioan. 3. principem Iudæorũ fuisse legimus; hunc verò pharisæorum principem. Verum cur huius pharisęi nomen ab Euangelista siletur, cum alterius pharisæi etiam Christum inuitãtis, & de Mariæ Magdalenæ ad Christũ accessũ indignantis nomen, cui erat Simon, ab eodem alibi exprimatur? In promptu causa est: vt discamus Deum maiori odio peccatores illos prosequi, qui deliberata voluntate in peccatũ ruunt, quã qui fortuito casu: Simonẽ istũ deliquisse euẽtus inopini fuit; quî enim de aduentu Magdalenæ certus esse potuit? Hũc verò, malignæ mentis fuit. cur Christum accersit ipso sabbatho: nunquid vt opportuniorẽ illũ criminandi ansã queat apprehendere? ecce cur curãdũ hydropicũ adduci iussit? Hos hos eiusdem farinæ homines Deus è sua memoria obliterat, teste ipso: *nec memor ero nominũ eorũ per labia mea.* Sic pessundato diuinæ legis edicto peccauerant protoparentes, peccarat & serpens, sed dispari casu: illi fraude adducti, hic malitia: vnde illos redarguit Dominus, nõ serpentẽ, quia sua malitia fecerat. Sic Leu. 4. voluit Deus sacrificia institui ad ea crimina diluenda, quæ per ignorantiã cõmissa forent

Rigor legis circa obseruãtiã sabbathi.

Luc. 8.

Ioan. 3.

Deus pessime odit peccata ex malitia commissa.

Psal. 15.

Leuit. 4.

forent, aut per humanã fragilitaté;nõ itẽ ad ea quæ per maliiiã siquidẽ huiusmodi peccata malitiç in spiratũ S. sunt, quibus irritata diuina clemẽtia terrarũ orbẽ diluuio semel perdidit. Scripturã attende *Vidēs autē Dominus quod multa malitia hominũ esset in terra.* Genes. 6. Sic Fratres Ioseph, quẽ ex malitia mãcipiũ fecerant, fatentur, ignominiæ, his nomine Patriis Iacob, illi supplicãt, *obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorũ, & peccati atq; malitiæ, quã exercuerunt in te.* Vbi Genes. 50. aduerte, ipsorũ factũ, nõ peccatũ tãtũmodo, sed scel⁹ nominari, quod grauius quid sonat. Porrò Iudaici populi custodiã ceterũ regina Esther vbi impij facinoris Amã meminit, illud ignominioso malitiæ titulo depinxit. *Procidit* (inquit scriptura,) *ad pedes regis & loquuta ad eũ vt malitiam Amã agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat cõtra Iudæos, iuberet irritas fore* Esther 8. Psallit quoq; Psaltes regius, magnũ illũ iudicẽ in extremo iudicij die strictẽ horrẽdeq; de malitiç peccatis rationẽ exacturũ: dũ hęc exprobrã do: *os tuũ abũdauit malitia, & lingua tua cõcinnabat dolos,* Psal. 49. quẽ locũ sic Genebrardus; *os tuũ abũdauit maledictis.* Et textus hebraicus, *os tuũ laxasti ad malũ.* oẽsq; fatẽtur ibi fertilius exundare vitia, vbi scaturit malitia. Turpius itaq; scelestiusq; est huius Pharisęi delictũ, de industria subdole Christũ inuitãtis, *Sabbatho mãducare panẽ.* In maximo, sollenniq; admodũ honore erat apud Iudæos sabbathi celebritas, in recordationẽ sũmi beneficij, creationis nẽpe mũdi: siquidẽ isto die Dominũ Deũ cęlesti, sublimariq; huic globo colophonẽ adiecisse in confesso est: quia verò magno huic beneficio successit maius, Redẽptionis nempè humanæ beneficium factum est, vt dominicæ festiuitati Sabbathũ cesserit: nec id ob vulgares causas operis; etenim illo die creata est Angelorũ natura; illo Israelitæ ex Aegypto migrauerũt, vt Osorius: illo Moisi data lex; Manna occepit pluere, vt Orig. illo eodẽ Christus natus, circũcis⁹, resurrexit: Apost. Spirit⁹ S. miss⁹. Hinc iubebat De⁹ ipso sabbatho p̄ cęteris Num. 28.

Sabbatho successit Domin.

Rationes ob quas Dominica Sabbatho præferatur.

ris diebus binos agnos immolari: *die autem sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos*; quo moneamur ipsa Dominica nobis frequentius & feruentius diuinis officijs esse insistendum: qua de re Gregorius: *Dominica die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur.*

Greg. l. 1. ep. 3.

Sed ô perditos sæculi mores! vbi religio, vbi pietas perijt, quid enim hodie cum dominicis, quid cũ sanctorum festiuitatibus? quibus flagitiosi desperatorum hominum greges in omnem luxum diffluũt. Non immeritò sanè Ieremias exclamat mersam omnibus vitijs ętatem suam deplorans: *viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius.* quidni modo meliori iure loca amica mœroribus quæramus, & peccata nostra plangamus, quæ sacrosanctis præsertim solennitatibus in Deum committimus? Verè sabbatha nostra ille humani generis impostor deridet, cũ cultum diuinum, & sanctiones, cæremoniasque ecclesiasticas conuellamus, & nefandis sceleribus contaminemus. verè inquam sabbatha nostra deridet, cum ea non supremo Deo, sed aut furenti Baccho, aut lasciuæ Veneri, aut idolo simili dedicemus; vnde Pharisæus peruersitatis suæ aperiendę sabbatho occasionem captat. *Et sabbatho manducare panem.*

Thren. 1.

Habetur porro sabbathi præceptum Exodi 20. & 31. & Ieremiæ 17. itaque illud Iudæi tanta cum religione, tanta cum reuerentia colebant, vt pauperculus quidam, cum eo die pauca ligna collegisset, lapidibus obrutus sit. imò verò potius mortem subijssent, quam sacrum illum diem in minimo violasset. si quidem scriptum est in libris Machabæorum, nõnullos Hebræos, cum sabbatho ab hostibus oppugnarentur tantam religionem præ se tulisse, vt mortẽ libentes occumberẽt, ne sumptis ad defensionem suam armis sabbathum contaminarẽt. Hoc ipse Deus speciali quodam miraculo confirmasse videtur: Nã

Exod. 20. & 31. Hiere. 17. Num. 15. Mach. 2.

Baptista Fulgosius in rapsodijs historiarum narrat quendam fluuium per mediam Iudæam fluere, qui cum tota hebdomada fluxerit, sabbatho tamẽ quietum consistere, vnde & sabbathicus nuncupatur. Insigne naturæ documentum, & ante hunc diem inauditum: & veteres Rabbini, Doctoresque Iudæorũ scriptis suis quondam reliquerunt malignos spiritus adeo sabbathi cultum abhorruisse, vt eò ipso die ne vnus quidem inter homines reperiri daretur: sed in rabiem versi a possessis recedebant, aeremque vlulatibus suis implentes in deserta, & cauernas mõtium secedebant. ô Metamorphosim deplorandã! nunc festis diebus, dominicis præsertim, patet ianua tartari: nunc orbem vniuersum Gerion ille tergeminus. i. superbia, cupiditas, voluptas circuit, & incautos sensim sine sensu in æternas inferni flammas deducit: nunc Pharisæorum vitam ducimus: nunc Principis huius morbus impiè inhærentes festa impendimus, vt omni vitiorum generi habenas laxemus. *& ipsi obseruabant eum.*

Fluuius sabbathicus tota septimana fluens sabbatho quiescit.

Dæmones sabbathũ horrebãt.

Proh Deum! tota vita Redemptoris mei, quid nisi ruenta crux? nam vt inquit S. Bernardus, *Habuit in actis obseruatores, in verbis contradictores, in tormentis illusores.* Vnde in canticis rectè à sponsa vocatur *Fasciculus mirrhæ*, quæ est symbolum doloris Ratio autem tanti in Christum odij fuit, quod execranda peccata sua reprehendi iniquo animo paterentur: verum cœlestis hic Doctor nouerat, quod apud Isaiam scriptum est: *clama, ne cesses &c.* quod Pseudo prophetæ negligebant timore correpti, ne in popularis auræ indignationem inciderent: & de huiusmodi loquitur idem propheta: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti, non valentes latrare.* Verum à similibus procul aberat, qui de seipso dicit: *Annuntiaui iustitiam tuam &c.* quod nunc luce clarius patet *& obseruabant eum.* O proditores non ferendos! Hinc conuiuia, inde insidias parant; hinc mel vna manu, inde fel altera porrigunt: quos non ineptè leoni à Sampsone

S. Bern.

Cant. 1.

Isaiæ 58.

Isaiæ 56.

Psal. 38.

Infamis Pharisæorum proditio.

Iudic.14. sone in terra Philistijm occiso comparem, cuius os melle plenum erat, viscera autem corrupta & putrida. sunt verè noui leones, sed erymanthidis deteriores. quorum ora melle abundant; suauiloquis inquã verbis, quibus Christum Dominum ad conuiuia inuitant: at si interiora penetres, videbis corda spirantia cædem bonorum, plena inuidia, & iniquitate. Diuinè psalmista: *loquuntur pacem cum proximo suo &c.* item Abacuc, *Væ qui potũ dat amico suo, mittens fel suũ, & inebrians vt aspiciat nuditatem eius.* Neque verò simplex imprecatio fuit, sed vera prophetia, quæ ex tunc Pharisæos nostros tangebat genimina viperarum, Acherontis pabula, *& ipsi obseruabant eum.* Apposite propheta Dauid huiusmodi describit: *obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus:* super eum quidem, idest, contra eum. & infra: *considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum.* rursum alibi: *tota die verba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.* O miseros inque dies, miseros qui inuidia vestra plus detrimenti vobis, quam alijs paritis! qui enim emungit candelam, equidem lucidiorem reddit; verum digitos nigredine inficit.

Psal.17. *Abac.2.* *Psal.36.* *Psal.55.* *Inuidus plus sibi quam alijs nocet.*

Eodem modo conatur Inuidus alterius famam rodere, & luminibus gloriæ eius obstruere; sed misere conscientiam suam inficit; alteri verò merendi materiam suppeditat, eiusque famam, & honorem, post despumatum inuidi pectoris sui virus, auget,

Pulchra similitudo Si quispiam iter faciens aliquam Crucifixi imaginem, aut luto immersam, aut loco minus honesto collocatam conspiceret, nunquid illam extraheret, ablueret, & honestè suo loco reponeret? Si autem extenso digito eam derideret, aut suspenso naso, plenisque buccis & cachinno luderet, nunquid meritò malus catholicus, imò hæreticus, aut potius Mahumetanus & infidelis habendus esset? Similiter qui proximum suum, qui vera Dei imago est, quouis vitio conspurcatum videt, aut putat, eumque fraternè &

nè & charitatiue non corripit, sed malitiosè vitam eius deridet, vix Christianus credi poterit, sed potius Turca, aut infidelis quispiam: *Et ipsi obseruabant eum.*

O Inuidiam! ô pestem! ô infortunium! Inter labores Herculis, & heroica eius facta, victoria aduersus Hydram potissimum locum tenet; erat autem Hydra serpens multiceps leonæas paludes inhabitans: Hercules verò hominis virtute præditi typum gerit, sicut Hydra inuidiæ, nam de inuidis legimus. *Venenum aspidum sub labijs eorum*; multiceps est & proximo in boni honoris, fortunæ, & vitæ nocet; in sordidis & palustribus locis habitat; inuidia enim aliorum vitiis & sordibus pascitur; neque aliud aliquod vitium hominem probum æquè fatigat, ac hoc monstrum. *Et ipsi obseruaban: eum.* Licet autem Herculi plurimas molestias fecerit, aduertendum tamen est ex fæcibus luti enatum, & paludum lacunis generatum hoc monstrum esse; claros fontes & pellucidos aquarum riuos auersabatur, turbidis autem & vliginosis locis gaudebat; Ita inuidia (audacter dico) nunquam generosum pectus inhabitat, aut verum ad virtutem aspirantem inuadit; male sanatum cerebrum, mens humilis, & abiectus animus huic monstro sedem parant. Tinea ac caries, quæ lignum rodit; vestes exedit, à cedro tamen se abstinet, eo quod odorifera, omniq́ue ex parte incorruptibilis arbor sit: inuidia tinea est omnia rodens, omnia inficiens, omnia corrumpens, quæ tamen ab anima virtutibus prædita, ceu ab excelsa cedro excluditur; nam solum, *Paruulum occidit inuidia*; hoc enim vitiũ ex pusillanimitate, & abiecto animo originem ducit; quales erant illi Pharisæorum, qui tanta cum sollicitudine in acta, & dicta Christi inquirebant, *& ipsi obseruabant eum.*

Infelix inuidia, inuida ac detestanda detractio: nimium est malum, sed adeò modo commune, vt flagi-

Inuidia Hydra cō-[illegible]

Viles animi domicilium Inuidiæ.

Iob. 5.

Reprehēsorē oportet esse innocentem.

flagitijs quibuscunque coopertissimus primus ad alios arguendum prosiliat, cum tamen absque peccato esse oporteret qui alium vitij insimulat, iuxta illud Salustij. *Qui in altum paratus est dicere, omni vitio carere debet:* Ideoque in veteri lege statutum erat, vt emunctoria templi aurea fierēt, vt mouerentur correptores aliorum, oportere se animos virtutibus, ac iustitia deauratos gerere; maximè autem charitate, quæ inter cæteras virtutes, seu aurū inter metalla reliqua præstat, relucere. Optime prisci illi Patres, inuidos ac maledicos Apocalypticis illis ranis compararunt, de quibus legimus, *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum.* Neque enim aptius effingi potuit inuidi Hieroglyphicam, quam rana, ob duas quas habet mirandas proprietates: prior est, quod cum toto corpore exsanguis sit, oculos tamen sanguinolentos habeat; eosque adeò prominentes, vt extra faciem propendere videantur: posterior est, quod terram & aquas tanquam amphibion inhabitet; & sic nonnulli arbitrantur ideò Mæcenatem in annulo suo signum ranæ gestasse, vt suæ potentiæ Symbolum esset, significās sibi à Cæsare, tam maris, quam terræ gubernationem creditam: Quarum vtraque tam probè inuidis competit, vt nulla melius; oculi eorum sanguine & vindicta pleni sunt; nihil aliud quam aliorum mortem, infortunium, & ruinam spirant aut sperant; & aliorum imperfectionibus, tam perfectè inuigilant, vt oculos extra faciē habere videantur; easque deprehensas terra, mariq; promulgant: meritò itaque inuidi ranæ appellantur, maximè autem, quia sicut hæ sordibus delectantur, & noctu cantillant; ita inuidi aliorum peccatis gaudent, & de illis in eorum absentia murmurant; & cū ipsi præ cæteris sordeant, aliorum tamen fæces ferre nolunt; hoc ipso ostendentes se de ore illius draconis infernalis prodijsse, qui diabolus est.

Exod.25.

Inuidi similes ranis.

Apoc.16.

Dicit illa amore languens, & encomia sponsi sui admi-

admirans in canticis, *Labia tua sicut lilia stillantia myrrham primam* : Myrrha cum natura sua amara sit, à corruptione præseruat, ita etiam verba sponsi ; si quando amariora sunt, à peccatorum tamen corruptione nos custodiunt; quodque nos magis recreat est, quod de ore candido, amico, innocente, nullius inuidiæ suspecto procedant. Quid enim absurdius, quam cum totus vitijs obuolutus sis, alium vitiosum proclamare? immerito talem ad verticem vsque peccatis immersum, alios tamen culpantem ; multo cum sale ridet Martialis. Cap. 4. Martial. lib.1.

Cur maculas alios maculosior omnibus Albi,
Et carpi dignus carpere non metuis

Neque enim conueniens est, vt probum iustumque nequam & sceleratus reprehendat : sed vt inquit Augustinus, *Accusare vitia officium est bonorum,* & Isidorus: *Non debet aliorum vitia corrigere qui ipse vitijs est subiectus.* Huc pertinet pulchra quædam Bozij consideratio, cur scilicet S. Petro incarcerato catenę de manibus ceciderint; cum enim ipse aliorum vincula esset soluturus, indecens erat eius manus eisdem astringi; Ipsi enim dictum erat *Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis*: Similiter, qui lingua sua in reprehendendis alijs vtitur, cauere debet, ne & ipse arguendus sit. Aug. de Ver. Domin. in monte. Isidor. l. de sum. Bono. Bozius de Signis Eccl. Matth.16.

Sed quid? adeo hoc malum in mundo dominatur, vt in aliorum vitijs instar lincium acutum videamus, in nostris talpis cæciores simus: Alios ruentes videmus, lapsum proprium non agnoscimus ; cum infelici illi Oza Arcam lapsum minitantem cernimus, sed nos impuros ab Arcæ contactu arceri non aduertimus. 2. Reg. 6.

Mira est quam libri Regum historiam referunt; tres potentes Reges, Iuda, Israel, & Edom coniunctis exercitibus Regem Moab in sua Metropoli, tam arctè obsederunt, ac fortiter oppugnarunt, vt desperatione victus, atrox facinus designarit, nam *Tulit filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, &* 4. Reg. 3.

obtu-

obtulit eum in holocaustum, super murum. Qui locus Doctores ac scripturæ interpretes plurimum torquet: Quidam enim dicunt Regem Moab Deo hebræorum filium suum immolasse, vt propitium eũ redderet;cum enim videret eos vincere, qui vinci solebant,prudentes ac sapientes regni sui consuluit, qui responderunt gentis illius quendam auum, Abraham nomine,filium suum Deo obtulisse, atque ex eo tempore eius posteritatem Deo placuisse: quod exemplum imitatus Rex, Iudæos adeò pietate & compassione mouit, vt obsidionem sponte soluerent. Caietanus tamen non improbabiliter putat, quod cum Dijs suis propitiandis immolarit: ideoque facta sit, *indignatio magna in Israel;* punitio scilicet diuina, & pestis immissa, quæ obsidionem soluere coëgit: Videns enim Deus hoc Moabitarum scelus, recordatus est alterius Iudæorum, de quo
Psal. 105. psalmista, *Et sacrificauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs:* Noluit itaq; Deus Idolatras ab idololatris puniri, nec placet ei quod peccatores alios vitij arguãt; multo minus vt sceleribus cooperti innocentes traducant, & sanctam eorum vitam, ac mores carpant: Quod ipsum hodie Pharisæi fecerunt, qui cum vitijs scaterent, & Deo abominabiles essent, in vitam innocentis Christi inquisituri, ad prandium eum inuitant, hydropicum accersunt, ex misericordia insidias ei struunt, vt si ægrum sanasset mox Sabbathi violatorem proclamarent; & hæc altera concionis nostræ pars erat, de qua modo agendum, *Et ecce homo quidam hydropicus &c.* Huius miraculi nouitatem referens B. Lucas dicit Dominum in domo Principis Pharisæorum manducantem, hominẽ Hydropicum sanasse. Fœlix reuera domiciliũ in quod introierit Dominus, fortunatum cõuiuiũ in quo Christi præsentia claruerit. Nusquã intrat quin suæ sẽper
Ioan. 2. diuinitatis vestigia relinquat. In Cana Galileæ aquã
Matt. 9. conuertit in vinum; Salutem Zacheo, eiusq; domui
Ioan. 8. intulit; ad Mattheũ diuertẽs ex publicano & telonario Apostol. & Euang. effecit: ad castellum Bethaniæ

acce-

accedens quatriduanum Lazarũ suscitauit, & modò hospitatus in domo Principis Pharisæorũ etiã ęgrotanti, atque de vita periclitanti salute impartitur. Eius præsentia Arca est fœderis, quæ inducta in domum Obededom, eam multiplici benedictionum fructu cumulauit. Eius præsentia figurata fuit per Eliã & Elisæũ qui viduarũ domos introeuntes, omnia abundare fecerunt, immò & mortuos ad vitã reuocarũt. Aristoteles in libris de cælo ait, accessum & recessum solis esse causam generationis & corruptionis; sed potiori ratione dicere possum accessum & recessum Dei esse causam vel salutis vel perditionis. *Luc. 19.* *2. Reg. 6.* *3. Reg. 17.* *4. Reg. 4.*

Et ecce homo hydropicus erat ante illum.

Introeunte domum Principis Pharisæorum hydropico, nouæ pariter mentem meam introeunt cõceptiones. Prima quę me in admirationem rapit occasio est fides ægrotantis, qui nulla Principis habita ratione intrat domum & quærit saluti suæ conuenientem medicũ. Similis effectus Magdalenæ. Et recte quidẽ. Nã Deus ibi inquirendus est vbicunq; est, vt psalmista testatur qui ait: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* *Fides hydropici.* *Psal. 33.*

Secunda, Pharisæorum est malitia Dominum inuitantium, non vt hilarem beneuolũq; præbeant animum, sed vt eũ circumueniant, & verba factaque eius explorent. De quibus dictum est: *Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christũ eius.* Idem accidit in Ptolemeo qui inuitatum Simonem Sacerdotem cum duobus filijs iugulauit. Vnde de ijs dici potest: *A propheta vsque ad Sacerdotem, omnes faciunt dolum.* *Malitia Pharisæorum.* *Psal. 2.* *1. Mach. 6.*

Tertia admirationis causa est quod in principibus Pharisęorũ sũmã impudẽtiã notẽ: perfricta.n. frõte manifeste declarant se Christũ inuitasse non vt charitatis officio ipsum reficerent, sed inter conuescendum verba notarẽt, facta consignarent ex quibus calũniãdi & accusandi occasionem quęrerent. Tanto sanè peiores quãto sollicitius suam hypocrisim amicitiæ pallio

pallio contexerunt; contra quos illud sapientis merito ingemines, *Væ duplici corde.*

Opera misericordiæ quouis die exercẽda. Quarta admirationis causa est. Quia Dominus in sabbatho eum sanauerit. Vnde ostenditur nobis in diebus singulis proximis ecce subueniendum, epulatur in sabbatho, curat in sabbatho, docet in sabbatho. Ostendit præterea malum non esse in diebus festis epulari (dummodo honesta sit recreatio) qualis erat Tobiæ, de quo legitur; *Cum esset Domini dies festus, & factum esset prandium in domo Tobiæ, dixit filio suo, vade & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.* Sed prohdolor! non talia sunt hodierna conuiuia, sed è contra, scortis atque meretriculis repleta. Denique hinc docemur nullam ob causam intermittenda esse charitatis opera, neque ob hominum, neque ob alterius cuiuspiam rei respectum. Nam vt scribit Paulus, *si adhuc hominibus placerem seruus Dei non essem* sic si hominibus placere studemus à Dei seruitio longè distamus. Proximo subueniendum est etiam in die Sabbathi, exemplo Christi, nam necessitas non habet legem. *Et ecce homo hydropicus erat ante illum.*

Tob. 2.

Nullam ob causam intermittenda charitatis opera.

Galat. 1.

Denique hoc facto edocemur omnia legis præcepta ad regulas charitatis, & necessitatis casum esse reuocanda; sic enim Moyses ipse circumcisionem in deserto omisit, Dauid panes propositionis comedit, Christus in Sabbatho infirmos sanauit. Ex quibus vlterius hæc scholasticorum axiomata patent, casu necessitatis non fæmina solum, sed etiam infidelis validè baptisma confert; Quadragesimę tempore licitè carnibus vescimur; Infirmis medicinã applicamus; pro defensione Reipublicæ arma sumimus: Necessitas enim leges nullas aut regulas patitur, sed omnimoda libertate & varijs priuilegiis gaudet: Magna erat Sabbathi celebritas, & tamen hac ipsa solemnitate Dei filius Hydropicum sanare non dedignatur, *Et ecce homo hydropicus erat ante illum*

Hydropic. mundanos significat. Hic hydropicus, mundani hominis præfert imagi-

maginem. Nam ſicut hic ex nimio potu morbum ſibi conſciuerat, ſic mundani ex varijs deliciarum atq; vanitatum oblectationibus damnationem cõparant ſempiternam. Mundus etenim ſolet voluptatibus mundanos ineſcare, atq; ijs, eos quaſi hamo decipere, vinum ſemper præbet, at ſub vino latet venenum, teſte Salomone, qui ait: *Ne intuearis vinum cum ſplenduerit in vitro color eius, ſub itò enim mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* adhæc addi poteſt illud Prophetæ regij: *Fel draconum vinum, & venenum aſpidum inſanabile.* Hoc vino ſepultos Africanos, mandragora commixto vna nocte interfecit Hannibal: nam ſubitò refugere ſe ſimulans, eos hoc vino ineſcatos cum omni exercitu trucidauit. Nam de mandragora ſcribit Ariſtoteles, quod profundũ ſomnum cauſet; quibus addit S. Haymo ſuper Cantica: Mandragoras eſſe exigua quædam poma, quorum liquor ſomnum inducit, ille autem qui de corticibus educitur, adeò ſumentis ſenſus ligat vt ictus gladio percuſſionem non ſentiat. Eodem modo diabolus popinam nobis præparat, hoſpitem agit, vina voluptatis larga manu propinat; ſed hydropicos iã & *ſomno vinoque ſepultos* callidus humani generis hoſtis opprimit, & erebo gratas victimas tranſmittit. Vnde claret quantum ſit delitiarum periculum.

Prou. 23. *Deut 32.* *Sext. Iul. l. 9. c. 5.* *Ariſt. de ſom. & vigil.*

Omnia morborum genera peccatorum effectus ſunt, ideoque vt peccatorum ſitis inextinguibilis oſtendatur, hic hydropicus nobis continuò ſitiens demonſtratur; de quo peccatore Iob loquens aiebat: *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.* Et reuera benè ſitiens dicitur peccator, qui nihil guſtat, niſi quod ſitim magis prouocet & nutriat; hoc indicat Dominus dicens: *Dereliquerunt me fontẽ aquæ viuæ & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, & ideò ſiti vexantur.*

Iob 18. *Ierem. 2.*

Similis eſt peccator Lyſimacho, qui ſitiens, vt aquæ aliquid haberet, libertate ſe, regno, atque diademate ſpoliauit. Similem dico huic peccatorem, quia vt va-

Peccator cõparatus Lyſimacho.

ris diebus binos agnos immolari: *die autem sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos*; quo moneamur ipsa Dominica nobis frequentius & feruentius
Greg. l. 1. ep. 3. diuinis officijs esse insistendum: qua de re Gregorius: *Dominica die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur.*

Sed ô perditos sæculi mores! vbi religio, vbi pietas perijt, quid enim hodie cum dominicis, quid cũ sanctorum festiuitatibus? quibus flagitiosi desperatorum hominum greges in omnem luxum diffluũt. Non immeritò sanè Ieremias exclamat mersam
Thren. 1. omnibus vitijs ętatem suam deplorans: *viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius.* quidni modo meliori iure loca amica mœroribus quæramus, & peccata nostra plangamus, quæ sacrosanctis præsertim solennitatibus in Deum committimus? Verè sabbatha nostra ille humani generis impostor deridet, cũ cultum diuinum, & sanctiones, cæremoniasque ecclesiasticas conuellamus, & nefandis sceleribus contaminemus. verè inquam sabbatha nostra deridet, cum ea non supremo Deo, sed aut furenti Baccho, aut lasciuæ Veneri, aut idolo simili dedicemus; vnde Pharisæus peruersitatis suæ aperiendę sabbatho occasionem captat. *Et sabbatho manducare panem.*

Exod. 20. Habetur porro sabbathi præceptum Exodi 20. &
& 31. 31. & Ieremiæ 17. itaque illud Iudæi tanta cum reli-
Hiere. 17. gione, tanta cum reuerentia colebant, vt paupercu-
Num. 15. lus quidam, cum eo die pauca ligna collegisset, lapidibus obrutus sit. imò verò potius mortem subijssent, quam sacrum illum diem in minimo violassẽt.
Mach. 2. si quidem scriptum est in libris Machabæorum, nõnullos Hebræos, cum sabbatho ab hostibus oppugnarentur tantam religionem præ se tulisse, vt mortẽ libentes occumberẽt, ne sumptis ad defensionem suam armis sabbathum contaminarẽt. Hoc ipse Deus speciali quodam miraculo confirmasse videtur: Nã

Bapti-

Baptista Fulgosius in rapsodijs historiarum narrat quendam fluuium per mediam Iudæam fluere, qui cum tota hebdomada fluxerit, sabbatho tamē quietum consistere, vnde & sabbathicus nuncupatur. Insigne naturæ documentum, & ante hunc diem inauditum: & veteres Rabbini, Doctoresque Iudæorū scriptis suis quondam reliquerunt malignos spiritus adeo sabbathi cultum abhorruisse, vt eo ipso die ne vnus quidem inter homines reperiri daretur: sed in rabiem versi a possessis recedebant, aeremque vlulatibus suis implentes in deserta, & cauernas mōtium secedebant. ô Metamorphosim deplorandā! nunc festis diebus, dominicis præsertim, patet ianua tartari: nunc orbem vniuersum Gereon ille tergeminus. i. superbia, cupiditas, voluptas circuit, & incautos sensim sine sensu in æternas inferni flammas deducit: nunc Pharisæorum vitam ducimus: nunc Principis huius moribus impiè inhærentes festa impendimus, vt omni vitiorum generi habenas laxemus. *& ipsi obseruabant eum.* *Fluuius sabbathicus tota septimana fluens sabbatho quiescit. Dæmones sabbathū horrebāt.*

Proh Deum! tota vita Redemptoris mei, quid nisi cruenta crux fuit? nam vt inquit S. Bernardus, *Habuit in actis obseruatores, in verbis contradictores, in tormentis illusores.* Vnde in canticis rectè à sponsa vocatur *Fasciculus mirrhæ*, quæ est symbolum doloris. Ratio autem tanti in Christum odij fuit, quod execranda peccata sua reprehendi iniquo animo paterentur: verum cœlestis hic Doctor nouerat, quod apud Isaiam scriptum est: *clama, ne cesses &c.* quod Pseudoprophetæ negligebant timore correpti, ne in popularis auræ indignationem inciderent: & de huiusmodi loquitur idem propheta: *Speculatores eius cæci omnes, canes muti, non valentes latrare.* Verum à similibus procul aberat, qui de seipso dicit: *Annuntiaui iustitiam tuam &c.* quod nunc luce clarius patet *& obseruabant eum.* O proditores non ferendos! Hinc conuiuia, inde insidias parant; hinc mel vna manu, inde fel altera porrigunt: quos non ineptè leoni à Samp- *S. Bern. Cant. 1. Isaiæ 58. Isaiæ 56. Psal. 38. Infamis Pharisæorum proditio.*

Iudic.14. fone in terra Philiſtijm occiſo comparem, cuius os melle plenum erat, viſcera autem corrupta & putrida. ſunt verè noui leones, ſed erymanthidis deteriores. quorum ora melle abundant; ſuauiloquis inquã verbis, quibus Chriſtum Dominum ad conuiuia inuitant: at ſi interiora penetres, videbis corda ſpirantia cædem bonorum, plena inuidia, & iniquitate. Diuinè pſalmiſta: *loquuntur pacem cum proximo ſuo &c.* *Pſal.27.* *Abac.2.* item Abacuc, *Væ qui potũ dat amico ſuo, mittens fel ſuũ, & inebrians vt aſpiciat nuditatem eius.* Neque verò ſimplex imprecatio fuit, ſed vera prophetia, quæ ex tunc Phariſæos noſtros tangebat genimina viperarum, Acherontis pabula, *& ipſi obſeruabant eum.* Ap- *Pſal.36.* poſitè propheta Dauid huiuſmodi deſcribit: *obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus:* ſuper eum quidem, id eſt, contra eum. & infra: *conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.* rurſum *Pſal.55.* alibi: *tota die verba mea execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.* O miſeros inque dies, *Inuidus plus ſibi quam alijs nocet.* miſeros qui inuidia veſtra plus detrimenti vobis, quam alijs paritis! qui enim emungit candelam, equidem lucidiorem reddit; verum digitos nigredine inficit.

Eodem modo conatur Inuidus alterius famam rodere, & luminibus gloriæ eius obſtruere; ſed miſere conſcientiam ſuam inficit; alteri verò merendi materiam ſuppeditat, eiuſque famam, & honorem, poſt deſpumatum inuidi pectoris ſui virus, auget.

Pulchra ſimilitudo Si quiſpiam iter faciens aliquam Crucifixi imaginem, aut luto immerſam, aut loco minus honeſto collocatam conſpiceret, nunquid illam extraheret, ablueret, & honeſtè ſuo loco reponeret? Si autem extenſo digito eam derideret, aut ſuſpenſo naſo, pleniſque buccis & cachinno luderet, nunquid meritò malus catholicus, imò hæreticus, aut potius Mahumetanus & infidelis habendus eſſet? Similiter qui proximum ſuum, qui vera Dei imago eſt, quouis vitio conſpurcatum videt, aut putat, cumque fraternè &

nè & charitatiue non corripit, sed malitiosè vitam eius deridet, vix Christianus credi poterit, sed potius Turca, aut infidelis quispiam: *Et ipsi obseruabant eum.*

O Inuidiam! ô pestem! ô infortunium! Inter labores Herculis, & heroica eius facta, victoria aduersus Hydram potissimum locum tenet; erat autem Hydra serpens multiceps leonæas paludes inhabitans: Hercules verò hominis virtute prædit i typum gerit, sicut Hydra inuidiæ, nam de inuidis legimus. *Venenum aspidum sub labijs eorum;* multiceps est & proximo in boni honoris, fortunæ, & vitæ nocet; in sordidis & palustribus locis habitat; inuidia enim aliorum vitiis & sordibus pascitur; neque aliud aliquod virium hominem probum æquè fatigat, ac hoc monstrum. *Et ipsi obseruabant eum.* Licet autem Herculi plurimas molestias fecerit, aduertendum tamen est ex fæcibus luti enatum, & paludum lacunis generatum hoc monstrum esse; claros fontes & pellucidos aquarum riuos auersabatur, turbidis autem & vliginosis locis gaudebat; Ita inuidia (audacter dico) nunquam generosum pectus inhabitat, aut veram ad virtutem aspirantem inuadit; male feriatum cerebrum, mens humilis, & abiectus animus huic monstro sedem parant. Tinea ac caries, quæ lignum rodit; vestes exedit, à cedro tamen se abstinet, eo quod odorifera, omnique ex parte incorruptibilis arbor sit: inuidia tinea est omnia rodens, omnia inficiens, omnia corrumpens, quæ tamen ab anima virtutibus prædita, ceu ab excelsa cedro excluditur; nam solum, *Paruulum occidit inuidia;* hoc enim vitiũ ex pusillanimitate, & abiecto animo originem ducit; quales erant illi Pharisæorum, qui tanta cum sollicitudine in acta, & dicta Christi inquirebant, *& ipsi obseruabant eum.*

Inuidia Hydra cō- P[illegible]

Viles animi domicilium Inuidiæ.

Iob. 5.

Reprahēsorē oportet esse innocentem.

Infelix inuidia, inuida ac detestanda detractio: mirum est malum, sed adeò modo commune, vt flagi-

flagitijs quibuſcunque coopertiſſimus primus ad alios arguendum proſiliat, cum tamen abſque peccato eſſe oporteret qui alium vitij inſimulat, iuxta illud Saluſtij. *Qui in altum paratus eſt dicere, omni vitio carere debet:* Ideoq; in veteri lege ſtatutum erat, vt emunctoria templi aurea fierēt, vt mouerentur correptores aliorum, oportere ſe animos virtutibus, ac iuſtitia deauratos gerere; maximè autem charitate, quæ inter cæteras virtutes, ſeu aurū inter metalla reliqua præſtat, relucere. Optime priſci illi Patres, inuidos ac maledicos Apocalypticis illis ranis compararunt, de quibus legimus, *Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum.* Neque enim aptius effingi potuit inuidi Hieroglyphicam, quam rana, ob duas quas habet mirandas proprietates: prior eſt, quod cum toto corpore exſanguis ſit, oculos tamen ſanguinolentos habeat; eoſque adeò prominentes, vt extra faciem propendere videantur: poſterior eſt, quod terram & aquas tanquam amphibion inhabitet; & ſic nonnulli arbitrantur ideò Mæcenatem in annulo ſuo ſignum ranæ geſtaſſe, vt ſuæ potentiæ Symbolum eſſet, ſignificās ſibi à Cæſare, tam maris, quam terræ gubernationem creditam: Quarum vtraque tam probè inuidis competit, vt nulla melius; oculi eorum ſanguine & vindicta pleni ſunt; nihil aliud quam aliorum mortem, infortunium, & ruinam ſpirant aut ſperant; & aliorum imperfectionibus, tam perfectè inuigilant, vt oculos extra faciē habere videantur; eaſque deprehenſas terra, mariq; promulgant: meritò itaque inuidi ranæ appellantur, maximè autem, quia ſicut hæ ſordibus delectantur, & noctu cantillant; ita inuidi aliorum peccatis gaudent, & de illis in eorum abſentia murmurant; & cū ipſi præ cæteris ſordeant, aliorum tamen fæces ferre nolunt; hoc ipſo oſtendentes ſe de ore illius draconis infernalis prodijſſe, qui diabolus eſt.

Exod. 25.

Inuidi ſimiles ranis.

Apoc. 16.

Dicit illa amore languens, & encomia ſponſi ſui admi-

admirans in canticis, *Labia tua sicut lilia stillantia myrrham primam*: Myrrha cum natura sua amara sit, à corruptione præseruat, ita etiam verba sponsi; si quando amariora sunt, à peccatorum tamen corruptione nos custodiunt; quodque nos magis recreat est, quod de ore candido, amico, innocente, nullius inuidiæ suspecto procedant. Quid enim absurdius, quam cum totus vitijs obuolutus sis, alium vitiosum proclamare: immeritò talem ad verticem vsque peccatis immersum, alios tamen culpantem; multo cum sale ridet Martialis. *Martial. lib.1.*

Cur maculas alios maculosior omnibus Albi,
Et carpi dignus carpere non metuis

Neque enim conueniens est, vt probum iustumque nequam & sceleratus reprehendat: sed vt inquit Augustinus, *Accusare vitia officium est bonorum,* &: Isidorus: *Non debet aliorum vitia corrigere qui ipse vitijs est subiectus.* Huc pertinet pulchra quædam Bozij consideratio, cur scilicet S. Petro incarcerato catenæ de manibus ceciderint; cum enim ipse aliorum vincula esset solututus, indecens erat eius manus eisdem astringi; Ipsi enim dictum erat: *Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis:* Similiter, qui lingua sua in reprehendendis alijs vtitur, cauere debet, ne & ipse arguendus sit. *Aug. de Ver. Domin. in monte. Isidor. l. de sum. Bono. Bozius de Signis Eccl.*

Sed quid? adeo hoc malum in mundo dominatur, vt in aliorum vitijs instar lincium acutum videamus, in nostris talpis cæciores simus: Alios ruentes videmus, lapsum proprium non agnoscimus; cum infelici illi Oza Arcam lapsum minitantem cernimus, sed nos impuros ab Arcæ contactu arceri non aduertimus. *Matth.16. 2. Reg. 6.*

Mira est quam libri Regum historiam referunt; tres potentes Reges, Iuda, Israel, & Edom coniunctis exercitibus Regem Moab in sua Metropoli, tam arctè obsederunt, ac fortiter oppugnarunt, vt desperatione victus, atrox facinus designarit, nam *Tulit filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, &* *4. Reg. 3.*

obtu-

obtulit eum in holocaustum, super murum. Qui locus Doctores ac scripturæ interpretes plurimum torquet: Quidam enim dicunt Regem Moab Deo hebræorum filium suum immolasse, vt propitium eũ redderet;cum enim videret eos vincere, qui vinci solebant,prudentes ac sapientes regni sui consuluit, qui responderunt gentis illius quendam auum, Abraham nomine,filium suum Deo obtulisse, atque ex eo tempore eius posteritatem Deo placuisse: quod exemplum imitatus Rex, Iudæos adeò pietate & compassione mouit, vt obsidionem sponte soluerent.Caietanus tamen non improbabiliter putat, quod cum Dijs suis propitiandis immolarit:ideoque facta sit,*indignatio magna in Israel;* punitio scilicet diuina, & pestis immissa, quæ obsidionem soluere coëgit: Videns enim Deus hoc Moabitarum scelus, recordatus est alterius Iudæorum, de quo psalmista, *Et sacrificauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs:* Noluit itaq; Deus Idolatras ab idololatris puniri,nec placet ei quod peccatores alios vitij arguãt; multo minus vt sceleribus cooperti innocentes traducant,& sanctam eorum vitam, ac mores carpant: Quod ipsum hodie Pharisæi fecerunt, qui cum vitijs scaterent,& Deo abominabiles essent, in vitam innocentis Christi inquisituri, ad prandium eum inuitant,hydropicum accersunt, ex misericordia insidias ei struunt, vt si ægrum sanasset mox Sabbathi violatorem proclamarent; & hæc altera concionis nostræ pars erat,de qua modo agendum, *Et ecce homo quidam hydropicus &c.* Huius miraculi nouitatem referens B. Lucas dicit Dominum in domo Principis Pharisæorum manducantem, hominẽ Hydropicum sanasse. Fœlix reuera domiciliũ in quod introierit Dominus,fortunatum cõuiuiũ in quo Christi præsentia claruerit.Nusquã intrat quin suæ sẽper diuinitatis vestigia relinquat.In Cana Galileæ aquã conuertit in vinum;Salutem Zacheo, eiusq; domui intulit; ad Mattheũ diuertẽs ex publicano & telonario Apostol. & Euang. effecit:ad castellum Bethaniæ acce-

Psal. 105.

Ioan. 2.

Matt. 9.

Ioan. 8.

accedens quatriduanum Lazarũ suscitauit, & modò hospitatus in domo Principis Pharisæorũ etiã ęgrotanti, atque de vita periclitanti salutem impartitur. Eius præsentia Arca est fœderis, quæ inducta in domum Obededom, eam multiplici benedictionum fructu cumulauit. Eius præsentia figurata fuit per Eliã & Elisæũ qui viduarũ domos introeuntes, omnia abundare fecerunt, immò & mortuos ad vitã reuocarũt. Aristoteles in libris de cælo ait, accessum & recessum solis esse causam generationis & corruptionis; sed potiori ratione dicere possum accessum & recessum Dei esse causam vel salutis vel perditionis. *Luc. 19.* *2. Reg. 6.* *3. Reg. 17.* *4. Reg. 4.*

Et ecce homo hydropicus erat ante illum.

Introeunte domum Principis Pharisæorum hydropico, nouæ pariter mentem meam introeunt cõceptiones. Prima quę me in admirationem rapit occasio est fides ægrotantis, qui nulla Principis habita ratione intrat domum & quærit saluti suæ conuenientem medicũ. Similis effectus Magdalenæ. Et re ctè quidẽ. Nã Deus ibi inquirendus est vbicunq; est, vt psalmista testatur qui ait: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* *Fides hydropici.* *Psal 33.*

Secunda, Pharisæorum est malitia Dominum inuitantium, non vt hilarem beneuoliq; ra beant animum, sed vt eũ circumueniant, & verba factaque eius explorent. De quibus dictum est: *Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christũ eius.* Idem accidit in Ptolemeo qui inuitatum Simonem Sacerdotem cum duobus filijs iugulauit. Vnde de ijs dici potest: *A propheta vsque ad Sacerdotem, omnes faciunt dolum.* *Malitia Pharisæorum.* *Psal. 2.* *1. Mach. 6.*

Tertia admirationis causa est q̃ in principibus Pharisęorũ sũmã impudẽtiã notẽ: perfricta.n. frõte manifeste declarant se Christũ inuitasse non vt charitatis officio ipsum reficerent, sed inter conuescendum verba notarẽt, facta consignarent ex quibus calũniãdi & accusandi occasionem quęrerent. Tanto sanè peiores quãto sollicitius suam hypocrisim amicitiæ pallio

pallio contexerunt; contra quos illud sapientis merito ingemines, *Væ duplici corde.*

Opera misericordiæ quouis die exercēda. Quarta admirationis causa est. Quia Dominus in sabbatho eum sanauerit. Vnde ostenditur nobis in diebus singulis proximis ecce subueniendum, epulatur in sabbatho, curat in sabbatho, docet in sabbatho. Ostendit præterea malum non esse in diebus festis epulari (dummodo honesta sit recreatio) qualis erat Tobiæ, de quo legitur; *Cum esset Domini dies festus, & factum esset prandium in domo Tobiæ, dixit filio suo, vade & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.* Sed prohdolor! non talia sunt hodierna conuiuia, sed è contra, scortis atque meretriculis repleta. Denique hinc docemur nullam ob causam intermittenda esse charitatis opera, neque ob hominum, neque ob alterius cuiuspiam rei respectum. Nam vt scribit Paulus, *si adhuc hominibus placerem seruus Dei non essem* sic si hominibus placere studemus à Dei seruitio longè distamus. Proximo subueniendum est etiam in die Sabbathi, exemplo Christi, nam necessitas non habet legem. *Et ecce homo hydropicus erat ante illum.*

Tob. 2.

Nullam ob causam intermittenda charitatis opera.

Galat. 1.

Denique hoc facto edocemur omnia legis præcepta ad regulas charitatis, & necessitatis casum esse reuocanda; sic enim Moyses ipse circumcisionem in deserto omisit, Dauid panes propositionis comedit, Christus in Sabbatho infirmos sanauit. Ex quibus vlterius hæc scholasticorum axiomata patent, casu necessitatis non fæmina solum, sed etiam infidelis validè baptisma confert; Quadragesimę tempore licitè carnibus vescimur; Infirmis medicinā applicamus; pro defensione Reipublicæ arma sumimus: Necessitas enim leges nullas aut regulas patitur, sed omnimoda libertate & varijs priuilegiis gaudet. Magna erat Sabbathi celebritas, & tamen hac ipsa solemnitate Dei filius Hydropicum sanare non dedignatur, *Et ecce homo hydropicus erat ante illum*

Hydropic. mundanos significat. **Hic hydropicus, mundani hominis præsefert imagi-**

maginem. Nam ſicut hic ex nimio potu morbum ſibi conſciuerat, ſic mundani ex varijs deliciarum atq; vanitatum oblectationibus damnationem cõparant ſempiternam. Mundus etenim ſolet voluptatibus mundanos ineſcare, atq; ijs, eos quaſi hamo decipere, vinum ſemper præbet, at ſub vino latet venenum, teſte Salomone, qui ait: *Ne intuearis vinum cum ſplenduerit in vitro color eius, ſub itò enim mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* adhæc addi poteſt illud Prophetæ regij: *Fel draconum vinum, & venenum aſpidum inſanabile.* Hoc vino ſepultos Africanos, mandragora commixto vna nocte interfecit Hannibal: nam ſubitò refugere ſe ſimulans, eos hoc vino ineſcatos cum omni exercitu trucidauit. Nam de mandragora ſcribit Ariſtoteles, quod profundũ ſomnum cauſet; quibus addit S. Haymo ſuper Cantica: Mandragoras eſſe exigua quædam poma, quorum liquor ſomnum inducit, ille autem qui de corticibus educitur, adeò ſumentis ſenſus ligat vt ictus gladio percuſſionem non ſentiat. Eodem modo diabolus popinam nobis præparat, hoſpitem agit, vina voluptatis larga manu propinat; ſed hydropicos iã & *ſomno vinoque ſepultos* callidus humani generis hoſtis opprimit, & erebo gratas victimas tranſmittit. Vnde claret quantum ſit delitiarum periculum. *Prou. 23.* *Deut 32.* *Sext. Iul. l. 9. c. 5.* *Ariſt. de ſom. & vigil.*

Omnia morborum genera peccatorum effectus ſunt, ideoque vt peccatorum ſitis inextinguibilis oſtendatur, hic hydropicus nobis continuò ſitiens demonſtratur; de quo peccatore Iob loquens aiebat: *Tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contra eum ſitis.* Et reuera benè ſitiens dicitur peccator, qui nihil guſtat, niſi quod ſitim magis prouocet & nutriat; hoc indicat Dominus dicens: *Dereliquerunt me fontẽ aquæ viuæ & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, & ideò ſiti vexantur.* *Iob 18.* *Ierem. 2.*

Similis eſt peccator Lyſimacho, qui ſitiens, vt aquæ aliquid haberet, libertate ſe, regno, atque diademate ſpoliauit. Similem dico huic peccatorem, quia *Peccator cõparatus Lyſimacho.*

vt vanitatis mundanæ refrigerio oblectetur seruituti se subijcit, & etiam regni cælestis gaudijs priuat. I-
Gen. 21. srael peccatoris figuram gerebat, qui in agrum huiusce mundi positus, vanitatis atque delitiarum siti premitur. quibus illud apposite accommodari atque dici potest: *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*
3. Reg. 17. Mundani siti moriuntur, sicut Samaria deficiente aqua pænè deficiebat. Similis est mundus montibus
2. Reg. 1. Gelboë, quibus maledicens Dauid dicebat: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum*, similis inquam est mundus his montibus, in mundo enim tota humani generis nobilitas, Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Apostoli; imò ipse Christus ceciderunt; adeoque multis indignationũ fulminibus digna, rore & pluuia, id est, cœlestibus donis & benedictionibus priuatur. *Et ecce homo quidam hydropicus.* Quod hydropisis in corpore operatur, hoc in anima perficit peccatum. Nam in quantũ humoribus abundat, luxuriam significat; in quantum verò per ipsam venter intumescit, superbiam designat; vt verò sitibunda est, Auaritiam demonstrat. Ideò infernum tria ora habentem dixerunt aliqui, per quæ hæc tria hominum genera introeunt;
Isai. 5. quod etiam indicare voluit Isaias cum dicebat: *propterea dilatauit Infernus animam suam, & os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & populus eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum.* Quam damnosa est hydropisis luxuriæ, quæ tantam animo sitim generat, vt illi illud Christi accõmodari possit, *qui biberit*
Ioan. 4. *ex hac aqua sitiet iterum.* Insatiabilis erat luxuria Samaritanæ, cui Dominus improperans aiebat: *quinque viros habuisti, & quem nunc habes non est tuus vir.* Insatiabilis erat vxor Claudij de qua Iuuenalis:

Quæ lassata viris, nondum satiata recessit.

Tria insatiabilia. Salomon Sapientissimus orbis inter insaturabilia
Prou. 30. quæ refert esse tria numerat os vuluæ, inde significans luxuriam, & inquit: *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit, sufficit: Infernus, & os vuluæ, &*

terra

terra quæ nunquam satiatur aqua; ignis verò nunquam dicit sufficit. Quod autem de luxuria dixit, hoc de ambitiosis pariter dicit inquiens: *Insatiabilis oculus cupidi.* & alibi: *Venter Impiorum insatiabilis*, hoc est, *Ambitiosorum.* Nunquid insatiabilis erat Alexandri ambitio, qui intelligens plures esse mundos, singultiens sibi eos deesse dolebat? Vnde illud in se conuertit

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Auaritia aliud genus hydropisis est, quæ veluti hydropisis paulatim animo innascitur, & totum eũ inficit. Quod optimè ostenderunt antiqui, dum diuitiarum Deum Plutonem pedibus debilibus & claudicantibus depinxerunt. Peccator itaque hydropicus est, mundanæ voluptates, tumorem spiritui nostro adferunt. Verum variæ sunt medicinæ, varia pharmaca, quibus morbi violẽtia expellatur: falsas aquas præbet mundus, at alias, longe dissimiles prębet Deus. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* & iterũ; *Qui biberit ex aqua quã ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ viuæ.* Et alibi: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Iterum. *Effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam.* Denique in Apocalypsi ait. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.*

Ecclef. 14. *Prou. 13.* *Valer. Max. l. 8. cap. 14.* *Plutar. Tom. Opusc.* *Auaritia hydropis.* *Cathar l. de Imag. Deor.* *Ioan. 4.* *Isai. 55.* *Isai. 44.* *Apoc. 21.*

Vos autem ô animæ fideles operam date, vt exẽplo Christi inter impios modestè vos habeatis, vt ad virtutes prouocetis, atque ad pęnitentiæ fructus perducatis. Cauete ne aliorum defectus inuestigetis. Videte vt omni tempore proximis subueniatis: siquidem & in Sabbatho Christus hydropicum curauit.

Hæc ô Domine innoua miracula; plures enim sunt hydropici quã vllo fuerint tempore, alij quidẽ luxuria laborantes, alij in delicijs volutantur, alios Auaritia detinet. Da Domine manum auxiliatricẽ, da humilitatis sectari virtutem, vt ea ornati, gaudijs cœlestibus mereamur perfrui. Amen.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, Matth. 22.

FIGVRA.

Leuit. 6.



INter admiranda atque frequentia antiquæ legis præcepta, illud non infimum erat, quo Dominus ignem lumenque summo altari inextinguibile inesse imperarat. Præceptum quidem erat, at figura indicans velle Dominum, vt altari cordium nostrorum lumen insit charitatis, quod neque vllis tentationum procellis obrui queat. Velle insuper Dei amorem cordibus nostris ita affixum esse, vt nulla rei sæcularis delectatione amoueri possit. Hoc indicat Euangelium, quod expositurus cœlicum offerimus Virgini *Aue Maria.*

1. Cor. 13.

Ecclesiasticorum Doctorum facilè Princeps D. Paulus, virtutum rationes atque efficaciam inquirēs, harum omnium, Charitatem quasi reginam extollit, & prædicat: *maior autem horum est charitas.* quasi diceret: quod inter metalla omnia aurum inter sydera sol, inter gemmas adamas, inter membra caput, hoc inter virtutum agmina est Charitas. Quēadmodum enim in humano corpore, caput cuique membro proprium assignat officium; sic in spirituali exercitio, charitas quodlibet dirigit membrum, nunc hoc huic, nunc aliud alteri imperans faciēdū. Ideò Scholastici Patres omnium rerum consummationem atque spiritualis exercitij scopum charitatē nuncuparunt: quod explicare intendit licet verbis non planè lucidis psaltes regius dicens: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

Charitas finis omnium virtutum. Psal. 118.

La-

Latum vocat mandatum, quia ad charitatem, vniuersum virtutum aliarum agmen tendit. Fides eam demonstrat, ad eam nos inuitat spes, at charitas his duabus concomitata virtutibus perfectioni, atque fini vltimo nos alligat & vincit. Ideoque *vinculum perfectionis* nuncupatur; quia cum morales virtutes, Theologicæ, superent & excellant, illaque maxima inter eas sit, nos arctiori vinculo Deo adstringit, qui finis actionum nostrarum vltimus est. Ad hæc finem legis charitatem esse dicit, idem Apostolus, *Finis* (inquiens) *præcepti est charitas*. In cuius rei testimonium in regio Salomonis solio charitas primas tenebat, eratque in summo honores gradum constituta, sic enim in canticis legimus. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit*. Mirabile solium! ascensus purpureus. Nam in inextinguibilem charitatis ardorem rapimur Passionis Christi contemplatione, qui flamma charitatis feruens etiam sanguinis sui vltimæ guttulæ non pepercit. Qui ignem fouere desiderat non, paleam, non stuppas, aut quid leue admouet, sed ligna, materiamque necessariam tribuit, vt continuari possit ignis, quem conseruare desiderat: Sic anima quæ charitatis incendium fouere peroptat, necesse est vt meditatione quotidiana ignem foueat, meditatione inquam sublimi, quæ frequentissimè, semperque in Dominica Passione reperitur. Verum charitatis proprietates inquiramus. Sæpissimè charitas auro comparatur, specialiter verò in Apocalypsi, vbi Dominus ait: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias*. Aurum illud sine dubio charitas est, quam qui habet, diuitijs abundat, qui autem ea caruerit, inops prorsus & pauper est: sic testatur Apostolus dicens: *Si tantam fidem habuero, vt montes trans-*

Finis legis charitas. 1. Cor. 13.
Cant. 3.
Similitudo.
Charitas auro comparatur. *Apoc. 3.*
1. Cor. 13.

transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Aurum est Charitas, & per hoc in scripturarum locis varijs figurata. Salomon namque domum Domini ædificauit, *& laminis aureis texit eam quasi talentis sexcentis; sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* Claui aurei opera charitatis designant, timoris enim claui ferrei sunt. Vnde psalmista, *Confige timore tuo carnes meas.*

3.Reg.6.

2. Par.3.

Psal.118.

Charitas similis igni. Alias virtus hæc splendida, igni assimilatur, vt Ezechielis 1. *Sume tibi ignem de medio rotarum,* id est, ex scripturarum lectione excita te ad Charitatis acquisitionem (rotæ enim duæ, duo significant testamenta.) Idem dicendum est de illo dicto Moysis, *In dextera eius ignea lex,* hoc est in manu Christi lex charitatis, quæ ignita est, flammas diuini amoris euomens, atque corda fidelium incendens, de qua ait Christus; *Ignem veni mittere in terram.* Hoc etiam charitati cum igne cõmune est, quod sicut ignis in inferioribus quiescere nõ potest, sed semper ad alta tendit; sic charitas terrenis implicari occupationibus non potest, sed Diuinitatis arcana perlustrare semper exoptat.

Deut.33.

Luc.12.

Charitas est pulchra chlamys. Charitas nobilis illa stola est de qua Apostolorum Coriphæus ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Hæc illa vestis est, qua Elias Elisæum olim terram aratro findentem circumtexit, quæque vomerem & aratrum incendit, necnon duos boues quos ibidem occidi curauerat coxit. Quid Eliseus, nisi peccatorem demonstrat? quem cum verus Elias charitatis ardore ignitus Iesus Christus, charitatis chlamyde circumtegit, subitò mouet & ad omnia mundana deserenda prouocat & impellit. Ille autem relictis mundanis occupationibus, totus in mortificationis atque charitatis amplexus ruit, vt non iam homo, sed cœlestium spirituum conciuis videatur esse. Sic expertus testatur Apostolus: *Viuo autem iam non* ego,

1.Pet.4.

3.Reg.19.

ego, viuit verò in me Christus. Galat. 2.

Charitas insuper vestis illa nuptialis est, qua carens sic interrogatur: *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Vnde patet, Deum supra modum huic affici virtuti, atque hanc virtutem diligere supra omnes: Ideo enim noluit tunicam inconsutilem (corpore licet præ plagarum multitudine lacero) corrumpi, ne charitas, quam illa vestis figurabat, discindi aliquatenus posset. Inde innuens se charitatis integritatem pluris æstimasse, quam corporis membra tenerrimi curasse: Ad quem sensum concurrens Augustin. inquit: *Tunicam hominis iudicati, in cruce pendentis, carnifices Pilati non sunt ausi conscindere: & tu vis charitatem Dei, immo charitatem quæ Deus est, scindere?* In discordiarum seminatores agit, qui tunicam Christi dilacerare intuntur.

Charitas est vestis nuptialis. *Matt. 22.* *Ioan. 19.*

In Apocalypsi, vidisse se dicit Euangelista, *Angelum præcinctum ad mamillas zona aurea.* Angelus Dominum repræsentabat; at zonam, variè varij exponunt, alij authoritatem Iesu Christi, de qua dicitur, *Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Alij multitudinem Sanctorum, aiunt repræsentasse: attamen arbitror & ego charitatem inde figuratam fuisse, qua Dominus quasi zona aurea, ad mamillas (quæ misericordiam & iustitiam significant) præcinctus erat; & sic innuitur non rigore, sed amore Ecclesiam regi oportere. Charitas enim plerumque cingulum, siue vinculum appellatur; vt Apostolus ait: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Hanc autem Apostoli sententiam figuræ veteris testamenti præcesserunt. Nam catenæ Rationale pectori coniungentes proculdubio charitatem figurabant; siquidem cæteræ virtutes charitate quasi catenulis connectuntur. *Facies* (inquit Dominus) *in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro*

Apoc. 1. *Rupert. sup. Apoc.* *Psal. 92.* *Aug. & Abulens. apud Vegã sup. Apoc.* *Exod. 28.*

ro purissimo, & duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate. quæ verba exponens venerabilis Beda, inquit: *Catenæ ex auro purissimo, est continuatio castæ, & non fictæ dilectionis, rationali, idest cordi firmiter affixa: duæ autem sunt, quia duplex est amor, Dei videlicet & proximi.* Rectè autem catenæ assimilatur: Nam sicut annulis componitur catenula; sic diuersis operationibus perficitur charitatis integritas; annulos recenset Apostolus inquiēs: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam & cæt.* Denique charitas est prætiosissima animæ Christianæ stola. Finis est præcepti, cæterarumque consummatio virtutum: Insuper Euangelicum præceptum est, quod Dominus noster ore sacrosancto protulit, quodque nobis exequendum Euangelista proponit: *Diliges* (inquiens) *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua. Hoc est maximum & primum mandatum & cæt.* Quæ verba expositurus, in primis agam de Dei perfecta dilectione; deinde, de ea quæ proximo debetur charitate: vos interim me de amore & charitate dicentem pacificè & patienter audite.

Bed. super Exodum.

1. Cor. 13.

Matt. 22.

Itaque Pharisæis interrogantibus & inquirentibus, *Magister quod est mandatum magnum in lege?* Dominus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum, & cætera. Hoc est mandatum primum & maximum.*

Duo genera amoris.

Notandum est duplex esse amoris genus, alterum amicitiæ, quo diligimus aliquem ratione sui ipsius, vt Pater filium diligit: alterum concupiscentiæ, quo propter emolumentum rerum temporalium aliquid amamus, vt domum insignem, successionem fortunatam, & his similia. Et super omnia per hos amores diligendus est Deus.

Deus amandus amore cōcupiscētiæ.

In primis amore concupiscentiæ, quia Deus infinitum bonum est, atque ipsius bonitatis

Abyssus:

Abyssus: se nāq; ostēsurus Moysi dicebat: *Ostendā tibi omne bonum*; & Sapiens de eo loquens ait: *Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari*. In quæ verba prorumpens D. Anselmus, dicit: *Cur ergò per multa vagaris homuncio quærens bona animæ, & corporis? ama vnum bonum, quod est omne bonum, & satis est.* *Exod. 33.* *Prouer. 3.*

Amandus etiam est amore amicitiæ, non ei bona quibus careat imprecando (cum ipse summum sit bonum) sed ipsi de maiestate atque gloria congratulando, eiusque honoris augmentum in terra requirendo. Huiusmodi amore diligebat Deum Dauid qui dicebat: *Quid mihi in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: quasi diceret, Domine mi Deus estne in cœlo quippiam & in terra aliquid quod magis diligam? nō est certè: Tu es scopus meorum affectuum, finis amorum, centrum cogitatuum; Tu es Deus cordis mei tu portio mea & æterna hæreditas. & sic Deum iuxta hoc præceptum diligebat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* *Amandus Deus amore amicitiæ.* *Psal. 68.*

Exodi 30 præceperat Deus sibi incensum fragrantissimum adoleri, quod alicui creaturæ inhibuerat adhiberi, verba textus sunt hæc: *Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quare sanctum est Domino; homo qui fecerit simile, vt odore perfruatur, peribit de populis suis.* Simile est amoris Diuini præceptum, debet siquidem amore nulli alteri comunicabili diligi Deus, qui autem contraierit, legum iusta excedit, mortisque periculo sese obijcit. *Exod. 30.*

Nadab & Abiu Sacerdotis Summi filij morte percussi sunt, quia ignem extraneum, Deoque non sacrum, thuribulis impositum obtulerant; videndum sanè est ne mundanis cordibus, vanitatis atque deliciarum flamma repletis, qui mundanæ concupiscentiæ fumum altissimo offerunt, idem eueniat. Excusationem enim negligentiæ prætexere non poterunt, cum lex apertè dicat. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* *Leuit. 10.*

S. Thom. opusc. de Amore Dei. Super quæ verba disputans Diuus Thomas, inquit: *Proprium Dei est, vt sit centrum totius amoris; est enim ille summum bonum, cui proinde debetur omnis amor.* Quis igitur hanc Theologi sequens opinionem, in illa Apostoli verba non erumpat? *Quis nos separabit à Charitate Dei?* *Rom. 8.* Hic est ille ignis quem Sacerdotes vastante rege Babylonis Hierosolymam, tanta cum vigilantia conseruare studuerunt; adeò vt sacris omnibus ornamentis contemptis, in solius ignis conseruationem intenderent: *Solum ignem sacerdotes occultarunt. 2. Mach. 1.* Hic est etiam Diuini amoris ignis quem fideles summa cum solicitudine & cura custodire debent, vt hæc legis integritas, inuolabilis perseueret: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Amor Dei omnibus præferendus. Amare Deum, ratio est, consentaneumque; at ex toto corde, consequens est. Neque enim diuisum Deo placet cor, qui de Hebræis per Oseam loquens aiebat: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*, & alibi: *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus, est Deus, sequimini eum, si autem Baal sequimini illum.* Claudicat is, qui bipartitum cor Deo & mundo tribuit.

Philip. Diez conc. sup. hanc Dom. Refert Philippus Diez Dæmonis cuiusdam in Angelum lucis transfigurati astutiam, qui religioso cuidam de salute sollicito, quærenti quid gratius Deo offerret, respondit, *Dimidium lunæ, lunam, cum principe Romæ*; Quæ verba cum non caperet eremita atque de salute desperaret, Angelum misit Deus, qui ænigmaticam Dæmonis locutionem explicaret dicens: *Dimidium lunæ* est, C. *Lunam*, est O. *cum principe Romæ* est R. quæ simul coniuncta faciunt Cor. *Hoc petit à nobis totius Conditor orbis.* *Oseæ 10. 3. Reg. 18.* AEnigma hoc, verbis alijs referunt plerique.

Prou. 23.

Tolle caput corui, caput ouis, viscera cerui,
Offer ista Deo inde beatus eris.

hoc est, *Fili præbe mihi cor tuum.*

Rober-

Robertus Holkot amicum absentem salutans scripsit: *Mitto tibi cornua lunæ, rotunditatem solis, & quartam partem rotæ*. quorum ænigmatum explicationem ingenij exercendi gratia omitto. *Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Robertus Holkot in Prouerb. Salom. lect.12.

In rebus alijs, parte sola contentus est Deus; at cor, solus habere vult; Diuitiarum parte contentum esse patet Lucæ 11. Vbi dicit: *quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* & Lucæ 19. Zachæus ventilans charitatem & munificentiam suam ait: *Dimidium bonorum do pauperibus*. Decimas terræ solummodo exigit Deus, fructus omnes, sed cordis integritatem sibi tribui postulat. *Diliges* inquiẽs *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Ex toto corde* id est ex totis viribus, & quantum amor patitur; amor enim quo vehementior est, eo excellentior esse perhibetur. Aristoteles quidem in mediocritate virtutes constituit; at cœlicus doctor, etiam virtutem amoris in excessu existere demonstrauit. Verum quidem est posse quandoque virtutes limites transeuntes offendere, sic *Summum ius summa iniuria*. Prudentia terminos suos egressa in curiositatem prolabitur; fortitudo in temeritatem & præsumptionem degenerat; Temperantia in pusillanimitatem mutatur; Discretio in superstitionem desinit: sed in amoris diuini flamma aliud plane fit, cum non mediocritas Deo placeat, sed incendium quo maius est, eo fit Deo acceptius. Dictum olim fuit Esdræ per Angelum: *Vade pondera mihi pondus ignis*, quod impossibile quasi videtur; at ignis Diuinus atque supernaturalis eius naturæ est, vt cum materialem multis superet interuallis, difficilius & impossibilius multò sit magnitudinem ponderare. Quod si ponderare velit, conferat in rationis bilance, quoslibet huius mundi amores, & ponderosiorem sentiet Diuini amoris chari-

Deus à nobis totum cor petit. Luc. 11.

Luc. 19.

Aristot. in Ethic.

4. Esdr. 4

Modus ponderandi ignem spirituale.

charitatem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Hic Diuinus amor mammis figuratur, quidam enim hæc verba Canticorum, *Quam pulchræ sunt mā- mæ tuæ soror mea, sponsa; pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vestimentorum tuorum super aromata:* verterūt *Quam pulchri sunt amores tui.* & reuera ita est, nam Deus amorem suum vult omnia huiusce mundi oblectamenta superare. *Fortis siquidem est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* i. talis esse debet vis amoris tui ô anima Christiana, vt omnem delectationem superet, & nullum præter mei extraneum amorem admittat. Sit amor tuus fortis, vt mors, mortuuam te mūdanis oblectationibus reddens; sit durus vt infernus qui semel accepta nūquā restituit: Sit denique talis vt securè cum Apostolo dicere possimus: *Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia an fames, an nuditas &c. certus sum quia neque mors, neque vita.* quorum verborum sublimitatem admirans S. Ioannes Chrysostomus exclamat: *ô Paule cæli ciuis, Ecclesiarum columna, Angelus terrestris, homo cælestis!* Hic amoris præceptum ad amussim obseruabat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Horum verborum variæ sunt Patrum expositiones: Nam Gregorius ait, amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, esse diligere Deum super omnia. Hugo Cardinalis per hæc verba modos quo diligendus est Deus significari dicit. *Primò,* quia est Creator, cuique dans *esse;* 2. quia Gubernator, conseruans *esse;* 3. quia reparator, sanctificans *esse;* 4. quia Glorificatur, gloriosum tribuens, *esse;* & hic sensus est horum verborum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* id est, vt ait Gregorius Nissenus, ex omni virtute vegetatiua, cuius sedes præcipua cor est; *ex tota mente,* hoc est, ex omni virtute rationabili & intellectiua, quæ menti inesse solet; *ex tota* verò *anima,* hoc est, ex omni virtute sensitiua, cuius domicilium anima est, ita vt omnia quæ in nobis sunt ad Diuinæ Charitatis amorem referamus.

Cant. 4. *Cant. 8.* *Rom. 3.* *Diuersæ interpretationes huius præcepti.* *Hugo Cardin. sup. Luc. 4*

Aliter

Aliter exponit Alexander Ales. dicens: Ideò debere nos Deum *ex toto corde diligere*, vt Auaritia inde expellatur, siquidem à corde procedit appetitus; *ex tota anima* in qua concupiscentia delectabilium inhæret, vt expellatur concupiscẽtia carnis, dum Deũ super omnes creaturas diligimus; *ex tota* denique *mente*, cui suiipsius eleuatio insidet, vt Superbia, inde exulet, dum Dei amorem, honoris atque dignitatum fastigijs præferimus. Quæ qui facit, verè præceptum adimplet. Rationi autem maximè consentaneum est, vt Deum ex toto corde diligamus: Nam sicut ei qui arborem plantauit, iure fructus debetur arboris; sic Deo, cordis, cui amoris facultatem indidit, fructus iure reddi congruum est. Qui ideò in huius rei figuram in varijs sacræ scripturæ locis dixerat: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Primitiæ frugum primitiæ sunt affectionum, prima cordis desideria quæ sibi offerri postulat Deus.

Alexan. Alens. in 3. d. 27.

Similitudo.

Exod. 23. 25. 34. Leuit. 2. Num. 5. Deut. 26.

Verum amicum omni tempore diligere, ait Sapiens: *Omni tempore* (inquiens) *diligit, qui amicus est*; & reuera, qui Dei amicus esse gestit, omni tempore ex toto corde, ex tota anima atque ex totis viribus diligat necesse est. Hocque varijs de caušis. Prima est. Si tanta est amoris vehementia partis erga totum, vt toto periclitante, pars sese opponat, velitque verberari, ne totum lædatur: quidni Deum cuius membra sumus, quique *totum* est ex toto corde diligamus, atque ad eius defensionem apparemus. Partis autem erga totum amor in naturalibus perspicuè considerari potest: Nam ne in rerum natura vacuũ detur, sicque vniuersi machina corrumpatur, ignis deorsũ, terra sursum tendit; aër vndique dissipatur voli tatq; implendo vniuersa; denique aqua loca occupat & implet, ne partium coadiutricium defectu totum aliquid detrimenti patiatur. Quod cum ita sit, vt propter coniunctionem ita sibi inuicem subueniant partes ratione totius, quidni Deum qui nostrum *totum* est, ex toto corde diligamus? Deinde. Amor affectionum

Prou. 7.

Rationes quæ ad amandum Deum nos inuitant. prima.

2. num nostrarum quasi Deus est, ibique inclinatur homo, vbi amor eum perduxerit; Amor mobile primum est affectionum nostrarum diuersas moles circumuoluens, mouet in gyrum, flectit reflectit, omnes animæ nostræ intentiones, vt benè testatur Aug. inquiens: *Amor meus pondus meum, illo feror quocunque feror.* Hic ergò Amor Deo offerendus est, siquidem Diuinitatem sapit, Deus est, virtutis primordia complectitur.

3. *Mundus cũ sit nihil amari indignus.* Si vniuersa huiusce mundi machina quæ respectu architecti nihilum reputatur, amore digna est, quanto magis Diuitiarum abyssus, Bonorum omnium gazophilacium, Diuinæ essentiæ thesaurus amore dignus erit? Vanitas mundus est, & vt inquit psalmista, *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Non vanitas mundana amplectenda est, sed Deus summè diligendus.

4. *Omnes creaturæ Deum amant eiq; seruiunt.* Insuper ad Diuinum illum amorem nos perducit, rerum omnium creatarum sensibilium atque insensibilium, rationabilium atque irrationabilium in Deum propensus amor. Nam si oculos sursum sustuleris Angelorum choros Diuinas laudes eructantium prospicies; si gradatim descenderis, Solem omnium astrorum pulcherrimum diuini luminis claritatem demonstrare videbis: Si deorsum luminis aciem cõuerteris, infinita animalium genera in Dei laudem exultare videbis; quæ cum omnia perfectè consideraueris, in Dei amorem non inclinata tantũ, sed eidem amori affixa esse videbis. Poteritne igitur homo non alienus à sensu à diuini amoris incendio semoueri?

5. *Cæteræ creaturæ hominem vt subditi principem in amore Dei sequuntur.* Hoc sanè sine vniuersi confusione neutiquam fieri potest. Nam cum homo creatura vniuersalis sit, homine amante, cætera quæ homini subsunt etiam diligunt; eo verò amore priuato, quælibet subiecta etiam suo fine priuantur. Quemadmodum enim Regi, regia tota obedit, sic homini qui totius mundi princeps est, omnia deferunt, & honorem præbent; Ignomi-

Ignominiosum itaque foret, si omnibus in Dei amorem propensis, homo omnium Princeps, ab amore alienaretur, subditorumque affectionem distorqueret. Violentus est amor quicunque (si amor dici debet) qui extra Diuinitatis amorem versatur: Sicuti enim in naturalibus quæ a centro dimouentur violentiam patiuntur, sic amor & affectio, quæ extra Deum est (qui centrum animæ nostræ, & amoris est) violentè afficitur, violentè rapitur, & semper in statu violento permanet. August. violentiam Diuini Amoris considerans aiebat: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te.* Hic, hic amor diuinus est, qui semel cordi innatus, nunquam excidere debet. Sicuti si combustibile daretur infinitum, ignis comburens infinitus esset; sic amoris Diuini flamma interminabilis esse debet; siquidem amoris materia, Bonitas Diuina, maiestas insuperabilis, infinita esse deprehenditur. Hic exclamat D. Aug. *O ignis qui semper ardes & nunquā extingueris! O amor qui semper vris & nūquam tepescis, accende me & accendar, accendar inquā, vt totum diligam te solum; minus enim amat, qui tecū aliquid amat.* Si amor venalis esset, nunquid auctione veniret, & plus promittenti cæderet? imo sanè: & quis largius pretium offert, quam is qui amorem æterna vita ac perpetua gloria remunerat? Si gratis conferatur aut propter amati meritum, quis Deo dignior, quis Deo capacior, qui ipsa bonitas, ipsusque amor?

6. *Deus a moris nostri centrum.*

Aug. in confess.

7. *Aug. in Soliloq. cap. 28.*

8. *Deus amorem infinite remunerat.*

9. Denique, cum virtutes morales humanos docilesq; reddant, hæc vna sola charitas, hoc vnū diuini amoris incendiū nos Deos facit, teste D. Ioanne, qui ait: *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in illo.* Paulus etiam idem testatur inquiens; *Qui adhæret Deo* (per amorem scilicet) *vnus spiritus est* (scilicet cum eo) Augustinus idem insinuat dicēs: *Si terram diligis terra es, si cœlum diligis cœlum es, nonne dixi, Si Deum diligis, Deus es?* Ad hæc anima nostra ad instar speculi est, quam si cœlo opposueris astra splen-

1. Ioan. 4.
1. Cor. 6.

splendentia virtutum referet; si terræ opposueris spinas & tribulos repræsentabit. Deum igitur diligamus, siquidem amor eius Deos non efficit; Deum inquam diligamus præceptum exequentes, quo imperat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Quis igitur adeò suæ salutis immemor factus, amoris defectu damnationis æternæ pænam incurrere velit? Quis Deum, Creatorem, Dominum omni studio diligere subterfugiat? Verum quoniam incertus plerumque est amor mortalium, scire peroptas vtrum Deum verè diligas? Si cupiditates, passionesq; in anima dissipentur, tunc Deum perfectè diligis.

Exod.19. Quod aptissimè figuratum fuit Exod. 19. Postquam enim Dominus descendit super montem Synai, mons fumigabat, quoniam Dominus in igne ad illū descenderat. Ignis Charitas est fumus autem terrenarum cupiditas est voluptatum, contra quam militat Charitas, oppositam sibi prorsus debellans qualitatē.

Similitudo. Et quemadmodum ex violenta arteriæ percussione vis morbi colligitur; sic ex feruenti orationum atque deuotionis flamma, amoris erga Deum incendium facile demonstratur. Ostenditur insuper si Deus super omnia diligitur, proximus verò vt ipsemet. Secundum namque est legis præceptum: *Secundum autem huic simile est: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Duo magni amores præcepti hominibus sunt. In mundi creatione atque tanti operis fabricatione, *Fecit Deus duo luminaria magna maius, & luminare minus*: In hominis autem constitutione duos mortalium pectoribus inserit amores, alterū Dei, qui summus est, alterum proximi, qui longe inferior deprehenditur. Quorum alterum, qui tollere voluerit spiritalis exercitij machinam destruat necesse est; ita enim inter se cohærent, vt alter sine alterius detrimēto tolli nequeat; sicut in naturalibus alterum polorum, qui tollere voluerit, orbis machinam destruat necesse est. *Ex his namque duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Alatus figuratur Diuinus amor per Ezechie-

Duo amores similes duobus polis.

Ezechielis animalia, quæ alas habuiſſe dicuntur ad volandum; pedes verò ad ambulandum. Nos qui animalia rationabilia ſumus, & pedes, & alas habeamus; alas, vt in diuinum feramur amorem; pedes autem vt proximum ſicut noſipſos diligamus. Alis duabus in ſublime feruntur aues, quibus plerumque animas noſtras aſſimilat ſcriptura; ſicut igitur altera earum carens alis volitare nequit; ſic nec anima, quę altero amore priuatur in Dei viſionem ferri poteſt; at vbi bino fuerit amore ſociata in beatitudinis penetralia nullo labore erumpet, *Aſſument pennas, ſicut aquilæ, & volabunt.* Ideo etiam Sapiẽtiæ *Domeſtici veſtiti ſunt duplicibus,* vt animas æternæ Sapientiæ, filias gemino amore inueſtiendas demonſtret.

Iterum duabus animum alis.

Iſai. 40.

Prou. 31.

Hic geminatus amor Chriſtiani cordis deſideriũ eſſe debet, hoc ſuſpirium, hæc peroptatio; exclamare inquam debet cum Eliſæo, *Fiat in me duplex ſpiritus tuus*; fiat inquam in me duplex amor tuus. Geminatus hic amor duo minuta ſunt quibus mulier Euangelica Deo grata facta eſt, quibus inquam anima noſtra accepta Deo redditur. Hic geminatus amor vinum & oleum eſt quo Samaritanus ſaucium vulneratumque in via refocillauit: Vinũ quidem, Diuinus amor; at Oleum miſericordia erga proximum eſt, quos amores vetus Chriſtianus continuo portare debet.

4. Reg. 2.

Luc. 21.

Luc. 10.

Binos miſit Dominus in prædicationem Euangelij diſcipulos; vt duo charitatis præcepta diuulganda demonſtraret, vt optimè cenſet Sanctus Gregorius inquiens, *Ecce enim binos in prædicationem diſcipulos mittit; quia duo præcepta charitatis; Dei videlicet amor, & proximi.* Primum igitur charitatis præceptum amor Dei eſt ſuper omnia; *Secundum verò huic ſimile, Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.*

S. Greg. hom. 17. in Euang.

Ad hunc amorem ab incunabulis nos inclinat Natura, ferimur vel inuiti ad hanc proximorum dilectionem: Adeò vt Nero in principio ſui Domnij (licet

Natura nos ad amorem proximi obligauit.

(licet postmodum sanguinis sitibundus fuerit) post oblatam sibi reorum sententiam, quam approbare debebat, exclamasse feratur, *vellem nescire litteras*, dolebat ipse non modo proximis sed etiam inimicis mortem sua approbatione certissimam inferre. Cũ Cęsar Augustus (referente Baptista Fulgosio) in ædibus Pollionis cænam sumeret, forte fortuito famulus chrystallum quoddam conquassauit. Vnde adeò excanduit ira Domini in famulum, vt eum piscibus deuorandum obijci adiudicarit, Verum cum fauens fortuna miserum è manibus tenentium, atque ad supplicium ducentium eripuisset, is prouolutus ad pedes imperatoris aliud supplicij genus expostulabat; At Imperator re, causaque cognita mancipiũ libertate donauit, vasaque omnia Pollionis confringi imperauit, pluris faciens hominis licet serui vitam, quam vasorum omnium atque deliciarum amplitudinem.

Dictum Neronis probum. *Baptist. Fulg. l. 5. c. 5.*

Alexander Macedo rogatus à Matre, vt quendã militem à quo aliquid fortè detrimenti acceperat, è medio tolleret, respondit: *Aliam mater à me mercedẽ postula, hominis vita nullo beneficio compensatur*. Idem pænè Marcus Antonius patrauit. Nam cum coniurationem quorundam resciuisset, alijs vt è medio tolleret suadentibus; solus proximi vitæ commiserans in hæc verba erupit: *Vtinam possem multos etiam ab inferis suscitare*. Non absimile est quod strenuus ille Dux Scipio Africanus dicere solebat: *Malle se vnum Ciuem seruare, quam mille hostes perdere*. Diliges ergò *proximum tuum, sicut teipsum*.

Plut. in apoph. græc. *Senec. lib. 2. c. 1. declam.* *Plut. in Scipion.*

Proximum inquit, non animalia, aut diuitias, nõ res terrenas atque perituras. Augustus Cæsar Legatos tenentes in brachijs canes interrogauit num in eorum patria pueri nascerentur, impium iudicans liberorum amorem ita alienari, eumque qui solis rationalibus creaturis debetur amorem ita, ab eis fieri alienum.

Plut. tom. 1. Vit. in Pericle.

Exod. 26. D. Gregorius exponens hæc verba Exodi 26. *Taberna-*

bernaculum verò facies, decem cortinas de bysso retorta & hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies, inquit: Vos estis fratres cortinæ tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis; sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse, coccus quippe ignis speciem habet; quid verò est Charitas, nisi ignis? sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur & per amorem Dei, & per amorem proximi. S. Greg. hom. 38. in Euang.

Non autem in prosperis diligendus est solummodo, sed & in aduersis: Non ad instar cognatorum Tobiæ, de quibus scriptura ait: *Venerunt consobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, & congratulabantur ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus, & per 7. dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt*; Non ait scriptura venerunt tempore cæcitatis, aut tempore afflictionis, sed lumine recepto, omnibusque facultatibus restitutis. *Amandus est proximus in prosperis & aduersis.* Tob. 11.

Hoc præceptum Amoris, neque Protoplastus Adam adimpleuit, qui repræhensus à Domino de esu ligni vetiti, culpam in vxorem reijciens inquiebat: *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi.* Vbi D. Bern. infidelitatē dānat primi parentis, qui cum ob amorem mulieris de fructu comedisset, tamen pœnam mulieri debitam tolerare noluit: Iustorum verò amor huic amori contrariatur, nā licet ob amorē intimorum mala perpetrare nolint; attamen propter amorem intimorum tormenta tolerare non subterfugiunt. Genes. 3.

Aristoteles referente Diogene Laertio, aliquādo rogatus quidnam vera amicitia esset? respondit, vna anima in duobus corporibus: quod in Ethicis confirmat dicens, *Amicus est alter ego.* Sicut enim vna anima duorum corporum informatrix vnum sensū, eundē motum, eandem vegetationem, ac vitā corporibus suis communicaret; ita etiam vera amicitia eandem proximi, quam sui curam gerit: Et si amicus meus sit alter ego, idem amor quo me amo vt proximo afficiar stimulat: Et sic præceptum *Dictum Aristot.* *Arist. l. 8. Ethic.*

tam securamque cæteris sibi inuicem inhærentibus. Feralis quidem amor est, at humanos humanum docet amorem, humanum siquidem est infirmo subuenire, proximumque in necessitate positum subleuare. Ideo ait scriptura: *Alter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi.* Eusebius verò Emissenus inquit: *alter alterius commodis studeamus, & inuicem labores & opera nostra portemus.* Eadem ceruorum similitudine vtitur Aug. inquiens: *De ceruis nonnulli scripserunt cum fretum ad insulam transfretant pascuorum gratia sic se ordinant, vt onera capitum suorum quæ gestant, in cornibus super se inuicē portent, ita vt posterior super anteriorem ceruicem collocet.* Animalibus igitur sibi subuenientibus nunquid homo proximo non subueniet? Præceptum etenim est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Monet & ad hanc charitatem inducit nos Apostolus dicens: *Charitatem fraternitatis inuicē diligentes* eam etiam commendans inquit: *Nunc autē manent spes, fides, charitas, tria hæc; maior autem horum est charitas.* Quod probo, Anima tres habet potētias, quarum quamlibet virtute sua, donauit Deus; fidem intellectui; Spem memoriæ; charitatem tribuit voluntati; sicuti igitur voluntas inter potentias animæ primas tenet, sic inter virtutes charitas; *qualia enim sunt subiecta talia sunt prædicata.*

Galat. 6. Eufeb. Emiss. Hō. quadam. S. Aug. l. 83. q. 28. Rom. 8. 1. Cor. 13. Arist. l. 3. de Anim. Arist. 2. Phys. 3. de Anim. 3. Top. & 1. Ethic.

Secundò. *Nobilior est finis omnibus quæ sunt ad finem.* Sed charitas est finis cæterarum virtutum, ergò nobilior. Tertiò, Inter virtutes cardinales, quæ propius Deo accedit, illa nobilior est; Sed charitas illa est quę Deo maximè appropinquat, quippe cum de ea dicatur *Deus charitas est*; ergò nobilissima. 4. Inter virtutes ea est nobilissima, quæ dat esse aliis; sed iuxta Theologos in 3 talis est charitas quippe quæ dat esse alijs virtutibus ergò nobilissima est. Est enim charitas quasi forma aliarum virtutum *forma autem dat esse rei,* & vt definitur, *forma est quid Diuinum, & appetibile à natura.* Tanta igitur est huius charitatis excellentia, vt qui ea caruerit inops sit; qui verò eam habuerit,

1. Tim. 1. Rom. 13. D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 7. & alij 3. Sēt. dist. 23. Ioan. 4. 7. Phys. 1. de Anim. & 7. Metaph.

Aug. de verbis Dom. bucrit, omnibus perfruatur, sic Aug. testatur: *Attende* (inquiens) *quanta est Charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera; si adsit, habentur omnia*. Charitate namque deficiente, deficit gratia, recedente gratia recedunt merita, meritis abscedêribus abscedit & compensatio, sicque priuatur beatitudine qui vacat charitate, nam vt docet Philosophus, & refertur à D. Thom. in causis essentialiter subordinatis sublata prima auferuntur cæteræ, & ea perseuerante reliquæ facilè subsistunt, verbi gratia in arbore prima causa est radix, post truncus, inde rami, exin folia, hinc flores, denique fructus: Radix in truncum influit, ille in ramos, hi in folia & flores, ex quibus denique fructus nascitur; qui totus ordo essentialiter sibi subordinatus est cum à se mutuo dependeant, ita vt arescente causa prima scilicet radice, necesse sit totam arborẽ emori; hac autem viuente facilè sit toti arbori vitam conseruare.

Scholast. 3. Sent. dist. 23. *Aug. l. 18. de Trinit.* Huic itaque virtuti studeamus quæ nihil est aliud, quam dilectio qua Deus diligitur propter se, proximus autem propter Deum. Hoc cœleste donum inquiramus, inquisitum amplectamur, est enim *charitas donum Dei, quo nullum est excellentius. Sicut enim aurum superat metalla, & oleum supereminet omnibus liquoribus; sic Charitas superat omnia bona mundi*. Hæc Bernardus.

Bern. ser. de Charit.

Aug. de verbis Dom. Hanc virtutem inquiramus; quæ non homines, sed Deos efficiat; nam iuxta Aug. *Quicunque secundum regulam veræ charitatis viuit, non homo, vel Angelus; sed Deus censendus est.*

Da Deus æterne, vt te ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus diligamus. Iustũ enim est, vt qui animam creasti, qui cor nobis tribuisti, qui mentis nos fecisti compotes, qui vires corpori concessisti, horum omnium affectionibus potiaris; iustum etiam est, vt proximum propter te diligamus, propter te, quia præcipis, quia imperas, quia in his duobus præceptis tota lex pendet, tota nostra

Beatitudo dependet, tota fœlicitas æternæ promissionis. Ad quam nos perducat, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Ascendens Iesus in Naviculam, transfretauit & venit in ciuitatem suam: & ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Matth. 9.

FIGVRA.



Foederis arca olim rediēs de Cariathiarim illata in domum Obededom Gethæi, eā sexcētis cumulauit beneficijs; at veritatis hodiernæ figura erat. Nā ecce Christus vera fœderis arca hodie Capharnaum introiēs innumera hominum multitudine stipatus, Ciuitatem hanc innumeris afficit beneficijs, verbū sacrum proponit, vias cęli pandit, infirmos curat, paralyticū iacētē, morbidūq; integræ restituit sospitati. Hæc hodiernæ collationis materia est, quā Diuæ Virginis præcibus suffultus explanabo, cui supplices offeremus. *Aue Maria.* 2. Reg. 6.

D. Ioannes Chrysostomus fidei Christianæ præstantiam considerans inquit: *Fides religionis Catholicæ, culmen est animæ, ostium vitæ æternæ, & totius veritatis stabile fundamentum.* Cuius etiam fidei sese præbens paranymphum Augustinus inquit: *Fides est omnium bonorum fundamentum humanæ salutis initiū.* Quod inter metalla aurum, quod inter astra Sol, quod inter elementa ignis, hoc ipsum inter virtutū agmina est fides. Hæc est thesaurus ille absconditus in agro quem qui inuenit homo vadit & vendit omnia sua & emit eum. Hæc est fax illa supernaturalis Ioan. Chrys. sup. Matth. Aug. l. de fide ad Petrum.

 quæ

Fides cõparatur candelabro aureo. quæ semel in cordibus nostris accensa nunquam extinguitur, sed tam clare lucet vt per eam etiam inuisibilia conspiciantur. Hæc est fides, quæ candelabro assimilatur, de quo scriptura ait: *Et ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & altera à sinistris.* *Exod.23. Zach.4.* Fidei siquidem tãquam candelabro insident Sacramenta 7. eamque circundant ad instar oliuarum Spes & charitas. Hæc insuper fides Scientiarum regina est, cæterasque quę viribus naturalibus consequuntur superat, & excellit, de qua dicitur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu verò supergressa es vniuersas.* *Prou. vlt.* Scientiæ diuitijs comparantur, Omnes enim sunt quasi diuitiæ quædam, scientia verò fidei, omnes diuitias scientiarum supergreditur. *Luc.21.* *Fides omnes scientias superat.* Hæc fides, denarius est mulieris Euangelicæ, quæ cum animo oblata Deo, acceptum reddit offerentem, meritisque superat omnium scientias Oratorum. Adeò vt eam Theologi affirment, cæteras omnes scientias nobilitate superare. *Scholast. sup. sentent.* Quantò enim nobilius est fundamentum, tantò splendidius atque excellentius redditur ædificium; quanto nobilius subiectum, tanto excellentior est scientia eidem innixa subiecto: *Arist.8. Top. & l 1 de Anim.* atqui dum Deo omnium rerum nobilissimo fides innitatur, eumque non solum vt obiectum, sed etiam vt subiectum habeat, excellentissima sit inter scientias oportet. Ideo enim Aug. censet fidem esse virtutem certam à Diuinitatis conclaui procedentem. *D. Thom. 2. 2. q. 4. a.8.* Certitudinem verò huius virtutis probat D. Thomas 2.2.q 4.a.8. & hanc huius certitudinis assigno rationē. *Sap.3.* Ea certior est Scientia quæ lumine supernaturali comparatur, sed fides à Diuinitatis arcanis procedit, lumineque supernaturali infunditur, ergò certior est cæteris, quæ studio continuo assiduisque laboribus acquiruntur. *Arist.7. Metaph.3. de Anim. 1.Phys & l. de sensu & sensat. & lib.de causis.* 2. Quantò nobilior causa, eò præstantior effectus; sed in naturalibus *Scientia à notioribus procedit;* Fides autem à Deo qui rerum nobilium nobilissimus est, ergò

gò fides certior & præstantior est.

Tertiò. Quod Spiritu Sancto testante cognoscitur id certius est eò quod à creaturis refertur, sed quod per fidem scitur, hoc testimonio Spiritus Sancti cognoscitur ergò, &c. *Ipse.n. Spiritus Sanctus*(vt inquit Apostolus)*testimonium reddit Spiritui nostro.* & alibi: *Cum accepistis à nobis verbum, non accepistis illud vt verbum hominum, sed sicut verbum Dei.* Licet igitur ea quæ nobis per fidem proponuntur naturalibus non firmentur argumentis; certiora attamen sunt quia à certiore demonstrata præceptore, *Spiritus Sanctus est, qui docebit vos omnia.* Vnde liberrime infero, eum qui fidei lumine illustratus est, licet idiota sit ante Deum Philosophis hoc diuino lumine priuatis, præferendum; *qui enim Christum benè scit, satis est si cætera nescit.* Huc concurrens D. Bonauentura inquit: *Melius est, vel modicum quid de Deo sentire, quam omnium cælestium simul & terrestrium notitiam habere.* Ideo exclamat Augustinus: *Nulla maior virtus fide, nulla maior scientia, nulli maiores Thesauri, nulla maior excellentia & dignitas in præsenti vita inueniri potest.* Mellifluus deuotusque Bernardus non absimilia in Daniele scribens decantat: *Fides*(inquiens)*attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, transgrediturque rationis humanæ fines, ac naturæ vsum, & terminos experientiæ.* Et alibi: *Nulla maior nobilitas est in mundo quam nobilitas fidei Christianæ, quæ animam sic nobilem facit & sublimat, vt etiam digna sit sedere à dextris virtutis Dei.* Non solum autem magna est fides in nobilitate, sed etiam in potentia virtutes omnes naturales superat, & excedit. Virtute namque naturali fieri non potest, vt homo super aquas gradiatur, & ecce quod naturalibus fieri nequit viribus, hoc fidei virtute efficit Petrus. Ferrũ aquis naturaliter innatat, & tamen fides Helisei id fecit. Deinde virtute naturali non potest Sol in medio cursu retineri sine violenti inferiorum corruptione, siquidẽ dixit Philosophus. *Motus Solis est causa generationis & corru-*

Rom. 8.
1. Thess. 2.
S. Bon. in 3. d. 23. a. 1. q. 4.
S. Aug. in l. de verbis Dei.
Bernard.
In sententijs.
Fidei maior quam naturæ efficacia est.
Matt. 14.
4. Reg. 6.

corruptionis omnium rerum, verùm quod naturali virtuti non conceditur, hoc duci exercitus virtute fidei commodatur, dicebat siquidem confidēs: *Sol contra Gabaonitas ne mouearis*. Impossibile est insuper, vt ignis non comburat, *Agens enim naturale semper agit necessario*, attamen virtute fidei mediante, non solum non combussit pueros in fornace Babylonica, sed nec attigit. Physicis impossibile est montium moles maximas transferre, quod tamen fidei concessum est per Christum, qui dixit: *Quod si habueritis fidem dicetis monti, quod proijciat se in mare, & obediet vobis*. Denique impossibile est humanæ virtuti Diabolos expellere, vt testatur Iob dicens: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei qui factus est, vt nullum timeret*. Veruntamen fides eos fugat, & quod naturalibus non conceditur medicinis, hoc fidei tribuitur, nam per fidem *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mũdantur &c.* Insuper in præsenti Euangelio, morbidus paralyticus mediante fide pristinæ restituitur sospitati. *Videns autem Iesus fidem illorum dixit Paralytico; Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Agam igitur de offerentibus, & de miraculosa morbidi curatione.

Iosue 10. *Arist. 7. Phys.* *Dan. 3.* *Matth. 21.* *Iob. 4.* *Marc. vlt.* *Matth. 11.*

Narrat itaque Euangelista Matthæus Dominum nostrum postquam transfretasset mare Galileæ sedata illa tempestate quæ discipulis suis tantum terrorem incusserat, & in Capharnaum appulisset domum intrasse, vbi ei Paraliticus quidam præsentatus est: Cum tamen ob turbarum Christum sequentium multitudinem atria, aulæ & portæ ipsius domus refertę essent, portitores eius fide feruidi arreptis scalis domum conscendunt, & facto foramine paraliticum lecto iacentem ante pedes & oculos magni illius medici & magistri demiserunt.

In ipso autem vestibulo aduertendum hæc omnia in Capharnaum ciuitate maritima, & in tribu Zabulō, ac Nephtalim Galileæ metropoli contigisse quæ ciuitas Domini appellatur, aut quia erat præcipua illius patriæ, aut quia Christus vt plurimum ibi

ibi nutritus & educatus erat, vt dicunt Lyran.& Chrysostomus: aut forte melius, quia vt inquit Matthæus, Relicta ciuitate Nazareth venit & habitauit in ciuitate Capharnaum. Sanctus Augustinus, Beda, Strabus, Hugo & Lyranus putant hanc vrbem dici Christi patriam quia erat Galileæ metropolis ex qua Nazareth dependebat, eodem modo quo aliqui Romani dicuntur, non quod Roma originem trahant, sed quia in locis Romano imperio subiectis orti sunt aut habitant. Sanctus Chrysostomus, Theophilactus & Euthymius huius appellationis causam reddunt, quod Christus ibi ordinariè habitauit: Hinc Chrysostomus: *Propriam* (inquit) *hic ciuitatem eius Capharnaum appellauit, Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum proprium eius erat habitaculum.* Quā opinionē verisimillimā esse arbitror. Attamē hic æternæ bonitatis claret Prudētia, qui suis prius subuenit, deinde alienis: Licet .n. Charitas Christiana vniuerso orbi exhibēda sit, nihilominus tamē magis subuenire debet proximis & amicis, quā à cognitione & notitia alienis. Ad hoc alludēs spōsa in Cant. inquit: *Introduxit me Rex in cellā vinariā, ordinauit in me charitatē.* Hoc etiā ordo naturę atq; amicitię iure postulāt vt amicis primò subueniatur, extraneis autē postremò succurratur. Sicut enim agentia naturalia fortius agunt in sibi approximata, vt ignis in materiam proximā; sic Christiana Charitas in proximos & amicos prius, posterius autem in remotos, & ignotos agere debet. In hac Charitatis schola instructus Apostolus, licet damnum infideliū maxime doleret, speciali tamen mœrore cōficiebatur super ruinam Israelitarum, quibus cognationis vinculo alligatus erat, dicebatque: *veritatem dico in Christo Iesu, nō mentior; quoniā tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundū carnē, qui sūt Israelitæ.* Hic proximorū primò curā gerebat, deinde infideliū & alienorū. Edoct' vt reor à Sole,

Chrys. ho. 10 in ca. 9. Matt.

Charitas primo suis benefacit.

Cant. 2.

Agens naturale prius agit in proximum.

Rom. 9.

Sol proxima primo illuminat. Sole, qui planetas, atque cœlestia corpora ante illuminat, quam inferioribus lumen accommodet. Sic enim charitas dirigi debet. Vnde Iudæi Zelotypi Dominum reprehendentes quandoque dicebant: *Luc. 4.* *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic similiter in patria tua.* quasi dicerent; vt quid te munificum præbes extraneis, Iudæos autem miraculis tuis non *Dan. 4.* honestas? inde ostendentes beneficia parentibus & *Qui suis non benefaciunt vitam nō merentur.* amicis primò deferenda. Secus facientes, ad instar arboris Nabuchodonozoris quæ fructum non hominibus sed bestijs deferebat, exscindi debent; & in frusta concisi igni tradendi. Ideò Dominus mulieris sanitatem filiæ vexatæ à Dæmonio exposcentis, *Matt. 15.* importunitatem repræhendens, dicebat: *Non est bonū sumere panem filiorum, & dare canibus,* quasi dicat: *Nostri extraneis preferēdi.* Indecens est, vt ego Iudæorum pater & pastor fidelissimus, panem miraculorum ab eis subtractum, vobis Cananæis ad instar brutorum animalium viuentibus conferam. Filiorum panem canibus mittunt, qui extraneis succurrunt, proximis & amicis posthabitis.

3. Reg. 17. Vidua Sareptana instantibus, lugubribusque exorata Prophetæ Eliæ vocibus (*Clamauit post tergum eius dicens, affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua,*) aptissimè respondit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Quæ quidem responsio charitatem à propinquis inchoandam aptissime demonstrat.

4. Reg. 4. Mulier vidua Prophetæ impletis domus suæ vasibus quanto tempore propinquorum atque vicino- *Charitas proximis primo impendenda.* rum vasa impleuit, tanto tempore oleum non defuit, At vbi cessat ea quæ vacua erant replere, oleū pariter desinit crescere. Oleum charitatem figurat, quam cum proximis exhibemus, crescit & augetur, dum proximorum necessitatibus non applicatur, deficit

deficit similiter in animabus nostris. Quanto tempore Abraham liberis caruit in vanum frustraque se pro alienigenis laborare deflens, calamitatis suæ dolorem lugubri quærimonia Domino præsentabat dicens: *Ego vadam absque liberis & filius procuratoris domus meæ iste Damascus, Eliezer: Addiditq; Abram, mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus, heres meus erit*. Quæ verba, curam quā de proximis habere debemus insinuant. Ideò etiam Dominus introiens ciuitatem suam Capharnaum inquam languentem oblatumque paralyticum sanitati restituit: *Et ecce offerebant ei paralyticum &c.* Gen. 15.

Tria hic sunt aduertenda. Primum est, nulli labili rei, nullis temporalibus commodis parcendum dum de sanitate, dum de vita quis periclitatur, si quidem hi offerentes Domino paralyticum & præ turba accedere non valentes, confractis tegulis, rebusque nō suis corruptis eum demiserūt ante pedes saluatoris. Nulli autem rei parcendum, vt sanitas recuperari queat, ostendit Naaman de quo scriptura ait; *Qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum*, neque enim diuitijs pepercit, neque eum aula cohibuit, ne sanitatem recuperaturus inde proficisceretur. Quæ quidem sanitas fœlicitas omnis à quibusdam existimata est. Quam Pyrrhus sibi à Dijs in sacrificijs suis concedi postulabat, vt referunt Lucianus, & Cælius Rhodiginus. *Pulchræ considerationes.* 4. Reg. 5.

Secundum. Hodie in hoc mundo præter paralyticos Deo nihil offerri; si enim mutilus est, si gibbosus, si claudus, si turpis denique puer, hunc parentes Religioni consecrabunt, hunc Deo vouebunt. O impietatem! ô execrandum facinus! Mundus, mundani inquam, huiusmodi oblatores, prophano Cain simillimi sunt, qui pessima quæque, qui fructus deterrimos in sacrificijs, Deo holocausta præsentabat. *Mundus Deo nullos offert nisi paralit.* Gen. 4.

Rex Sodomorum, debellato Chodorlahomor Re- Gen. 14.
ge Ela-

ge Elamitarum cum de diuidendis spolijs differeret cum Abrahamo, astutus astute perijt: *Da mihi animas cætera tolle tibi.* Animas petit, strenuissimos expetēs sibi victoriæ præmium viros tribui, Asinos autem atque animalia bruta assignat Patriarchæ. Non absimile est quod mundus hodie facit; Animas, corpora inquam suorum præstantissimorum reseruat filiorum, at eos qui plerumque mentis impotes sunt, Dei tribuit obsequio.

Exod. 19. Inhibuerat Deus mortis interminans sententiam ne bestię monti appropinquarēt, inquiens: *Bestia quæ tetigerit montem morte moriatur.* Religio Sacra mons est cui qui filios bestijs non longe absimiles approximauerit, indignationem Dei procul dubio promerebitur. Miphiboseth filius Ionathæ recepti honoris pudibundus (quem sibi Dauid Rex præstiterat dicēs: *Ne timeas quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul Patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper*) excusationem quasi prætexens atque indignum tantis reputans honoribus eum qui corpore mutilus erat, dicebat: *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?*

2. Reg. 9.

Documentum profectò salubre, vt ij qui ad dignitatum Ecclesiasticarum fastigia promouentur, si manci fuerint, si intellectus acumine caruerint, viriū imbecillitatem naturæque defectum allegent. Verùm, hos hos infauste mundus religioni tradit, optima mundanis consecrans voluptatibus.

Mundus pijs conatibus contrariatur. Terriū. Mūdanā esse turbā, quæ ingressū ad Dominū obstruit, quæ inquā impedit ne lāguidus accedere valeat; *& non inuenientes qua parte illū inferrent præ turba.* Mundus sine dubio est qui sanctas inficit operationes, qui bona impedit opera, qui sancta destruit desideria. Qui n. sancte viuere peroptat mūdi vanitates, mūdana fugiat cōsortia necesse est. Quod cōsiderās Dauid aiebat: *Quis dabit mihi pennas sicut colūbæ & volabo & requiescā.* Ah quot hodie peccatores, quot

Psal. 54.

peccatores

peccatorū paralysi infectos, quot voluptatū mūdanarū lepra infectos sanitatē inquirere vetat mūdus! Legimus Samaritas Assyriorū spolijs onustos & ditatos tanto impetu ac multitudine in vrbē reuersos vt ducem impediendæ turbæ gratia à Rege in porta constitutū oppresserint. Proch dolor! quanti iā duces siue pro Ecclesiastico siue pro seculari tribunali confidentes ab insano mundo, & stulta plebe opprimuntur, aut in partes eoru pertrahuntur: Exeat mundu qui pie ac probe vitam suam instituere auet. Mundus turbator est qui bona consilia dissipat, & suis negotijs mente inuoluit, cum ad pietatem anhelamus & arduj aliquid proponimus, suis oneribus nos deprimit. Abeat a mundo, mundum deserat, fugiat mundum, qui immundus non esse desiderat. Mūdus enim quicquid boni in nobis reperit, hoc indubitanter destruit. Huius figurā gerebat Pharao qui dicebat, filijs Israel sacrificare volentibus: *Vacatis otio, & idcirco dicitis; eamus & sacrificemus Domino. Ite ergò & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Mundus etenim dum seruos Dei eius inspicit vacare obsequijs, hos varijs mūdanarum rerum occupat desiderijs, hos curis onerat sæcularibus. Filijs Israel ex Aegypto exire volentibus insurgit Aegyptus tota, arma sumit, conclamat ad arma, hinc persequuntur, illinc insequuntur, à lateribus vallantur, à capite mari opprimuntur, vix datur denique effugij locus. Similiter dum mundanam Tyrannidem effugere peroptat anima Christiana, tum mundus insurgit maximè, vires colligit, conglomerat mundanarum rerum exercitum, curarum deliciarumque immittit manipulum, hinc nouum militem nouis cingens insidijs, illinc antiquarum curarum tela immittit, militem Christianum a Dei militia deterrere studens. Hæc dico, quoniam mundana turba impedit, ne paralyticus accedere valeat. *Et offerebant ei paralyticum.* Diues erat, vt reor paralyticus hic, siquidem virorum qui eum subleuent, deferant, demittant

Exod. 13.

Exod. 14.

Paral. illo diues erat.

cacumina scandere cupit, si à peccatorum sordibus exilire quis peroptat ; si à morte animæ resurgere vult aliquis viresque non sufficiant, non est qui subleuet, non est qui labantem & deficientem sustentet, non est qui auxiliatricem porrigat dexteram. At verò vbi vitia sectari vult aliquis, mundanorum fulcitur dextera, quisque fauet, quisque possibile præbet auxilium. *In malum mentibus omnes, ad bonū nulli auxilium ferunt.*

Vix Seba seditiosus homo conspirationis primā ediderat vocem, inquiens; *Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai*, cum ecce fit concursus populi auxiliatricem pollicentis dexteram. *Et separatus est* (inquit scriptura) *omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri.* 2.Reg.2I.

Non absimile est quod de Abimelech refert scriptura, qui rapiens sceptrum, imperijque diadema sibi iniustè sumens, *conduxit ex eo viros inopes & vagos, sequutique sunt eum*. Similiter cum Adonias iura paterni honoris supergrediens imperij sibi infulam, facesque adscriberet, extemplò sequuti sunt eum viri pestilentes, de quibus scriptura dicit; *Et sermo eius cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ*. Talis erat & Absalon, quem peruersitatis vitio laborantem, *toto corde vniuersus Israel sequutus est*. Contra verò si virtutis palmam assequi quis nititur, si virtutum tiara decorali quis peroptat, mille patitur ærumnas, infinitis quassatur improborum hominum calumnijs, mille corundē subiacet improperijs, mille turbatur mundanarum occupationum sollicitudinibus. Vt in hodierno claret Euangelio, vbi præ turba accedere non valet qui sanitatem toto corde perquirit; *Et ecce offerebant ei paralyticum*. Naaman nobilis ille longissimam sanitatis recuperandæ causa instituit peregrinationem, non animæ, at solummodo corporis, quod proh dolor! hodie in mundanis dolendum, in mundanis deflendum est. Charitatem attamen horum miror, absimilesque fuisse amicis Iob comperio, de quibus cō- 3.Reg.I. 2.Reg.25. *Maiori cura mala corporis quam animæ curātur.* 4.Reg.

Z querens

Iob 30. querens aiebat: *Frater fui draconum, & socius struthyonum.* quibus verbis indicat non solum amicorum crudelitatem, sed etiã cordis fictitij venenatã fraudulentiam. Sicut enim fingitur Draco venenum ore euomere, sic infert amicos venenata verba protulisse, quæ cor eius atque animũ afficiebant dũ pro peccatis pœnas promeritum improperabant. Ideoque Struthyonum amicũ fuisse se subiungit. Sicut enim Struthyo licet calidissimus à natura sit, adeò vt ferrũ deglutire valeat, amoris tamen calore ita vacuus est vt oua sua ne quidem pluma contegat, sed solo intuitu reficit: ita inquit, Amici mei desertũ me & in angustijs summoque vitæ periculo constitutum, nõ pluma verbi consolatorij, sed solo intuitu desolationis, atque improperij calamitatem meam, miseriamque perspexerunt. Quam absimiles sunt hi qui charitatis præstant officia Paralytico huic! *Et ecce offerebant ei paralyticum.*

Amici Iob Dracones

Struthyio est symbolum crudelitatis.

Portantiũ paralyticũ fides magna.

Magna quidem charitas est, at non minor fides eorum, quæ sanitatem moribundo meruit obtinere. *Videns Iesus fidem eorum.* Mirum sanè, hic datur mirari, hic stupere, tantam esse fidei energiã, tantumque robur, vt etiã alteri prodesse possit. In quo fidei nostræ articulũ stabilimus, nempè, *Credo Sanctorũ cõmunionem, & remißionem peccatorum.* Est etenim tãta cõmunicatio inter nos, & Christũ, quanta est inter caput & mẽbra. Hoc confirmat Paulus inquiens: *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius IesuChristi Domini nostri.* Accedit ad hanc, etiam communicatio Ecclesiæ triumphantis cũ militanti, orãt siquidem quotidie Sancti pro nobis, quarũ orationũ participẽ se esse gloriabatur Dauid cũ dicebat: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quod etiam se vidisse in Apocalypsi testatur D. Ioannes dicẽs: *& viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Cum autem Sancti orationibus non indigeant, consequens est vt eas

1. Cor. 1.

Psal. 18.

Apoc. 5.

pro

pro nobis offerri arbitremur. Quis autem inualidas arbitretur, si alienorum etiam fides huius sanitatem paralytici promeruit? *Videns fidem illorum.* Hic hallucinantur hæretici, qui ex fide solam esse iustificationem arbitrantur, non autem etiam ex operibus, quia non dixerit Euangelista, *videns opera illorum,* sed solummodo, *videns fidem illorum,* quod etiam diuersis alijs locis sacræ scripturæ comprobant, vt infra, *Confide filia fides tua te saluam fecit.* & Marc. 5. *Noli timere crede tantum & salua eris.* Lucæ 17. *Surge, & vade quia fides tua te saluum fecit.* & Lucæ 18. *Respice fides tua te saluum fecit. &c.* Verum Respondeo. Nos non negare iustificationem primam, de qua hic agitur, absque operibus fieri; non tamen inde concludunt à sola fide fieri: Nam inter fidem & opera intercedit charitas, quam dicit D. Petrus *operire multitudinem peccatorũ,* propter quã etiã dictũ est peccatrici, *remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* Cum ergo dicuntur per fidem peccata remitti, intelligendum est, alijs etiam in locis per charitatem (licet nõ fiat nisi de fide mentio) peccata condonari; & sicuti ex his benè colligi non potest charitate sola mediante peccata remitti; ita nec ex his, in quibus nulla charitatis sit mentio, rectè colligi potest ex sola fide Iustificatio. Nam vti non potest sine fide charitas cõsistere, sic nec sine charitate fides valet aliquid operari.

Quomodò hoc loco abutantur hæretici. *Marc. 5.* *Luc. 17.* *Luc. 18.* *Prima iustificatio fit absque operibus.* *1. Petr. 4.* *Luc. 7.* *1. Petr. 4.* *Luc. 7.*

Secundò. hi Neoterici fabularum inuentores, triplicem assignant fidei speciẽ, nempe Historicã, qua credi dicunt vera esse, quæ dicta sunt à Christo; Alterã miraculorum, quã credunt Deo nihil esse impossibile; alteram Christianã, qua credunt per merita Christi peccata remitti, in quarũ postrema omnem cõstituunt Iustificationẽ. Verũ hinc insanã suæ ignorãtiæ insipiẽtiã demõstrãt. Nã vel probationes supra allatę ab eis nullæ sũt, vel si validę, ergò nõ fides postrema, sed media iustificat. Cum. n. Iudæi & ij de quib' ijs in locis Euãgelistę loquũtur, Dei cognitione,

Triplex fides hæreticorũ.

atque Christianæ fidei lumine caruerint, solaque miraculorum nouitate adacti confiderent, necessarium est, vt vel fides secunda iustificet, (si qua sine operibus iustificat) vel male allegatas concedant probationes. *Videns fidem illorum.* quam fidem? haud dubium, miraculorum qua credebant Deum pristinæ eum restituere posse sanitati. Allegant insuper, *vade fides tua te saluam fecit.* at quæ fides? sine dubio miraculorum, qua antea in seipsa dixerat: *Si tetigero tantũ fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Dato quod non ageretur de fide miraculorum, attamen eorum insania hinc magis elucet, atque stupidissima patet ignorantia, dum fidei alienæ tribuunt in alieno corpore & anima iustificationem; Adultos enim per fidem alienam iustificari non posse censent. Si igitur Iustitia apprehensa à nobis seorsim, nos iustificat, quæ insania est fidei aliorum alterius iustificationẽ adscribere? *Videns igitur Dominus fidem illorum dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* O rem prodigio simillimam! Agnus patrem se lupi dicit. Virtus vitijs parcit, Deus filios nominat peccatores, medicus peccata remittit; Iudex reum consolatur, Messias ægrotos sanat, *confide* inquit *fili.* Filium vocat, vt ad spem hæreditatis futuræ inducat, iuxta Apostoli promissionem qui ait: *si filij ergo & hæredes.* Fœlix puer quem diuina bonitas tanto dignum effecit parente. Propius accedam, vt ad cognitionem huius paralytici perueniam.

Matth. 9.

Impudens cæcitas hæreticorum.

Fides necessaria ad salutem.

Accedenti Pallatius suggerit Paralyticum illum esse genus humanum protoplasti paralysi infectum, dum rationi non obtemperant potentiæ: Qui quidem paralyticus à Sanctis Patribus diligebatur, ideoque sanationem eius summo studio peroptabant. Insuper in effigie, seu imagine paralytici videre mihi videor peccatoris vultum, & ex paralysi corporali quandam esse spiritualem conijcio, cuius natura ex corporali facilè colligi potest. Sciendum itaque est quod sicut ab hepate sanguis, & à corde

Pallatius in Matth. c. 9.

Paralyticus est typus peccatoris.

arteriæ prodeunt;sic à capite venæ quædam per corpus distenduntur,per quas spiritus vitales per totum corpus diffluunt, & singulis membris congruum tribuunt motum. Quod si fortè humor aliquis intemperatus irrumpat,tunc occlusis vitalibus spiritibus,insensibile remanet corpus, atque mortuo corpori simillimum.Hoc modo euenit animabus.Nam homo duabus naturæ circumdatus varietatibus vna animali,altera Angelica à Deo creatus fuit,vt animę partes tueretur, quæ sunt, Intellectus, memoria, & voluntas.Verum peccata vitiaque adeo virtutum atque animæ sensus perturbant, vt quasi paralytica insensibilis & immota hęreat,voluptatum atque deliciarum grabato annexa.

Peccatum animæ Paralysim generat.

Cum Rex Ammonitarum, Galaaditas obsidione firmissima circũuallasset, ij extremum aduertentes vitæ periculum pacem postulabant dicentes: *Habeto nos fœderatos & seruiemus tibi*: At ille crudelissimè respondit: *In hoc* (inquiens) *feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexteros.* Eodem modo conuenisse videtur Sathan cum peruersis hominibus.Nam cum viri probi duos oculos habeant quibus & cœlestia,& terrestria inuestigent; peruersos adeo obcœcauit Dæmon,vt dextero oculo effosso, quo cęlestia meditari debebant;sinistro in terrestriũ negotiorum curas toto animo incumbant. Et hæc paralysis est Animarũ, quæ per remissionem peccatorum tollitur,vt ostendit Christus dum dixit;*remittuntur tibi peccata tua*. Quærere posset aliquis, Cur Christus peccata remittat non rogatus?Respondent vnanimi voce D.Hieron. Euthymius, Theophilactus,paralysis causam,fuisse peccatum,ideo amouere voluit causam, vt postea mundaretur effectus. D.Ioannes Chrysost. dicit Christum remisisse peccata,vt post Iudæorum calumniam Diuinitatis suæ probaret potentiam, vt etiam resipiscendi paralytico præberet occasionem,quod probabile est, quia antea dixerat: *Primum quærite regnum Dei & Iustitiã eius,*

1.Reg. 11.

Homini duo spirituales oculi sunt.

Morbi sæpe sunt effectus peccatorum.

Hom.30.

Matth. 6.

eius, & hæc omnia adijcieatur vobis.

Causæ morborum peccata. Et reuera varijs in locis scriptura morborum causas peccata esse cōfirmat. Hoc Iob declarat inquiēs: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcessere facit.* Deinde Ezechias post diutinum languorem resumptis quandoque viribus, atque pristinæ redditus sanitati dicebat: *Tu autem eruisti animam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Et nunc Dominus sanitatem inchoat à remissione peccatorum. Ioan. 5. Vbi ait sanato cuidam: *Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat,* his verbis ostendēs propter peccata inflictam esse infirmitatem. *Remittuntur tibi peccata tua.*

Iob.33.

Isaiæ. 38.

Ioan.5.

Deus plus præstat quam rogatur. Mirabilis sanè Saluatoris nostri clementia atque bonitas, qui sanitatem dumtaxat corporis flagitantem, sanitate simul animæ donat, vtrumque sanans hominem. Et hæc Bonitatis Diuinæ consuetudo est, plura largiri, quam rogatus sit Deus. Rogat Abraham sibi conseruari Ismaelem, hunc & conseruat, & legitimum superaddit filium. Sapientiam postulat Salomon, & cum ea Deus diuitias tribuit. Manasses delictorum veniam quærit, & vltra hanc, etiam diadema honorisque atque regni dignitatem restituit. Ezechias aliquot dierum inducias postulat, & vitæ prolongationem ad 15. annos obtinet. Ideò Ecclesia meritò decantat, *Deus qui merita supplicum excedis, & vota.* Idem testatur Apostolus dicens: *Potens est Deus facere supra id quod petimus, aut intelligimus.* Et hæc Paralytici curatio satis clarè probat, cui vltra sanitatis recuperationem, dictum est: *Remittuntur tibi peccata tua.* Aduertendum est Triplicem remissionis peccatorum esse authoritatem. Prima est quæ dicitur: *Clauis potentiæ* quæ soli Deo conuenit; ipse namque solus est qui peccata remittens impium iustificare potest. Ideò eū Dauid deprecabatur dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Secunda est. *Clauis Excellentiæ,* quæ

Ephes. 3.

Tres claues peccatorum.

Psal.50.

quæ Christo in quantum homo est, atque peccatorum redemptor, per excellentiam debetur, quia est: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Tertia est, *Clauis ministerij* quam Sacerdotibus concessit Christus dicens: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* & iterum: *Quæcumque solueritis super terram erunt soluta & in cælis.* Veruntamen per excellentiam hanc sibi vsurpauit potestatem Christus dum ait paralytico, *remittuntur tibi peccata tua.* *Ioan. 20. & 11.* *Matt. 18.*

Alia occurrit consideratio, quod sicut per verba supradicta triplicem ostendit potestatem, sic etiam tribus operibus suam manifestat diuinitatem. 1. occulta cordium inuestigando; Pharisæis enim scandalizatis dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et scriptura de Deo inquit: *Scrutans corda & renes Deus.* & alibi, *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Psalmista &c ait: *Nonne Deus requiret ista, ipse enim nouit abscondita cordis.* 2. Sanans solo verbo virtutis paralyticum dicens: *Surge tolle grabatum tuum & ambula.* 3. peccata dimittens, actus enim diuinitatis est, solique ineffabili maiestati congruus iuxta illud: *Solus peccata dimittit.* *Christus hic tripliciter suã diuinitatẽ ostendit.* *Psal. 7.* *Ierem. 17.* *Psal. 43.* *Isaiæ 43.*

Ideo Pharisæis obmurmurantibus atque obstrepentibus, blasphemiæque dominum accusantibus, ipse respondit. *Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge tolle grabatum tuum & ambula?* Ex quibus Domini verbis inferunt Theologi difficiliorem esse peccatoris iustificationem, quam morbidi paralytici curationem, licet Deo æqualis sit vtriusque curationis potentia. Vnde opinatur D. Aug. difficiliorem esse peccatoris iustificationem quam noui orbis creationem. Eiusdem opinionis est D. Thomas qui ait: *Maximum opus Dei iustificatio est, & peccatorum remissio.* *Tract. 72. in Ioan.* *Tract. de gratia.*

Quẽadmodũ volẽti alicui in media ciuitate domũculã sine cuiusquã impedimẽto ędificare, nemo sese opponeret; volẽtẽ vero castrũ erigere tota ciuitas im- *Similitudo.*

ſaluti noſtræ ſeſe oppoſuerit, tecta Diuinæ contẽplationis aſcendamus,& ad Domini pedes aduoluti ſanitatem,atque auxilium poſtulemus. Surgamus à malo bonum facientes, & praua deſideria abnegantes. A'hquot infortunati hodie peccatores paralyſi animæ laborant, qui periculum non aduertentes in eo deliteſcunt, hos tua clementia ſana Domine, hos tibi offerimus, oblatos ne reſpuas, ſed pro ſolita miſericordiæ largitione illis ſuccurre. Miſerere eorum eos ſanitati priſtinæ quam in fonte baptiſmali ſuſceperunt reſtituendo. Reſurgent à labe peccati, te continuò ſeruatorem ſuum agnoſcent, te in omnibus,& per omnia ſequentur, donec tecum in æterna recipiantur tabernacula. Quorum nos participes efficiat Pater,& Filius,& Spiritus Sanctus Amen. *Oratio ad Deum.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Simile eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo,& miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos. Matth. 22.

FIGVRA.



Vm in opulentiſſimo, quod optimatibus ſuis extruxerat cõuiuio, Rex Aſſuerus vxoris Reginæ Vaſthi præſentiam inquiſiuiſſet, illaque venturam ſe negaſſet, ita Regis in eam ira excãduit, vt diademate, purpuraque regali priuatam repudiarit. Nec abſimile eſt quod in hodierno nobis Euangelio proponitur. Nam cum Rex filio ſuo nuptias feciſſet, inuitatoſque aduocari iuſſiſſet, illis venire ſe poſſe negantibus, alios eorum loco, qui cœnam impleant, compellit introire. Ibi *Eſth.1.*

Rex,hic & Rex;conuiuium illinc,iſtinc conuiuium vtrimque myſterium.Quod diuina fretus ope exponere decreui.Salutabimus virginem dicendo, *Aue Maria.*

Mundus maximus inimicus hominis. Iuſtè admodum Patres inter inimicos hominis mundum tanquam ducem ſtatuerunt. Illius ſiquidem tanta crudelitas, adeoque inaudita ſæuitia eſt, vt qui aliorum inimicorum ſtratagemata inquirere voluerit,infœſtiorem mundo ſe hoſtem non habere aduertat. Ab incunabulis enim hominem aggreditur, quem non prius deſerit, quam in tumulo conquieſcat.Naturam tanquam Nouercam accuſat

Plin. naturam incuſat. Plinius, quoniam hominem nudum natum,nudum deſerat,cum cæteris animalibus arma, atque tegumenta ſubminiſtret; at longè melius in mundum inſurgere poſſum, qui cum cæteris animalibus faueat,hominem tamen tyrannico quodam iugo ſupprimit.

Luc.16. Mundus,Domus Epulonis eſt, in qua quemadmodum canes nutriebantur Lazaro contempto; ſic dummodo animalia paſcantur mundo ſufficit, hominibus contemptis. Homo.n. mundanarũ impietatũ ſcopus eſt,in eum immittit,quicquid immittere valet. Quod ſi quandoque blandienti arridet vultu, voluptatis pauxillum concedens, non ei ideò fidendũ:Nã vt ait Iob: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti* Gaudium mundi quantitate,dimenſione atq; duratione caret.Gaudia mundi, oſcula ſunt; at oſcula Iudæ proditoris,ducentia ad interitũ. Gaudia mũdi, conuiuium ſunt,at infortunatum,ex quo rapitur Aman patibulo affigendus. Gaudia mundi domus Iahel ſunt vxoris Haber Cinæi,in qua dum Siſara Dux exercitus Regis Iabin lacte potatur,vitæ periculũ incurrit:ſic ſcriptura refert: *Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum,* ô mundanam,vt apparet, delectationem! At breuis eſt, nimiũq; infortunata voluptas! *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi,aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè,*

Mundus nihil æque odit quam hominem.
Iob.20.
Iudic. 4. & 5.
Mundus homini facit,quod Iahel Siſare.

sconditè, & cum silentio, posuit supra tempus eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum, vsque ad terram. Talis, talis, est mundana delectatio, talia sunt mundi fraudulenta oblectamenta.

Mundus similis est filiabus Loth, quæ Patrem inebriatum in incæstus procellosum pelagus demergere tentauerunt: *Dixitque maior ad minorem &c. Veni inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo.* Similis inquam est mundus, qui voluptatum inescatos delicijs, in mille vitiorum Labyrinthos pertrahere nititur. Dum attentius mecum Leonem Sãsonis perpẽdo, ex ore cuius examen apũ emergebat, *declinauit vt videret cadauer Leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis*, hyerogliphicũ esse aduerto mundi; in primordio cuius dulcedo mellis degustatur; at interiora Leonina sunt, belluina sunt & crudelitate repleta. Hic namque est de quo psal. ait; *Qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in corde eius.* — *Genes. 19.* — *Iudic. 14.* — *Psal. 27.*

Ideo mundum Balænæ assimilat D. Thomas, quoniam monstrum hoc marinum fame deficiens, odorem suauissimum exhalat, sicque pisciculos huius odoris fragrantia allectos in periculum mortis inducit: Periculosiores longe sunt mundi deliciæ; sitibundus sanguinis humani mundus, voluptates expirat, fragrantiam deliciarum diffundit; at quæ non in veram voluptatem inducant, sed verum pariant exitium. ô cæcitatem humani cordis! Quam Hierem. optime describit dicens: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus auertet eum.* Vera proculdubio mundani hominis effigies, quem in voluptatibus sæculi semel immersũ, nemo est qui extrahere valeat. Sic, sic, eum allexit mundus, vt pro labili voluptate eum æterna priuet requie. Sic viros mundanos supplantat ad instar Iacob, qui pro lenticula farinæ obtinuit iura primogenituræ; sic inquam supplantat, quia pro modica voluptate priuat illos interminabili beatitudine. Huius probatio insigni contegitur parabola quæ — *D. Thom. sup. Ioan.* — *Fraus mũdi astutia Balenæ cõparatur.* — *Hier. 2.* — *Gen. 25.*

in ho-

in hodierno Euangelio reperitur. & hæc est: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos.* Huic innixus materiæ in primis agam de nuptijs; deinde de inuitatis, ac eorum excusationibus.

Propositio.

Explicatio mystica parabolæ.

Inspiciens vndequaque, ac lustrans singulas huiusce parabolæ partes, comperio in primis Regem nuptias parantem Deum esse Patrem; Filium verò Regis vxorem ducentem, esse Iesum Christum, cujus vxor, sacra humanitas est: Spiritum verò Sanctum reperio huic coniunctioni intentum: Serui autem inuitatos aduocantes Sancti fuere Prophetæ, atque Apostoli de quibus dicitur: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Psal. 18.

Alia expositio mystica.

Alia mentem subit eiusdem parabolæ explanatio. Iudæi sunt inuitati ad hoc celebre conuiuium, verum non solum recusarunt, sed & seruos inuitantis percusserunt & interfecerunt; Ideoque Deus inuitans, seruos alios misit per compita, vt cogant quosquis obuios introire ad cænam Ecclesiastici conuiuij: Quemadmodum verò eos acriter punit, qui ad fidei Ecclesiasticæ cænam venire refugiunt, ita grauiter eos punit, qui sine charitatis stola ingredi præsumpserunt. *Simile est regnum cælorum homini regi.* Per regnum cœlorum intelligenda est congregatio fidelium, quæ Ecclesia dicitur. Vocatur verò regnum, quia qui eius regimen curamque gerit, Princeps omnino cœlestis, atque Diuinus est; Regnum dico, & quidem, cætera regna in excellentia superans.

Ecclesia cur dicatur regnũ cælorum.

Regnum Ecclesiæ cætera antecellit, primo æquitate.

Primò propter constitutionis ordinem quæ nunquam Tyrannica fuit, sed propter vnionem hypostaticam & ratione diuinitatis suæ, ei hæc Ecclesiæ corona, hoc imperij Ecclesiastici Diadema collatũ fuit. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius.*

Psal. 2.

2. Antiquitate.

Secundò propter antiquitatem qua superat omnia regna mundi; Græciæ namque Monarchiam suscepit

pit Macedo Alex. Medorum, Cyrus: Persarum, Xerxes: Romulus romanorum fundauit Imperium, Ninus Babyloniorum. Saul denique Iudæorum; at verò Ecclesiæ imperium à primordio mundi, ab Abel emanauit, semperque durauit; nec enim vlla fuit ætas, tempusue nullum quo huius Ecclesiastici imperij non viguerit potestas.

Tertiò. Si in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis, profectò non est regnum, nec diadematis latitudo, neque imperij tanta maiestas, quæ Ecclesiasticæ æquiparari valeat dignitati: Licet enim de Assuero dicatur: *Qui regnauit ab India vsque ad AEthyopiam, super centum viginti prouincias*; tamen nec hic numerus, vel in minimo assimilari potest. Sic enim de Ecclesiastica potestate canens scriptura ait: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum*, & alibi, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*. & iterum; *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Ipse verò de se testatur, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* 3. Magnificentia. Prou. 14. Esth. 1. Psal. 71. Marc. 6. Psal. 2. Matt. vlt.

Quartò superat alia regna propter fertilitatem & omnium bonorum abundantiam in qua consistit maiestas Imperij; Quid fertilius, quidue fœcundius reperiri potest corpore & Sanguine pretioso Domini nostri Iesu Christi? Hoc attamen pretioso gaudet pignore Ecclesia nostra. Ad hæc inueniuntur fructus Sacramentorum animæ gratissimi. Hæc, hæc Ecclesia, terra promissionis est, terra Chanaam. Hæc Ecclesia hortus est sponsæ, de quo ait in canticis; *In horto meo poma noua & vetera*. Hæc est tabernaculum Moysis in quo recentes semper adhibentur panes, charitatis atque benedictionis. 4. Abundantia & fertilitate

Quintò excellit cœtera regna propter stabilitatem, cui enim vnquam regnorum dictum fuit. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi nō praualebunt aduersus eam*? Oppugnatum sæpè fuit hoc regnum, 5. Potestas Matt. 16.

regnum, at verò nunquam debellatum. De hoc itaque dicitur: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea; dicat nunc Israel. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Nunquam expugnari valuit, attamen immota Ecclesia alia conquassauit; lapillus enim de monte corruens, statuamque Nabuchodonozoris conterens, Ecclesiam figurabat.

Psal. 128. *Dan. 2.*

6 Politia & legib. *Psal 18.* *Sextò.* Ecclesiasticum regnum reliqua omnia superat in politia & æquitate, *Lex enim Domini immaculata conuertens animas &c.*

7. Duratione. *Dan. 7.* *Septimò.* Regnum nostrum superat alia in duratione; Nam de eo dictum est: *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur,* & Psalmista: *Regnum tuum regnum omnium seculorum.* Angelico etiā hoc ipsum firmatur testimonio, *Et regni eius non erit finis.* Ecce huiusce Imperij æternitatem!

Luc. 1. *Vltimo Nobilitate & Sapientia Regis.* *Coloss. 2.* *Christus verus EcclesiæRex.* *Heb. 2.* *Psal. 8.* *Philip. 2.* Denique superat & excellit alia regna, propter Sapientiam, Prudentiā, atq; discretionē directoris, qui est ipse, *Cuius Sapientiæ non est finis; in quo etiam omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei absconditi sunt.* Deus igitur Ecclesiæ Rex est, atque imperii Ecclesiastici Gubernator. Hoc inter cæteros indicauit Paul. inquiens; *Est qui modico, quam Angeli propter mortis passionem minoratus est, videns Iesum gloria, & honore coronatum.* alludit verò ad verba psalmistæ dicentis, *Quid est homo quod memor es eius? aut filiꝰ hominis, quia reputas eū? Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eū.* & exinde Apostolus intulit. *Dedit illi nomen quod est super omne nomē,* hoc est, Regale nomē, omnis regalis dignitatis superās maiestatē. Ideò D. Greg. Nazianz. vocat Iesū Christū *Regē gloriæ,* exponens sibi, suæque sententiæ fauētia hæc verba: *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Vidēs autē eū diadematibus variis insignitū in Apoc. Ioan. sic eū describit: *Oculi eius sicut flāma ignis, & in capite eius diademata multa, & vocabitur nomen eius verbū Dei.* Diademata multa fuisse recenset,

orat. 2. in Pascha. *Psal. 23.* *Apoc. 19.*

censet, quoniã corona regalis Iesu Christi duplex e-tat, diuina nẽpè & humana, eratq; regnorũ multorũ Gubernator, titulisq; regalibus variè gaudebat. Rex .n. erat Cœli, Terræ, Iudæorum, Gentiliũ; specialiter verò Ecclesiæ. Ideo in eadẽ Apoc. dicitur Angelus magni consilij Iride fuisse circũdatus, *Et Iris in capite eius*, Nam Iris, vt refert Poëta, & experientia docet, *Mille trahit varios aduerso sole colores*. quæ quidem Iris figurabat Dominum Iesum Christum varijs esse regnorũ diadematibus exornatũ; Ita tamen vt speciali prærogatiua Ecclesiæ nostræ fuerit Rex denũciatus, de quo regno agit parabola hodierni Euangelij dicens: *Simile est regnum cælorum homini regi*. *Apoc. 10.*

Appositè autem Spiritus Sanctus hic terminis vsus est, *Homini Regi*, decet equidem prius Regem esse hominem, quam Regem; siquidem in Regalibus infulis sublimati humanitatis suæ, finisque ac Principij obliuiscuntur. Ideo Cherubim Ezechielis quasi biceps, ostensa Leonis facie, mox hominis vultum repræsentabat. vt qui in regio honore Leonis similitudinem gerebat, in suæ conditionis recordatione hominem etiam sese exhiberet. Quod cum à Rege fit, non humanum, sed cœleste regnum est. *Simile est regnum cælorum homini Regi*. *Oportet vt Rex se hominem meminerit.* *Ezech. 1.*

Ad hanc considerationem summè regibus necessariã suos inducebant reges, qui in publicis triumphis atque ob victoriarum excellentiam in ouationibus præconis voce ad aures Imperatoris acclamabant, cœteris in laudes Imperatoris erumpentibus; *Memento te esse hominem*. Ideo ne in sui obliuionem laberetur Philippus Macedo, atque fraudulentis blandientium adulationibus à sui cognitione diuerteret, sibi faustum diem à nobili quodam singulis diebus imprecari præceperat, in hunc modum: *Rex memento te esse hominem*. *Triumphi modus.* *Tert. & Hier.*

Plurimi Principes huius cognitionis defectu, regna vastauerunt, disturbauerunt, Imperia legi-

bus naturæ finem dederunt, atque bestiarum more vixerunt. Ideo enim Nabuchodonosor in feram transmutatus fuit, dum à Deo dictum fuit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnũ tuum transibit à te. Et ab hominibus eijcient te & cum bestijs & feris, erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes &c.* Ideò etiam Titus & Vespasianus apri vocantur ob crudelitatem, quam ex obliuione humanitatis sibi consciuerant. *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Vbi Psalmista agit, de excisione vrbis Hierusalē quam ipsi procurarunt. Insuper hęc suiipsius obliuio crudelitatem maximam animo principis inducit, Reipublicæ perturbat ordinem, bonę compositionis statum corrumpit, legum iusta annihilat, denique mutationem vniuersis comparat rebus. Homo ergò sit, qui benè & rectè regnare cupit. Regale namque munus duo brachia habet, iustitiam nempè & misericordiam, horum qui altero caruerit mancus erit, qui autem vtraque habuerit, nullo negotio difficillima quæque imperij sui negotia resoluet. *Simile est regnum cœlorum homini regi.*

Dan. 4.

Psal. 79.

Crudelis Rex ruina populi.

Regiæ maiestatis duo brachia iustitia & Misericordia.

Sed quid Rex iste agit? *Fecit nuptias filio suo.* Quę nuptiæ in Incarnationis mysterio celebratæ fuerūt, dū Pater cœlestis filium suum vnigenitum humanitati coniunxit, atque ratione illius desponsationis Ecclesiastici Imperij dignitate donauit. De qua dignitate agens sponsa in Canticis ait: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius*, quem locum scripturæ nuptijs incarnationis accommodant Patres; inter quos Ambrosius inquit: *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit; coronauit eum quando generauit.* Clarius multò Augustinus, dicens: *Idem vnus ipse Christus, qui processit ex vtero virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, in quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ sunt; Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus, & totus homo.* D. Gregorius non absimilia differit, inquiens: *Tunc*

Cant. 2. Greg. in com. loci. Ambros. l. de Instit. Virg. c. 16. Bern. ser. 2. de Epiph. Aug. orat. contra Iudæos, Pagan. & Arian. tom. 9. D. Gregor. comment. in hunc locum.

Tunc Deus pater filio suo nuptias fecit, quando, hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante sæcula, fieri voluit hominem in fine sæculorum. quarum quidem nuptiarum excellentiam præuidens Psaltes regius exclamarat: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O nuptias! ô thalamum omni admiratione dignum! *Psal. 18.*

Trinam notat Synagogæ cum Christo desponsationem D. Hieronymus. Primam dicens in Circuncisione factam fuisse; Secundam in legislatione; Tertiã autem fuisse factam censet in incarnatione; quas quidem desponsationes figurarant cõiunctio Moysis cum AEthyopissa; Samsonis cum Philistæa, & Assueri cum Iudæa. *Christus ter Synagogæ est desponsatus. Super epi. ad Cor.*

Ad has nuptias vniuersus orbis inuitatur. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* in cuius rei figuram scriptum est Apocal. 19. *Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem tubarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni &c.* Prima vox tubæ similis, vox fuit Patris intonantis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Aliæ voces tonitruo similes, voces fuere Prophetarum, de quibus in Actibus dicitur; *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Postremæ verò voces similes multitudini tubarum, voces fuerunt Apostolorum de quibus dicitur: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi Domini nostri,* Voces sunt inuitantium, & dicentium, *Omnia parata sunt,* scilicet in Passione Domini, atque in Sacramentorum institutione. Ideò Prophetis prioribus datum non fuit vt hoc dicere valerent, sed vt solummodo, ad nuptias venturas inuitarent Hebræos; Apostolis verò datum est, vt omnibus iam apparatis, omnia parata esse denuncient. *Omnia parata sunt, venite &c.* Diabolus fugam cœpit, mors vitam perdidit, cælum patet, Inferni ianua occlusa est, Redem- *Apoc. 19. Matt. 3. Act. 10. Act. 4. Christi aduentu omnia nobis parata sũt.*

ptio peracta, Christus Crucifixus, homo gratiæ restitutus, omnia denique parata sunt. Ah quanto cũ gaudio vocem hanc recepissent Sancti Patres! Inuitati equidem erant, at necdum omnia parata: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus.* Ideò Dominus contemporaneis suis dicebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Iudicet vnusquisque vestrum quantus sit nuptiarum apparatus, dum ego secundam inchoans partem inuitatorum ingratitudinem ostendere pergo. *Illi autem neglexerunt &c.*

Hebr. 11.

Luc. 10.

Magna Mundi cæcitas.

Cant. 5.

Omnibus itaque iam paratis, expeditos seruos mittit, qui inuitatos festino pede conuocent; illi verò parui pendentes vocationem alius ad alia transmeauit negotia. Quod preclarè figuratum est in Cãticis, vbi sponsa amantissimum redarguens ait: *Quæsiui illum, & non inueni; & vocaui, & non respondit mihi: Et neglexerunt & abierunt &c.*

O insaniam humanæ mentis! ô insanam cordis humani cæcitatem! expediebat vt contemptis inferioribus, illa mens cælestibus intenderet delicijs; at ipsa contrarium faciens, cœlestibus parui habitis, mundanis insistit voluptatibus. Quas qui contemnit Heroicum demonstrat animum, & qui pedibus conterit, magnanimos se gerere spiritus ostẽdit. Nec quidem Paganos hoc latuit. Nam vt refert Philippus Diez: Alexander Macedo oblectationis causa à Philosophis inquirens quid maximum esset in rerum natura, varias à varijs responsiones accepit. Primus enim eorum, montem Olympium, cætera quæ in mundo erant magnitudine superare censebat; Secũdus, aquam esse asserebat, quippè cui virtutem ignis demoliendi potestas data esset: Tertius verò Solem esse censuit, cui scilicet illuminandi ratio maxima data esset, sed & hic, vt alij à veritate aberrauit. Quartus autem, atque veritati maximè vicinus, animum magna contemnentem, maximum esse declarauit. Quique meo iudicio optime elocutus est, hoc enim pacto res huius mundi, ita caducas ostendit,

Phil. Diez Tom. 4. *Dom.* 5. *post Pasch. conc.* 1.

Animus magna cõtemnens verè magnus est.

dit, vt is merito laude dignus sit, qui eas pro nihilo reputauerit. Sed ô infaustos nostri Euangelij homines, qui cœlestibus spretis, terrenis inhiant delicijs. Insaniam reuera deplorandam! Non enim ad laborem, non ad angustias, non ad dolores vocantur, sed ad nuptias, interim venire neglexerunt. Vocat ad dolores, vocat ad molestias, vocat ad laborem & ærumnas, Satan, & hunc festino gradu insequitur vniuersus orbis. Vocat Dominus ad nuptias filij, ad delicias agni; at ipsi obcæcati venire refugiunt.

Sathanas & Mūdus plures quā Deus sectatores habent.

Cum animos plebis à Rege Dauid auertere vellet Saul; ad eos dicere cœpit: *Audite me nunc filij Iemini, nunquid omnibus vobis dabit filius Isay agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones, quia coniurastis omnes aduersum me?* Maiori profectò cum ratione Dominus cōqueri potest de nobis, qui spreto cœlestis regni Dominio, in tyrannicam seruitutem properamus, non attendentes, quia Dæmon vltra tormenta nihil habet, quod largiatur. Tanta, tanta est hominum in mundanis voluptatibus cæcitas!

1. Reg. 22.

Aman summo se honore affectum arbitrabatur quod solus ad conuiuium Esther vocatus erat, ideoque dicebat, *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, apud quam etiam cras, cum Rege pransurus sum.* & hi ad nuptias regias vocati, non modo honori nō tribuūt, sed & venire neglexerunt. Vix Assuerus conuiuium extruxerat, cum optimates vniuersi ad illud conueniunt; hi verò ita à sensu alieni sunt, vt inuitati venire negligant. *Et neglexerunt & abierunt alius in villam suam &c.*

Esther. 5.

Esther. 1.

Mirum sanè est quomodo mundani cum à mūdo premantur eum tanto amore prosequantur. Satius foret, si Deum diligerent; mundus enim vincit mundanos vinculis multiplicibus, at Christus vno tantum onere suos onerat milites, & quidem

Mundū libētius quā Deum sequimur.

quidem ſuaui, *Iugum enim* (vt inquit) *meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Hebræi ollas carnium AEgypti vix dimittere poterant, cum tamen à Tyrannica ſeruitute liberarentur. In Zacharia legimus, *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ & dixit, hæc eſt impietas*; ad innuendū ſcilicet quam graue & oneroſum peccati pondus ſit, totque talenti ponderibus humeros noſtros onerari, quot mortalia peccata deſignamus: vel etiam vt peccatorum moleſtiæ inſuentur, qui curis, laboribus, & difficultatibus huius mundi onerati ſępiſſimè ceſpitant, & præ onerum pondere frequenter naſum terræ alliduntt, licet peccandi conſuetudine & mundo ſeruiendi deſiderio ita hiſce laboribus aſſueuerint, vt negotiorum mundanorum grauiſſimū onus non percipiant, ſed quaſi Deum nunquam offendiſſent, nullaque ſarcina peccatorum onerati eſſent, ſecuro animo, & obtēto collo contra Deū obambulant, cum tamen plurimum timere debeāt. Vnde Iſaias mundanos alloquens ait: *Formido & fouea, & laqueus ſuper te qui habitator es terræ.* quaſi dicat. Vniuerſa quæ operaris in formidine verſantur, omnia quæ exſtruis tibi cædent in ruinam; Nec tamen his mouetur homo. Vnde pſalmiſta vanitatem mundanorum conſiderans, fœlicitatem autem atq; magnanimitatem eorum qui mundana contemnūt perpendens aiebat: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* ideſt, qui Mundana parui faciunt, & ad cor altum accedunt, hi honorem Dei exaltant atque extollunt; quī verò mundanis oblectantur deſiderijs, hi Deum inhonorant atque offendunt.

Zachar. 5.

Pſal. 53.

Cor altum ſecularia contēnit.

Infortunatus Manaſſes maximo cum dolore cordis Domino dicebat: *Incuruatus ſum multo vinculo ferri, & non eſt reſpectus mihi.* Sed multi ſunt qui miſeriā mundani oneris Domino demonſtrantes idem dicere poſſunt; qui inquam ab onere inſupportabili fatigati ſunt, qui prę multitudine negotiorum facti ſunt à ſenſibus alieni.

2. *Paral.* 36.

Pha-

Pharao videns multiplicationem filiorum Israel, aduocatis sui regni primatibus, dixit: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur* Non absimilis est huic mundus, non absimilis diabolus, qui Christiani populi requiem cernens varijs implicat negotijs, ne ijs intendant, quæ salutem animarum côcernunt, ne inquam ad cænam agni venire festinent. Inuitatos siquidem hodie variè implicat: *& abierût, alius in villam suam &c.* O importuna nimiû secularis vitę negotia! Nô tibi munde, sed cœlestibus, nati sumus. Non seruituti, sed libertati. Ideò enim noluit Salomon quemquam filiorum Israel seruum esse, sed omnes liberos constituit: *De filijs autem Israel, non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & Principes, & Duces, & præfecti curruum, & equorum.* Neque pariter vult Deus, vt Christiani mundi sint mancipia, sed vt è contra mundo ciues sint cælici, atque aulæ cœlestis Principes.

Mundus côparatur Pharaoni. Exod.1.

3.Reg.9.

Deus vetat nos vilibus assici.

Ideò Dominus Deuteronomij 22.c. inhibuerat ne in vineis arbores plantarentur, ne forte fructum propaginis impedirent, & hoc in huius rei figuram: vult enim Deus cor nostrum omni mundana cura vacuû esse, vt solum ipse pamphili fructum recipiat. Deo namque debentur principaliter primitiæ fructuum, amorum principia, cordis nostri debetur integritas. Rebecca iuxta fontis alueum potum tribuit procuratori Abrahami; camelis autem propter Dominû; sic principales cordis nostri affectiones Deo tribuendæ sunt, minores verò, proximis propter Deum. Nihil cordi nostro inesse debet præter diuini amoris incendium, nihil inueniri debet, quod non cœlestia sapiat desideria. Nihil inquam terrenum in nobis debet requiescere, quod possit cœnæ agni dulcedinê euacuare; Ne fortè varijs præpediti negotijs idem de nobis dicatur, quod de istis inuitatis dictum est; *& abierunt alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.*

Deut.22.

Gen.34.

Amor mūdi nocet saluti. *suam*. Ecce amor mundi, ecce auaritia, ecce id omne quod cœlestium præpedit viam delectationum. Dū *Gen. 31.* Rachel sponsi sui domum petitura, Idola parentis sustulisset, subitò Laban eam infestat, atque direpta reposcit: Sic mundus dum nos cœlestem Patriam petimus, turbat, vexat, atque varijs implicat negotijs. *Psal. 44.* Ideò Sapiens deuotæ animæ consilium tribuens ait: *Amor diuitiarum inquietat hominem.* *Audi filia & vide, inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum Patris tui*. Ah quantum mali, quantum detrimenti, quantamque parit homini perniciem, perniciosa diuitiarum cupiditas! In huius *2. Reg. 14.* figuram Absalon aureis ornatus licet capillis, semel tamen in anno tondebatur, quia grauabat eum cesaries, & deprimebat: aurei capilli diuitiæ sunt, quæ nisi dolorem parerent animo, gratæ & acceptę essēt; conscientiam namque grauant, & mille animo ærumnas pariunt. Hoc significare volens Christus, Marthæ dicebat: *Martha Martha sollicita es & turbaris circa plurima*. turbabatur equidē circa curam domus, *1. Reg. 18.* & circa rerum domesticarum gubernationē. Eādem ob causam dicebat Dauid; *An parum vobis esse videtur, esse gener regis?* quasi diceret; honores sequuntur curę, curas verò sequuntur somnia, an parum ergò videtur hisce implicari? Idem dicere possum diuitiarū, atque mundi Amatoribus. *An parū tibi esse videtur, esse diues mundi?* ô quantum periculi, quantum secū fortunę trahit, Diuitiarū Amor! Cupiditas .n. diuitiarū *Diuitiæ pericula secum ferunt.* cōuiuiū est Absalō, in quo Amon vita priuatus fuit, *2. Reg. 13.* Si .n. quandoque mundus diuitias præbens blandiri *1. Reg. 18.* videtur, ah! nō blanditur, sed infamiæ inducit notā, sed dedecoris infigit maculā. Eadē fraude vtitur qua vtebatur Saul, dū Dauidē militibus ducē assignauit, non honoris causa, sed vt eū citius liberiusq; in belli *Mundus suos eleuat vt perdat.* fortuna, vita spoliaret. Sic inquā agit mundus, qui honoris scintillas mūdanis tribuit, vt exinde in per- *Iud. 9.* niciē perpetuā pertrahat. Ambitiosa illa Rhamnus, de qua in libro Iudicum, quam diu sua sorte contēta fuit, floruit, agrum exornauit, & sepimenti loco

seruijt:

seruijt: Ad regiam autem dignitatem euecta, alijsque arboribus imperans, tam ipsas quam seipsam incendit & consumpsit. ô pulchram allegoriam! Quanti sunt qui in humili statu viuentes modica negotia prospere tractant, quiete viuunt, omnia ipsis cum prospera fortuna arrident: Ad dignitates autem & honores euecti, Reipublicæ officijs adhibiti, in negotijs regni constituti, in suam ruinam & damnationem incidunt? Dum pugnaret Saul contra Philistijm *totum prælij pondus versum est in Saul*, & reuera idem mundanis contingit; nam astutus ille Philistæus, dũ honorat, dum ad dignitatum fastigia subleuat aliquem, in eum persecutionum omnium sagittas immittit, vt in ruinam trahat.

Hic mundus figuratus est 2. Machab. 3. Vbi cum Antiochus Heliodorum misisset vastaturum tẽplũ Hierusalẽ, is mandata Regis exequens præclarè admodũ à duobus equitibus exceptus est. Vnde reuersus Regi dicebat: *Si quẽ habes hostẽ aut regni insidiatorẽ, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit.* *2. Mach. 3.* Similis iterum mundus est Diabolo tentanti Dominum in deserto, & dicenti. *Mitte te deorsum*: Nam blãditiæ, Lenocinia omnia quæ præbet mundus, nihil præter ruinam hominum spirant. Ideo Dominus ambitiosos reprehẽdens discipulos sic allocutus est, *Nescitis quid petatis.* *Matth. 4.* *Matth. 20*

Psalmista regius loquẽs de diuitibus, & auri atque diuitiarũ cupidis, cũ dixisset: *Et relinquẽt alienis diuitias suas, & sepulchra eorũ domus illorũ in æternũ*, subiungit: *Hæc via illorũ scãdalũ.* Quã viam inuestigans S. Ioan. Chrysʃ. inquit: *Quæ est illa via videamus de qua loquitur hic Propheta? Sane est illud studium & diligentia quam ponunt mũdani in sequẽda sua vanitate; insana illa cupiditas habendi bona, & insatiabilis sitis honoris mundi, quod totũ non est paruum impedimentum ad virtutem operandam.* Rectè accommodat verba sua parabolæ nostræ, *Et abierunt alius in villam suam, & alius in negotiationem suã.* *Psal. 48.* *Chrys. in Psal. 48.*

Iob agẽs de metallis pretiosis, vocat Aurũ gygãtes

gementes, dicens; *ibi gygantes gementes sub aquis*, vel
Iob.26. quia tyrannidem inducunt hominum pectoribus per concupiscentiam; vel quia possidentes se tyrannicè excruciant & trucidant.

Num.13. Similes sunt Diuitiæ terræ isti de qua exploratores reuersi aiebant: *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populus quem aspeximus, proceræ staturæ est; ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gyganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Diuitiæ habitatores suos deuorant, & inperpetuum exitium deducunt.

Gen.33. Qui diuitijs onusti sunt Dominum difficile sequi possunt, sicut Iacob Fratrem Esau sequi non poterat, cui sic roganti, *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui*, respōdit: *Nosti Domine mi, quod paruulos habeā teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges; præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Videmus enim hos inuitatos varijs rebus occupatos recusare cænæ gaudia, atque nuptiarum conuiuijque opipari luxum relinquere, Vnde Rex ira feruens, aliò diuertit seruos dicens:
Pulchra allegoria. *Ite in exitus viarum, & quoscunque obuios inueneritis, vocate ad nuptias.* Mittit non per compita & plateas ciuitatis, sed in exitus viarum, vt ostendat in ijs peccatores vitijs nimium esse implicatos; in his autem exitibus viarum omni cura destitutos; Nam per exitus viarum intelliguntur hominis nouissima, quæ iubentur prędicatores & doctores hominibus enunciare, vt à peccatorum nexibus reuocentur. Ideo Isa-
Isa.7. ias redarguens impietatem Babylonis inquiebat; *Non posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es nouißimi*
In Thren. *tui.* Idem Hieremias intonabat dicens: *Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis eius.* Ite igitur Sacri eloquij satores, mortis ostendite necessitatem, nouissima proponite vt conuertantur. Hæc est volūtas Domini dicentis: *Prędicate Euangelium omni creaturæ.* Vocate quoscumque inueneritis ad nuptias.

Nam

Nam Dominus Ecclesiæ suæ sectatores vocat per vocem sponsi dicentis: *Veni de libano sponsa mea, veni de libano &c.* Quæ verba intelligunt Patres de Ecclesia; nam illa Leonum spelæa, & Leopardorum mōtes, potentes Reges instar Leonum, superbos, arrogantes, ac furentes, & ad instar Leopardorum variis peccatorum maculis conspersos interpretantur. *Et quoscunque inueneritis vocate ad nuptias.* Ad Ecclesiam intrare compellite, bonos & malos complectitur; in hoc Euangelico agro cum tritico zizania pullulant; in hac arca Noe cum coruis columbæ reperiūtur; in hoc grege Iacob albæ oues nigricantibus permiscentur; in hac area Patrisfamilias à bono grano paleæ nondum separantur; in hoc rete Petri boni & mali pisces ex hoc mundi salo concluduntur.

Tert. l. 4. contra. Marc. Greg. Nyss. Theod. & ali[i] sup. Cant. 4.

Agedum ergò ô plebs fidelis, cogitate me huius tanti Principis nuntium, cœlestibus litteris munitū, qui singulos ad has æternæ beatitudinis nuptias inuitare missus sim: Venite omnes, sedulo occurrite, occupationibus mundanis ne retardemini, nugas vestras tanti ponderis negotijs ne præferatis; cauete, ne vobis venire recusantibus, mandato cœlesti ad exitus platearum, ad extimos mundi fines, ad remotos, barbarosque, populos Indos, Iapones, Sinenses, Brasilienses & Peruanos nobis abeundum sit, vt etiam hos ad regales nuptias inuitemus. Hodie vos inuito, venire festinate, parata sunt omnia, apertum cœlum, remissio oblata, Sacramenta donata, gratia nos exspectat, merita Christi nobis deseruient, tantus indulgentiarum thesaurus est, vt nihil desit. *Venite ad nuptias.*


Tu interim ô summe & potentissime Deus magnificè aliquando has nuptias filio tuo celebrasti cū ei humanam naturam insolubili matrimonio copulasti, tibi placitas, nobis vtilissimas. Hanc nobis, Bone Deus, gratiam largiare, vt tuis monitionibus humiliati eis digni efficiamur; Tu enim es, qui nos

modo per Prophetas & Apoſtolos vtriuſque legis; modo per Patres & Doctores Eccleſiæ ad hoc epulū inuitas; imo frequenter per Angelos tuos ſecretis inſpirationibus vocas; fac Domine tuæ vocationi reſpondeamus: abſit ingratos illos imitemur; abſit pro cœlo terram amplexemur; te præ mundo negligamus: Non ita Domine, non ita, ſed omiſſis curis & ſolicitudinibus huius ſæculi, alacri gradu ad nuptias æternę beatitudinis contendamus; quo nos perducat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 4.

FIGVRA.



2. Paral. 20.

IOſaphat Rex opulentiſſimus afflictione grauiſſima percuſſus, ex qua eum vires quidem humanæ eripere valebant; percuſſus inquam, atque hoc dolore circumdatus propter obſidionem vrbis Hieruſalem, templum petijt, ibique genibus curuatis Dominum deprecabatur dicens: *Sed cū ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te*. Hoc etiam apud nos inoleuit, nunquam enim Dominū deprecamur niſi in tribulationibus, atque extremo vitæ periculo verſemur. Videmus equidem Regulum cuius filius infirmabatur, pedibus Domini aduolutum, ſanitatē deprecari. Deus autem qui miſericors & pius eſt, clementia motus, filium priſtinæ reſtituit ſanitati, vt in ſerie Euangelica videre eſt. Quā expoſiturus diuinam opem implorabimus dicentes. *Aue Maria.*

Tribulationes sūt

Sacrę tribulationes, quę à manu omnipotētis procedunt, ad vitiorum caſtigationem atque ſuperborū cordium

cordium humiliationem, tanto in honore fuerunt, *fauores &*
vt eas sancti Patres, cæli ianitrices, altissimi fauores, *gratiæ ce-*
vitæ directrices dicere non dubitauerint; Et reuera *lestes.*
ita est, his namque ad bonæ vitæ semitam reducere
studet Dominus. Ionathæ visum melle reparauit *1.Reg. 14.*
Dominus; felle verò Tobiæ oculorum restituit acu- *Tob.12.*
men. Reparat plerumque Deus peccatorum morbos
dulcedine, plerũq; alios amaritudinibus restituit sa-
nitati. Has tribulationes magni faciebat Dauid. Nã
loco horũ verborũ, *Mihi autem nimis honorati sunt ami-*
ci tui Deus, iuxta phrasim hebraicã dici potest, vt aie-
bat Dauid: *Mihi autem valdè pretiosæ factæ sunt afflictio-* *Psal.138.*
nes tuæ. quia dum hæ ad me deueniunt in meipsius
cognitionem me perducunt. Ideò in varijs scripturæ
locis dicuntur Sagittæ: *Sagittæ tuæ transeunt, vox toni-*
trui tui in rota. transeunt inquit, quia incommodi ni-
hil, nihil pariunt detrimenti, sed monent dumtaxat,
non vero nocent.

Similes sunt tribulationes sagittæ missæ Cicero- *Polyd.l.8.*
ni in vltimo vitæ discrimine posito, per Cæsarem,
in qua scriptũ erat: *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, expe-*
cta auxilium. Nam eas mittit Deus quasi admonitri-
ces & salutis per patientiam atq; alias virtutes adiu-
trices. Harũ fœlicitatẽ non ignorabat qui canebat;
Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuo- *Psal. 114.*
caui. Inueni inquit tribulationem, nõ quam deuitaui,
sed quam ardenti animo concupiui, fructum & e-
molumentum inde profecturum non ignorans. Illæ *Tribula-*
siquidem tanti sunt valoris, tantæque æstimationis, *tiones sũt*
vt etiam inter Dei thesauros annumerentur. *Qui pro-* *partes*
ducit ventos de thesauris suis. Opulentæ domus, & di- *thesauro-*
uitias possidet & thesaurum; diuitiæ, cõmunibus de- *rum Dei.*
seruiunt impendijs, at thesaurus maioribus asserua- *Psal.134.*
tur negotijs: Domus Dei opulenta est domus, diui-
tias misericordiæ suæ benignus diebus singulis e- *Rom.10.*
rogat, *Diues in omnes qui inuocant illum*; & thesau-
rum in aliud asseruat tempus ex quo frequen-
ter tribulationum producit ventos, vt electos

meritis

bus naturæ finem dederunt, atque bestiarum more vixerunt. Ideo enim Nabuchodonosor in feram transmutatus fuit, dum à Deo dictum fuit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, regnũ tuum transibit à te. Et ab hominibus eijcient te & cum bestijs & feris, erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes &c.* Ideò etiam Titus & Vespasianus apri vocantur ob crudelitatem, quam ex obliuione humanitatis sibi consciuerant. *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Vbi Psalmista agit, de excisione vrbis Hierusalẽ quam ipsi procurarunt. Insuper hęc suiipsius obliuio crudelitatem maximam animo principis inducit, Reipublicæ perturbat ordinem, bonę compositionis statum corrumpit, legum iusta annihilat, denique mutationem vniuersis comparat rebus. Homo ergò sit, qui benè & rectè regnare cupit. Regale namque munus duo brachia habet, iustitiam nempè & misericordiam, horum qui altero caruerit mancus erit, qui autem vtraque habuerit, nullo negotio difficillima quæque imperij sui negotia resoluet. *Simile est regnum cœlorum homini regi.*

Dan. 4. *Psal. 79.* *Crudelis Rex ruina populi.* *Regiæ maiestatis duo brachia iustitia & Misericordia.* *Cant 2.* *Greg. in com. loci.* *Ambros. l. de Instit. Virg. c. 16.* *Bern. ser. 2. de Epiph.* *Aug. orat. contra Iudæos, Pagan. & Arian. tom. 9.* *D Gregor. comment. in hunc locum.*

Sed quid Rex iste agit? *Fecit nuptias filio suo.* Quę nuptiæ in Incarnationis mysterio celebratæ fuerũt, dũ Pater cœlestis filium suum vnigenitum humanitati coniunxit, atque ratione illius desponsationis Ecclesiastici Imperij dignitate donauit. De qua dignitate agens sponsa in Canticis ait: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius*, quem locum scripturæ nuptijs incarnationis accommodant Patres; inter quos Ambrosius inquit: *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit; coronauit eum quando generauit.* Clarius multò Augustinus, dicens: *Idem vnus ipse Christus, qui processit ex vtero virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, in quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ sunt; Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus, & totus homo.* D. Gregorius non absimilia differit, inquiens:

Tunc

Tunc Deus pater filio suo nuptias fecit, quando, hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante sæcula, fieri voluit hominem in fine sæculorum. quarum quidem nuptiarum excellentiam præuidens Psaltes regius exclamarat: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O nuptias! ô thalamum omni admiratione dignum! *Psal. 18.*

Trinam nôtat Synagogæ cum Christo desponsationem D. Hieronymus. Primam dicens in Circuncisione factam fuisse; Secundam in legislatione; Tertiã autem fuisse factam censet in incarnatione; quas quidem desponsationes figurarant cõiunctio Moysis cum AEthyopissa; Samsonis cum Philistæa, & Assueri cum Iudæa. *Christus ter Synagogæ est desponsatus. Super epi. ad Cor.*

Ad has nuptias vniuersus orbis inuitatur. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* in cuius rei figuram scriptum est Apocal. 19. *Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem tubarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni &c.* Prima vox tubæ similis, vox fuit Patris intonantis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Aliæ voces tonitruo similes, voces fuere Prophetarum, de quibus in Actibus dicitur; *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Postremæ verò voces similes multitudini tubarum, voces fuerunt Apostolorum de quibus dicitur: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi Domini nostri,* Voces sunt inuitantium, & dicentium, *Omnia parata sunt,* scilicet in Passione Domini, atque in Sacramentorum institutione. Ideò Prophetis prioribus datum nõn fuit vt hoc dicere valerent, sed vt solummodo, ad nuptias venturas inuitarent Hebræos; Apostolis verò datum est, vt omnibus iam apparatis, omnia parata esse denuncient. *Omnia parata sunt, venite &c.* Diabolus fugam cœpit, mors vitam perdidit, cælum patet, Inferni ianua occlusa est, Redem- *Apoc. 19. Matt. 3. Act. 10. Act. 4. Christi aduentu omnia nobis parata sũt.*

ptio peracta, Christus Crucifixus, homo gratiæ restitutus, omnia denique parata sunt. Ah quanto cũ gaudio vocem hanc recepissent Sancti Patres! Inuitati equidem erant, at necdum omnia parata: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus.* Ideò Dominus contemporaneis suis dicebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Iudicet vnusquisque vestrum quantus sit nuptiarum apparatus, dum ego secundam inchoans partem inuitatorum ingratitudinem ostendere pergo. *Illi autem neglexerunt &c.*

Hebr. 11.

Luc. 10.

Magna Mundi cæcitas.

Cant. 5.

Omnibus itaque iam paratis, expeditos seruos mittit, qui inuitatos festino pede conuocent; illi verò parui pendentes vocationem alius ad alia transmeauit negotia. Quod preclarè figuratum est in Cãticis, vbi sponsa amantissimum redarguens ait: *Quæsiui illum, & non inueni; & vocaui, & non respondit mihi: Et neglexerunt & abierunt &c.*

O insaniam humanæ mentis! ô insanam cordis humani cæcitatem! expediebat vt contemptis inferioribus, illa mens cælestibus intenderet delicijs; at ipsa contrarium faciens, cœlestibus parui habitis, mundanis insistit voluptatibus. Quas qui contemnit Heroicum demonstrat animum, & qui pedibus conterit, magnanimos se gerere spiritus ostẽdit. Nec quidem Paganos hoc latuit. Nam vt refert Philippus Diez: Alexander Macedo oblectationis causa à Philosophis inquirens quid maximum esset in rerum natura, varias à varijs responsiones accepit. Primus enim eorum, montem Olympium, cætera quæ in mundo erant magnitudine superare censebat; Secũdus, aquam esse asserebat, quippè cui virtutem ignis demoliendi potestas data esset: Tertius verò Solem esse censuit, cui scilicet illuminandi ratio maxima data esset, sed & hic, vt alij à veritate aberrauit. Quartus autem, atque veritati maximè vicinus, animum magna contemnentem, maximum esse declarauit. Quique meo iudicio optime elocutus est, hoc enim pacto res huius mundi, ita caducas ostendit,

Phil. Diez Tom. 4. *Dom.* 5. *post Pasch. conc.* 1.

Animus magna cõtemnens verè magnus est.

dit,vt is merito laude dignus ſit, qui eas pro nihilo reputauerit. Sed ô infauſtos noſtri Euangelij homi- *Sathanas*
nes,qui cœleſtibus ſpretis, terrenis inhiant delicijs. *& Mūdus*
Inſaniam reuera deplorandam! Non enim ad labo- *plures quā*
rem,non ad anguſtias, non ad dolores vocantur, *Deus ſe-*
ſed ad nuptias,interim venire neglexerunt. Vocat *ctatores*
ad dolores, vocat ad moleſtias,vocat ad laborem & *habent.*
ærumnas,Satan,& hunc feſtino gradu inſequitur vniuerſus orbis. Vocat Dominus ad nuptias filij, ad delicias agni;at ipſi obcæcati venire refugiunt.

Cum animos plebis à Rege Dauid auertere vellet Saul;ad eos dicere cœpit: *Audite me nunc filij Iemi-* 1.Reg. 22.
ni, nunquid omnibus vobis dabit filius Iſay agros,& vineas,& vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones,quia coniuraſtis omnes aduerſum me? Maiori profectò cum ratione Dominus cõqueri poteſt de nobis,qui ſpreto cœleſtis regni Dominio,in tyrannicam ſeruitutem properamus,non attendentes, quia Dæmon vltra tormenta nihil habet, quod largiatur. Tanta, tanta eſt hominum in mundanis voluptatibus cæcitas!

Aman ſummo ſe honore affectum arbitrabatur *Eſther. 5.*
quod ſolus ad conuiuium Eſther vocatus erat,ideoque dicebat,*Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me,apud quam etiam cras, cum Rege pranſurus ſum.* & hi ad nuptias regias vocati, non modo honori nõ tribuũt,ſed & venire neglexerunt. Vix Aſſuerus conuiuium extruxerat,cum opti- *Eſther. 1.*
mates vniuerſi ad illud conueniunt; hi verò ita à ſenſu alieni ſunt,vt inuitati venire negligant. *Et neglexerunt & abierunt alius in villam ſuam &c.*

Mirum ſanè eſt quomodo mundani cum à mũ- *Mundū li-*
do premantur cum tanto amore proſequantur. Sa- *bētius quā*
tius foret,ſi Deum diligerent; mundus enim vin- *Deum ſe-*
cit mundanos vinculis multiplicibus, at Chri- *quimur.*
ſtus vno tantum onere ſuos onerat milites, &

quidem suaui, *Iugum enim* (vt inquit) *meum suaue est, & onus meum leue*. Hebræi ollas carnium AEgypti vix dimittere poterant, cum tamen à Tyrannica Zachar. 5. seruitute liberarentur. In Zacharia legimus, *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ & dixit, hæc est impietas*; ad innuendũ scilicet quam graue & onerosum peccati pondus sit, totque talenti ponderibus humeros nostros onerari, quot mortalia peccata designamus: vel etiam vt peccatorum molestiæ insuentur, qui curis, laboribus, & difficultatibus huius mundi onerati sępissimè cespitant, & præ onerum pondere frequenter nasum terræ allidunt, licet peccandi consuetudine & mundo seruiendi desiderio ita hisce laboribus assueuerint, vt negotiorum mundanorum grauissimũ onus non percipiant, sed quasi Deum nunquam offendissent, nullaque sarcina peccatorum onerati essent, securo animo, & obtẽto collo contra Deũ obambulant, cum tamen plurimum timere debeãt. Vnde Isaias mundanos alloquens ait: *Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ.* quasi dicat. Vniuersa quæ operaris in formidine versantur, omnia quæ exstruis tibi cædent in ruinam; Nec tamen his mouetur homo. Vnde psalmista vanitatem mundanorum considerans, fœlicitatem autem atq; Psal. 53. magnanimitatem eorum qui mundana contemnũt *Cor altum secularia contẽnit.* perpendens aiebat: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* idest, qui Mundana parui faciunt, & ad cor altum accedunt, hi honorem Dei exaltant atque extollunt; qui verò mundanis oblectantur desiderijs, hi Deum inhonorant atque offendunt.

Infortunatus Manasses maximo cum dolore cor- 2. Paral. 36. dis Domino dicebat: *Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respectus mihi.* Sed multi sunt qui miseriã mundani oneris Domino demonstrantes idem dicere possunt; qui inquam ab onere insupportabili fatigati sunt, qui prę multitudine negotiorum facti sunt à sensibus alieni.

Pha-

Pharao videns multiplicationem filiorum Israel, aduocatis sui regni primatibus, dixit: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur* Non absimilis est huic mundus, non absimilis diabolus, qui Christiani populi requiem cernens varijs implicat negotijs, ne ijs intendant, quæ salutem animarum côcernunt, ne inquam ad cœnam agni venire festinent. Inuitatos siquidem hodie variè implicat: *& abierūt, alius in villam suam &c.* O importuna nimiū secularis vitę negotia! Nō tibi munde, sed cœlestibus, nati sumus. Non seruituti, sed libertati. Ideò enim noluit Salomon quemquam filiorum Israel seruum esse, sed omnes liberos constituit: *De filijs autem Israel, non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & Principes, & Duces, & præfecti curruum, & equorum.* Neque pariter vult Deus, vt Christiani mundi sint mancipia, sed vt è contra suo ciues sint cælici, atque aulæ cœlestis Principes.

Mundus cōparatur Pharaoni. Exod. 1.

3. Reg. 9.

Deus vetat nos vilibus asfici.

Ideò Dominus Deuteronomij 22. c. inhibuerat ne in vineis arbores plantarentur, ne fortè fructum propaginis impedirent, & hoc in huius rei figuram: vult enim Deus cor nostrum omni mundana cura vacuū esse, vt solum ipse pamphili fructum recipiat. Deo namque debentur principaliter primitiæ fructuum, amorum principia, cordis nostri debetur integritas. Rebecca iuxta fontis alueum potum tribuit procuratori Abrahami; camelis autem propter Dominū; sic principales cordis nostri affectiones Deo tribuendæ sunt, minores verò, proximis propter Deum. Nihil cordi nostro inesse debet præter diuini amoris incendium, nihil inueniri debet, quod non cœlestia sapiat desideria. Nihil inquam terrenum in nobis debet requiescere, quod possit cœnæ agni dulcedinē euacuare; Ne fortè varijs præpediti negotijs idem de nobis dicatur, quod de istis inuitatis dictum est; *& abierunt alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.*

Deut. 22.

Gen. 34.

Amor mūdi nocet saluti. *suam.* Ecce amor mundi, ecce auaritia, ecce id omne quod cœlestium præpedit viam delectationum. Dū
Gen.31. Rachel sponsi sui domum petitura, Idola parentis sustulisset, subitò Laban eam infestat, atque direpta reposcit: Sic mundus dum nos cœlestem Patriam petimus, turbat, vexat, atque varijs implicat negotijs. Ideò Sapiens deuotæ animæ consilium tribuens ait:
Psal. 44. *Audi filia & vide, inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum Patris tui.* Ah quantum mali,
Amor diuitiarum inquietat hominem. quantum detrimenti, quantamque parit homini perniciem, perniciosa diuitiarum cupiditas! In huius
2.Reg.14. figuram Absalon aureis ornatus licet capillis, semel tamen in anno tondebatur, quia grauabat eum cesaries, & deprimebat: aurei capilli diuitiæ sunt, quæ nisi dolorem parerent animo, gratæ & acceptę essēt; conscientiam namque grauant, & mille animo ærumnas pariunt. Hoc significare volens Christus, Marthæ dicebat: *Martha Martha sollicita es & turbaris circa plurima.* turbabatur equidē circa curam domus,
1.Reg. 18. & circa rerum domesticarum gubernationē. Eādem ob causam dicebat Dauid; *An parum vobis esse videtur, esse gener regis?* quasi diceret; honores sequuntur curę, curas verò sequuntur somnia, an parum ergò videtur hisce implicari? Idem dicere possum diuitiarū, atque mundi Amatoribus. *An parū tibi esse videtur, esse*
Diuitiæ pericula secum ferunt. *diues mundi?* ô quantum periculi, quantum secū fortunę trahit, Diuitiarū Amor! Cupiditas .n. diuitiarū cōuiuiū est Absalō, in quo Amon vita priuatus fuit,
2.Reg. 13. Si .n. quandoque mundus diuitias præbens blandiri
1.Reg. 18. videtur, ah! nō blanditur, sed infamiæ inducit notā, sed dedecoris infigit maculā. Eadē fraude vtitur qua vtebatur Saul, dū Dauidē militibus ducē assignauit, non honoris causa, sed vt eū citius liberiusq; in belli
Mundus suos eleuat vt perdat. fortuna, vita spoliaret. Sic inquā agit mundus, qui honoris scintillas mūdanis tribuit, vt exinde in pernitiē perpetuā pertrahat. Ambitiosa illa Rhamnus,
Iud.9. de qua in libro Iudicum, quam diu sua sorte contēta fuit, floruit, agrum exornauit, & sepimenti loco

seruijt;

seruijt: Ad regiam autem dignitatem euecta, alijsque arboribus imperans, tam ipsas quam seipsam incendit & consumpsit. ô pulchram allegoriam!! Quanti sunt qui in humili statu viuentes modica negotia prospere tractant, quiete viuunt, omnia ipsis cum prospera fortuna arrident: Ad dignitates autem & honores euecti, Reipublicæ officijs adhibiti, in negotijs regni constituti, in suam ruinam & damnationem incidunt? Dum pugnaret Saul contra Philistijm *totum prælij pondus versum est in Saul*, & reuera idem mundanis contingit; nam astutus ille Philistæus, dū honorat, dum ad dignitatum fastigia subleuat aliquem, in eum persecutionum omnium sagittas immittit, vt in ruinam trahat.

Hic mundus figuratus est 2. Machab. 3. Vbi cum Antiochus Heliodorum misisset vastaturum tēplū Hierusalē, is mandata Regis exequens præclarè admodū à duobus equitibus exceptus est. Vnde reuersus Regi dicebat: *Si quē habes hostē aut regni insidiatorē, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit.* 2. Mach. 3. Similis iterum mundus est Diabolo tentanti Dominum in deserto, & dicenti. *Mitte te deorsum*: Nam blāditiæ, Lenocinia omnia quæ præbet mundus, nihil præter ruinam hominum spirant. Ideo Dominus ambitiosos reprehēdens discipulos sic allocutus est, *Nescitis quid petatis.* Matth. 4. Matth. 20

Psalmista regius loquēs de diuitibus, & auri atque diuitiarū cupidis, cū dixisset: *Et relinquēt alienis diuitias suas, & sepulchra eorū domus illorū in æternū*, subiungit: *Hæc via illorū scādalū.* Quā viam inuestigans S. Ioan. Chrys. inquit: *Quæ est illa via videamus de qua loquitur hic Propheta? Sane est illud studium & diligentia quam ponunt mūdani in sequēda sua vanitate; insana illa cupiditas habendi bona, & insatiabilis sitis honoris mundi, quod totū non est parum impedimentum ad virtutem operandum.* Rectè accommodat verba sua parabolæ nostræ, *Et abierunt alius in villam suam, & alius in negotiationem suā.* Psal. 48. Chrys. in Psal. 48.

Iob agēs de metallis pretiosis, vocat Aurū gygātes

gementes, dicens; *ibi gygantes gementes sub aquis*, vel quia tyrannidem inducunt hominum pectoribus per concupiscentiam; vel quia possidentes se tyrannicè excruciant & trucidant.

Iob.26.

Similes sunt Diuitiæ terræ isti de qua exploratores reuersi aiebant: *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populus quem aspeximus, proceræ staturæ est; ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gyganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Diuitiæ habitatores suos deuorant, & inperpetuum exitium deducunt.

Num.13.

Qui diuitijs onusti sunt Dominum difficile sequi possunt, sicut Iacob Fratrem Esau sequi non poterat, cui sic roganti, *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui*, respõdit: *Nosti Domine mi, quod paruulos habeã teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges; præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Videmus enim hos inuitatos varijs rebus occupatos recusare cænæ gaudia, atque nuptiarum conuiuijque opipari luxum relinquere, Vnde Rex ira feruens, aliò diuertit seruos dicens: *Ite in exitus viarum, & quoscunque obuios inueneritis, vocate ad nuptias.* Mittit non per compita & plateas ciuitatis, sed in exitus viarum, vt ostendat in ijs peccatores vitijs nimium esse implicatos; in his autem exitibus viarum omni cura destitutos; Nam per exitus viarum intelliguntur hominis nouissima, quæ iubentur prędicatores & doctores hominibus enunciare, vt à peccatorum nexibus reuocentur. Ideo Isaias redarguens impietatem Babylonis inquiebat; *Non posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es nouissimi tui.* Idem Hieremias intonabat dicens: *Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis eius.* Ite igitur Sacri eloquij satores, mortis ostendite necessitatem, nouissima proponite vt conuertantur. Hæc est volũtas Domini dicentis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vocate quoscumque inueneritis ad nuptias.

Gen.33.

Pulchra allegoria.

Isa.7.

In Thren.

Nam

Nam Dominus Ecclesiæ suæ sectatores vocat per vocem sponsi dicentis: *Veni de libano sponsa mea, veni de libano &c.* Quæ verba intelligunt Patres de Ecclesia; nam illa Leonum spelæa, & Leopardorum mõtes, potentes Reges instar Leonum, superbos, arrogantes, ac furentes, & ad instar Leopardorum variis peccatorum maculis conspersos interpretantur. *Et quoscunque inueneritis vocate ad nuptias.* Ad Ecclesiam intrare compellite, bonos & malos complectitur; in hoc Euangelico agro cum tritico zizania pullulant; in hac arca Noe cum coruis columbæ reperiũtur; in hoc grege Iacob albæ oues nigricantibus permiscentur; in hac area Patrisfamilias à bono grano paleæ nondum separantur; in hoc rete Petri boni & mali pisces ex hoc mundi salo concluduntur.

Tert. l. 4. contra. Marc. Greg. Nyss. Theod. & ali aliiq; sup. Cant. 4.

Agedum ergò ô plebs fidelis, cogitate me huius tanti Principis nuntium, cœlestibus litteris munitũ, qui singulos ad has æternæ beatitudinis nuptias inuitare missus sim: Venite omnes, sedulo occurrite, occupationibus mundanis ne retardemini, nugas vestras tanti ponderis negotijs ne præferatis; cauete, ne vobis venire recusantibus, mandato cœlesti ad exitus platearum, ad extimos mundi fines, ad remotos, barbarosque, populos Indos, Iapones, Sinenses, Brasilienses & Peruanos nobis abeundum sit, vt etiam hos ad regales nuptias inuitemus. Hodie vos inuito, venire festinate, parata sunt omnia, apertum cœlum, remissio oblata, Sacramenta donata, gratia nos exspectat, merita Christi nobis deseruient, tantus indulgentiarum thesaurus est, vt nihil desit. *Venite ad nuptias.*

Tu interim ô summe & potentissime Deus magnificè aliquando has nuptias filio tuo celebrasti cũ ei humanam naturam insolubili matrimonio copulasti, tibi placitas, nobis vtilissimas. Hanc nobis, Bone Deus, gratiam largiare, vt tuis monitionibus humiliati eis digni efficiamur; Tu enim es, qui nos

modo per Prophetas & Apostolos vtriusque legis; modo per Patres & Doctores Ecclesiæ ad hoc epulũ inuitas; imo frequenter per Angelos tuos secretis inspirationibus vocas; fac Domine tuæ vocationi respondeamus: absit ingratos illos imitemur; absit pro cœlo terram amplexemur;te præ mundo negligamus:Non ita Domine, non ita, sed omissis curis & solicitudinibus huius sæculi,alacri gradu ad nuptias æternę beatitudinis contendamus;quo nos perducat Pater,Filius,& Spiritus Sanctus,Amen.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

*Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.*Ioan.4.

FIGVRA.

2.Paral. 20.



IOsaphat Rex opulentissimus afflictione grauissima percussus,ex qua eum vires quidem humanæ eripere valebant;percussus inquam , atque hoc dolore circumdatus propter obsidionem vrbis Hierusalem,templum petijt, ibique genibus curuatis Dominum deprecabatur dicens: *Sed cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui,vt oculos nostros dirigamus ad te* . Hoc etiam apud nos inoleuit, nunquam enim Dominũ deprecamur nisi in tribulationibus,atque extremo vitæ periculo versemur. Videmus equidem Regulum cuius filius infirmabatur, pedibus Domini aduolutum, sanitatẽ deprecari. Deus autem qui misericors & pius est,clementia motus,filium pristinæ restituit sanitati,vt in serie Euangelica videre est.Quã expositurus diuinam opem implorabimus dicentes. *Aue Maria.*

Tribulationes sũt

Sacrę tribulationes,quę à manu omnipotẽtis procedunt,ad vitiorum castigationem atque superborũ cordium

cordium humiliationem, tanto in honore fuerunt, vt eas sancti Patres, cæli ianitrices, altissimi fauores, vitæ directrices dicere non dubitauerint; Et reuera ita est, his namque ad bonæ vitæ semitam reducere studet Dominus. Ionathæ visum melle reparauit Dominus; felle verò Tobiæ oculorum restituit acumen. Repatat plerumque Deus peccatorum morbos dulcedine, plerũq; alios amaritudinibus restituit sanitati. Has tribulationes magni faciebat Dauid. Nã loco horũ verborũ, *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus,* iuxta phrasim hebraicã dici potest, vt aiebat Dauid: *Mihi autem valdè pretiosæ factæ sunt afflictiones tuæ.* quia dum hæ ad me deueniunt in meipsius cognitionem me perducunt. Ideò in varijs scripturæ locis dicuntur Sagittæ: *Sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.* transeunt inquit, quia incommodi nihil, nihil pariunt detrimenti, sed monent dumtaxat, non vero nocent. *fauores & gratiæ cæ- lestes.* *1. Reg. 14.* *Tob. 12.* *Psal. 138.*

Similes sunt tribulationes sagittæ missæ Ciceroni in vltimo vitæ discrimine posito, per Cæsarem, in qua scriptũ erat: *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, expecta auxilium.* Nam eas mittit Deus quasi admonitrices & salutis per patientiam atq; alias virtutes adiutrices. Harũ fœlicitatẽ non ignorabat qui canebat; *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Inueni inquit tribulationem, nõ quam deuitaui, sed quam ardenti animo concupiui, fructum & emolumentum inde profecturum non ignorans. Illę siquidem tanti sunt valoris, tantæque æstimationis, vt etiam inter Dei thesauros annumerentur. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Opulentæ domus, & diuitias possidet & thesaurum; diuitiæ, cõmunibus deseruiunt impendijs, at thesaurus maioribus asseruatur negotijs: Domus Dei opulenta est domus, diuitias misericordiæ suæ benignus diebus singulis erogat, *Diues in omnes qui inuocant illum;* & thesaurum in aliud asseruat tempus ex quo frequenter tribulationum producit ventos, vt electos *Polyd. l. 8.* *Psal. 114.* *Tribulationes sũt partes thesaurorum Dei.* *Psal. 134.* *Rom. 10.*

meritis

meritis cumulet, eorumque generositatem demonstret.

Fons quidam mirabilis typus tribulationum.

Cælius Calig. li. de ludo talorum.

Ecclef. 1.

Tribulationes à Deo immissæ, fons ille limpidissimus agri Ticinensis sunt, in quo alea immissa plures demonstrans gradus, pluraque puncta, fœlicitatis atque fortunæ pluralitatem designabat. Fons in quam ille est, quia quo plures apparuerint in homine tribulationum & afflictionum insultus, tanto plus virtutum energia atque generositas claret humani intellectus. In quod concurrere videtur Sapiens dũ inquit: *In tempore infirmitatis, ostende conuersationem tuam.*

Orig. Hõ. 9. in Exod.

Origenes homilia 9. in Exodum loquens de candelabro aureo, quod à parte septentrionali constitutum erat, figuram fuisse animarum iustorum censet, quas Dominus in tribulationum latere constituit, *ab aquilone* enim *pandetur omne malum,* vt earum cæsim turbine concussæ, varieque exagitatę, virtute maiori resumpta in maius transeant incendium. Fit enim vt per tribulationes animæ iustorum maiori diuini amoris igne concalescentes, Deo fiant gratiores, & earum merita efficiant ampliora. Neque enim per tribulationes concutitur anima, sed immobilis persistens sibi vendicat, quod olim antiqui adamanti non repercusso Hieroglyphicè adscripserant: *semper idem.* Semper eadem est anima, neque tribulationum malleo retunditur, neque virtutis aliquid amittit, sed magis ac magis firmatur, atque roboratur. Vtilis igitur animæ tribulatio est, quæ apprehensum regulum in hodierno euangelio Domini pedibus aduoluit. *Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Regulus dicitur, vel quia ex stirpe regia originem duceret, vel quod regia dignitate sublimis esset, vel vt censet Origenes regias vices regio in munere subijsset. Leontius, Chrysostomus, Theophylactus aliquos referunt, qui eundem esse censent cum Centurione Matth. 8. & Luc. 7. quod idem asserit Irenæus l. 2. c. 37. Beda, ab officio nomen sortitum

Scipio Admirat. lib. de Impress.

Propositio.

Cur dicatur Regul.

tum

rum esse asserit: Origenes consanguineum Cæsaris fuisse arbitratur: His similibusque probabilibus opinionibus relictis, arbitror, in regia dignitate constitutum ob iudiciarij muneris functionem nomē hoc fuisse sortitum. Num autem Iudæus fuerit, an gentilis disputant Patres, Origenes & Hieronymus gentilem fuisse dicunt; probabilius attamen est fuisse Iudæum. 1. quia Deus eum infidelitatis atque fidei modicæ reprehendit, quod non fecisset si gentilis fuisset. 2. quia signa petit quod Iudæorum erat proprium.

Huc spectat quod Richardus Brixius & alij nonnulli memoriæ prodiderunt, Fabium cunctatorem inter Romanos duces Maximum, vt ostenderet quas virtutum dotes in bono ac strenuo duce requireret, in annulo suo gemmam gestasse, cui insculpta erāt caput equi, facies hominis barbati, caput galli & pedes gruis: qui simul iuncta chimæram quandam cōstituere videntur, si tamen penitius inspiciantur Hieroglyphicum sunt pulcherrimarum virtutū quæ Imperatorem deceant: Caput enim equinum magnanimitatem & generosum in prælio pectus significabat. nam vt inquit Poëta, *Bello armantur equi*; vultus barbatus & pedes gruis prudentiam & vigilantiam rebus agendis adhibendam denotabant: Gallus autem bellicosi ducis symbolum est. Hæ qualitates in hoc Regulo emicabant qui belli fulmen & pacis oraculum habebatur. *Alexan. Cappa. l. 1. de Impress. Richar. Brixius lib. 1.* *Hieroglyphicū boni Ducis.*

Erat enim, homo cuiuis rei aptus, in bellis strenuus, in pace tranquillus, in aduersitatibus & tribulationibus fortis, vt ex Euangelio videre est. *Erat regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum*. Filius præpotētis, opulētissimi proles erat Parētis, Reguli erat filius, nec tamen iura naturæ thesauro redimere valet, nec morbi violentiam diuitijs euitare. Miseram sanè humani corporis conditionem! Tota Giezi progenies lepra infecta fuit; & tota Adami posteritas morbi contagio subiacet corrumpenda. Non regibus, *4. Reg. 5.*

bus, non sceptris, non infulis & tyaris parcit, sed miseriæ protoplasti participes æqua lance efficit parentis.

Dan. 2. Statua Nabuchodonozoris, diuersis conflata materijs, concussa lapillo, in cinerem redigitur; sic naturæ lapis concussos reges, qui sublimia tenebant dignitatum fastigia, mox cõmuni lege vti facit, cõmuni morbo, cõmunibusque subijcit hominũ miserijs.

Psal. 38. Quod intellexisse videtur Dauid cum dicebat. *Nõ saluatur Rex per multam virtutem, & gygas nõ saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Infirmitates etenim æquo pede pulsant pauperũ tabernas, regũq; turres. Vnde D.

Cur Deus morbos in mundo esse voluerit. Greg. interrogãdi occasionẽ sumit, cur cũ Deus sufficiẽtia in passione sua mundo tribuerit remedia (vt canit Ecclesia dicens: *Et copiosa apud eũ redẽptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius,*) infirmitates, morbosque peccatorum reliquias remanere

Psal. 129. permiserit? cum iuxta illud Philosophicum, *Sublata causa tollatur effectus*, cur inquam sublato peccato, quod morborũ causa est, remaneãt morbi & infirmitates?

Ad exsoluendum peccato debitas pœnas morbi hic regnant. Cui interrogationi responsione propria sibi variè idem satisfacit, & rationes adfert. Prima est, quia licet homo plenè redẽptus fuerit, tamẽ sanitatis integræ plenitudo pro altera vita reseruatur; nã in hac vita, ita peccatorũ nexibus subiacet homo, vt de eo varijs in locis scriptura bene dicat: *Septies in die cadit iustus*

Prou. 24. (.i *multoties*) & alibi, *Non est homo qui nõ peccet*: & iterũ,

Eccles. 7. *Etsi dixerimus, quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducim'.*

1. Ioan 1. In expiationẽ igitur pænarum peccatis debitarum morbi & infirmitates humanæ reseruatæ sunt. Quas

Patienter ferendi sũt morbi. ideo hilari serenoque vultu excipere deberemus, ad exemplum patientissimi viri Iob, qui aiebat: *Quis det,*

Iob. 6. *vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cæpit, ipse me conterat, soluat manũ suam, & succidat me: & mihi sit consolatio, vt affligat me dolore, & non par-*

D. Aug. in meditat. *cat.* Non absimile est quod Augustinus efflagitabat dicens: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Idem de-

Abac. 3. precabatur Abacuc dicens: *Ingrediatur putredo in ossibus*

bus meis & subter me scateat, donec quiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum. Et hæc est prima ratio.

Secunda. Licet homo plenè redemptus sit, eiq; sit copiosa gratiæ plenitudo concessa, qua possit spiritu facta carnis mortificare; tamen quoniam plerũq; insurgit in spiritũ caro, ideo infirmitates relictæ sunt quibus spiritus adiutus rebellem suo carnem subijciat dominio: Pugnant etenim intestino bello Spiritus & caro, non secus ac Iacob & Esau, qui ab vtero Matris bellum sibi mutuo indixerunt. Pugnat inquam spiritus, & tribulationum atque infirmitatum ope subleuatus carnis fit dominator. Et hoc indicare volebat Apostol. cum aiebat: *Cum infirmor tunc potens sum*; nam dum corpus infirmitatibus premitur, spiritus à curis & sollicitudinibus liberatur, vt bene testatur D. Greg. inquiens: *Infirmitas corpus cruciat, sed mentem curat*. Hoc idem indicare volebat Sponsa in Canticis dicens: *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Nigra quidem in corpore per afflictiones, at verò in anima formosa propter carnis obedientiam & spiritus requiem. Caro enim luctans cum spiritu similis est Iacob, qui cũ Angelo luctari volens claudus effectus est, ne igitur præualeret aduersus spiritum, relictæ sunt infirmitates, quibus caro mortificata, obediens reddatur spiritui. In cuius rei figuram præceperat Deus Iosue dicens: *equos eorum subneruabis & currus eorum combures*, quæ verba exponens Origenes ait: *Non præcepit Deus occidi aut subneruari reliqua iumenta, quæ oneribus ferendis apta sunt, quia caro non occidenda est, sed seruanda, ita tamen vt spiritui subdita onera ferat ieiuniorum, vigiliarumque. subneruatur quippe equus, quando ieiunijs & vigilijs, & abstinentiæ afflictione corpus humiliatur*. Cuius quidem repressionis fructum aduertentes Sancti Patres, omne studium in corporis maceratione constituebant. Hilarion enim corpus alloquens dicebat; *ego te fame conficiam, vt potius cibum cogites, quam*

Morbi ad corpus domandum relicti.

Gen. 25.

2. Cor. 12.

Cant. 2.

Gen. 32.

Iosu. 11.

Orig. Hō. 15. in Iosu.

Hier. in vita Hila.

Pallad. *quam delectationes*, Euagrius verò repræhensus, quod adeò in corpus proprium sæuiret, respondit: *occidit me, occido illum.* Postquam autem Apostolus corporis
2. Cor 12. sui macerationem ostendisset, subiecit: *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Ad
S. Bern. hæc addit Bernardus: *Optima infirmitas est, quæ Christi virtute compensatur.* Fœlix itaque filij regis infirmitas quæ tali potentiæ manu sanatur. *Cuius filius infirmabatur Capharnaum.*

Afflictiones nos ad Deũ ducunt. Infirmatur filius, Pater aduenit, & in angustijs cõstitutus opem diuinam implorat, iuxta psalmistam: *Ad Dominum cum tribularer clamaui:* & alibi: *In die tribulationis clamaui ad te, quia exaudisti me.* Non rogaui
Psal. 85. (inquit) sed clamaui; quoniam tribulationes circũ-
Dan. 4. dederant me. Nabuchodonosor mutatus in feram, quem cognoscere noluerat Deum, cum vi tribulationis agnoscit, vt creatorem. Alexander Macedo saucius sibi vltra honorem diuinum conferri velle se negat, quia humanæ fragilitatis sortem in se expertus erat. Hodiernus regulus, filium in extremo vitæ periculo constitutum videns, Dominum adit, opem implorat, auxilium expostulat. Sic dum in tribulationibus versamur, dum afflictionibus premimur, Dominũ inquirim⁹ ad instar filiorũ Israël, de
Psal. 77. quibus dicitur: *cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum.* Per tribulationes etenim fugat Deus peccatorum maculas, & morbos animæ pellit, & expurgat. Dum tribulamur Dei meminimus, dum autem fœlix aura fauet, eius omnino obliuiscimur. Id optimè figuratum fuit in magistro pincernarum Regis Pharaonis, qui à vinculis absolutus, pristinæque redditus dignitati, fautoris sui Ioseph non meminit; fitque ingratus, qui somnij gratam expositionem acceperat. Hoc detestans Deus, præmonebat dicens: *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram per quam iurauit patribus tuis Abraham, Isaac & Iacob, & dederit tibi Ciuitates magnas, & opti-*

Prospera Dei memoriam nobis eripiunt.
Gen. 40.
Deut. 6.

& optimas, quas non ædificasti, domos plenas multarum opum quas non exstruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta & olivueta quæ non plantasti, & comederis & saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Deum qui eduxit te de terra Aegypti: quibus verbis declarabat Deus fęlicitatem, adferre Dei obliuionem: tribulationem verò, Dei hominibus adferre memoriam. Hoc in regulo patet *cuius filius infirmabatur Capharnaum*; *& rogabat eum vt descenderet.*

Non vacat mysterio hæc reguli interrogatio. Id enim rogat quod antiqui Patres precibus assiduis sibi tribui flagitabant. Isaias aiebat: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes*, Dauid verò, *Inclina cælos tuos & descende* Matth. 27. *Si filius Dei es, descende de cruce.* Regulus autem hic, *rogabat eum vt descenderet*. Non adorat, sed rogat ad instar nobilium, qui dum aliquid postulant illud imperiose potius extorquent, quam flagitant. Sic dux Ochoziæ Eliam alloquebatur: *Homo Dei, rex præcepit: festina descendere.* Sic Naaman de Elyseo loquebatur; *Putabam quod egrederetur ad me propheta, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.* Et absimile non est quod Regulus noster agit Prudentius longè accedebat Mater filiorum Zebedęi *quæ accessit ad Iesum, adorans, & petens aliquid ab eo.* Prudentius magi, *qui procidentes adorauerunt eum.* At hic non adorat, *sed rogabat eum.*

Isaiæ 64. Psal 143. Matt. 27. Regulus more nobiliũ imperatiuè loquitur. 4. Reg. 1. 4. Reg. 5. Matt. 15. Matt. 20. Matth. 2.

Tantus est Nobilium fastus, tantaque Principum arrogantia, vt diuitiarum suarum cumulis inuoluti, quæ sunt rectæ rationis amittant, & in insipientiam deuoluantur. In hanc inciderat amentiam Domitianus Imperator, qui fastu plenus sibi diuinum honorẽ fieri imperarat. Nec absimilis erat Maximini arrogantia; qui Romanis Senatoribus suos osculandos pedes præbebat. Demetrius Macedoniæ Rex diuinũ honorem affectans, legatos Athenienś. biennium apud se detinuit. Talis erat & Nabuchodonosor qui in aurea statua effigiem suam populo præbebat adorandam:

Quorundã Imperatorũ superbia. Dan. 2.

Ezech.28. randam:de quibus Ezechiel aiebat: *eleuatum est cor*
Zach.6. *tuum in decore tuo*. Quos etiam Zacharias indomitis equis comparat dicens, *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; & montes, montes ærei.* Hi enim equi mirandi cum suis curribus quatuor monarchias designabant: Primi equi nigri imperiũ Chaldæorum & Assyriorum, ob molestias, iniurias ac tristitiam quam populum iudaicum perimendo, & conficiendo, orbi intulerunt: Secundi rubri à Persis & Medis effusum & effundendum sanguinem portendebant: Tertij albi clementiam Alexandri & græcorum erga Iudæos figurabant; Quarti varij Romanorum imperium varietate Principum conspicuum denotabant: omnia autem hæc imperia equis camparantur ob inhumanitatem, fastum, & arrogantiam, quæ in huiusmodi imperijs, & viris plerũque relucet, vt & in hodierno clarum est. *& rogabat eum vt descenderet.*

Rex rogat, pro filio rogat, quæ quidem duo precibus virtutem quandam adferunt. Dauid Deum ro-
Psal.143. gans in Regia qualitate rogabat dicens: *Domine saluũ fac regem* & iterum: *qui das salutem regibus*. quasi dicat: Cum rex cęterorum sit caput, æquum est ne fortè cœtera membra pereant, vt regiam conserues dignitatem, quæ in regiæ prolis conseruatione consi-
Psal.71. stit. Ideò alias pro Salomone rogabat: *Deus* (inquiens) *iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.*

4.Reg.20 Ezechias per vocem Prophetæ morti adiudicatus amarissimè flebat, quoniam liberis, regni sui succes-
Gen.15. soribus destitutus erat. Abraham similiter prole carens apud Dominum conquerebatur dicens: *hic vernaculus hæres meus erit?* Eadem angitur passione cor-
Officium parentum erga filios. dis Princeps noster, quia filium vicinum mortiuidet, ideoque *rogabat eum vt descenderet*. Parentis sanè munus peragebat, dum sollicitus filij sanitatem inquirebat: Eorum enim est in virtutibus filios educare, qui

Paren-

Parentum nomine volunt honestari. Si enim filij degenerauerint à virtute parentum, hi non filij, sed spurij censendi sunt. Dicitur coruos pullos suos adhuc albicantes ob diuersum à suo colorem aspernari & negligere tanquam suppositilios; quod hominibus S. Greg. accommodat, & prætcrea notat, etiam adeo aspere exceptos & educatos pullos progenitoribus suis obedientiam deferre. Similiter narrant Aquilam exclusos pullos in altum subleuare solis clare splendentis radijs opponere, visum auertentes reijcere, defixo autem obtutu solem intuentes educare; quo monentur veri parentes ab incunabilis suos ad virtutem exercere, Deum timere, lumine solis iustitiæ delectari: Et sic bene hic sanitatem corporalem filij inquirit parens, fortassis autem animæ paruipendit, nec curat valetudinem. Ah quam multi eiusmodi sunt; Iustum quidem est vt & corpus curetur cum anima, attamen alia lance ponderanda est salus animæ, alia salus corporis. Hoc figuratum fuit in antiqua lege; Nam alia lance ponderabantur Sacra sanctuarij, alia quæ deseruiebant vsui communi. Alia lance dico ponderanda esse corporalia, alia autem & spiritualia. Dolet plerumque homo supra modum propter iacturam prolis, nec dolet propter offensam Dei & animæ perditionem. Cui illud ap primè Psalmistæ accommodari potest; *Mendaces filij hominũ in stateris.* Non alienus ab hac conditione erat regulus, qui animæ parũ curans sanitatem, corporalem duntaxat rogat & flagitat restaurationem. Rogat quidem, at serius. Medicum inquirit, cum filius morti vicinus lecto decumbit. *Incipiebat enim mori.* Hæc mundanorum consuetudo est, qui ægrotantibus non necessaria præbent remedia, quæ autem spirituali infirmitati conuenientia sunt, non nisi in extremo applicant medicamenta. Tunc confessarium vocant, cum vox deficit, cum iam animus labitur, cum exitui iam vicinus est. Non sic Martha & Maria fecerunt, quæ fratris languorem ab

Duplex mensura veteris legis.

Leuit. 5.

Psal. 61.

Tempestiue morbis occurrendum est.

Ioan.11. incunte morbo Domino declararunt, dicentes: *ecce quem amas infirmatur.* Ad eam præparationem Ezechiam regem hortabatur Propheta Isaias dicens:
4.Reg.20 *Dispone domui tuæ, quia morieris.* Qui serius confitentur, & articulum mortis expectant, caueant ne cygno similes effecti à Domino reprobentur. Ideò enim
Leuit.11. Deus eum reprobauit, quia solum in articulo mortis canere solet.

Scriptum est Numer.10. *Si semel clangueris congregabuntur ad te principes, & capita multitudinis Israel; si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra, & leuabunt tentoria.* Mortis tubæ infirmitates sunt, quibus perstrepentibus concurrendum est ad fores Ecclesiæ, ad pedes pastorum, quæ si prolixiores fuerint, signum est ex hâc vita esse migrandum, ideoque benè negotia componenda sunt. Hoc ignorabat Regulus, qui medicum inquirit filio iam pænè emortuo. *& rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori.*

Cur Christus ad palatium nō descēderit

Rogatus non descendit Dominus in domum reguli, & non rogatus descendit in domum centurionis, vt veritas huius demonstretur: *Humilia respicit*
Matth.8. Psal.114. *Deus, & alta à longè cognoscit.* In cuius rei signum noluit Dominus nasci in regum palatijs, sed solummodo in pauperculis pastorum tugurijs. Complacet sibi Deus in paupertate, mauultque cum filijs hominum pauperem vitam agere, quam Principum & regum infulis sublimari. Descendit sanaturus seruū Centurionis, at non descendit filium reguli sanitati redditurus, sed ait: *Vade filius tuus viuit.* Credidit Pater, dumque pergeret *serui occurrerunt nunciantes, quod filius eius viueret.* Fœlices serui qui fausta Dominis deferunt nuntia. Absimiles longè seruis Iob de qui-
Iob.1. bus dicitur: *Nuntius venit ad Iob qui diceret; boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi tuleruntque omnia. & ecce alius intrauit & dixit: corruens domus oppreßit liberos tuos, & mortui sunt.* Quam infausta nuntia! quam infœlices nuntij! His iterum absimilis

milis non erat seruus diuitis Euangelici qui sua perdita vita Domino suo multum facessebat negotij. *qui diffamatus est apud eum*. Vnde & Dominus hæc audiens dicebat ei: *quid audio de te?* At longè fœliciores sunt, qui vitam non verò mortem denunciant. Nuntius ille qui mortem Saulis denunciauerat Dauidi morti adiudicatus est, & reuera, mortem vel saltem punitionem meretur exemplarem, qui mortem alienam, peccata inquam detegit & diuulgat aliena. Indicant itaque serui sanitatem, ille verò non ingratus fuit, *sed credidit ipse & domus eius tota*. Ecce quomodo *vexatio dat Intellectum*. Nam per tribulationẽ, per filij sanitatem adducitur Regulus ille ad Dei cognitionem. Tribulatio & infirmitas cognitionẽ parit, at verò prosperitas obliuionem inducit. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*. Quod iterum alio in loco optimè exponit psalmista. *Circundederũt me* (inquiens) *dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*, & subiungit: *Nomẽ Domini inuocabo, ô Domine libera animam meam*. Diues epulo Lazarum non respexerat, donec inferni tormenta eum coegerunt. Nabuchodonosor commutatus in bestiam de seipso aiebat: *Leuaui oculos meos in cœlum, & sensus redditus est mihi*. Neque fidem Regulus recepisset, nisi filius post longam inualetudinem sanitatem recuperasset.

Isaie.28.

Psal.17.

Psal. 19.

Luc.16.

Dan.4.

Et benè quidem gratus fit beneficij acceptor. Nã ait Salomon, *honora medicum propter necessitatem*, igitur & Sacerdotes animarum nostrarum medici in honore habendi sunt, quorum opera quotidie indigemus. Si fortuna semper homini faueret, is arrogãtia inflatus etiam Deum contemneret. Nunquid in hanc amentiam deuenerat Pharao, qui regia dignitate sublimis dicebat: *Quis est Dominus vt audiam eum & dimittam Israel? Nescio Dominum & Israel non dimittam* In hanc insipientiã labuntur peccatores, qui superbia inflati vix Deum agnoscere volunt. De quibus vindictam exposcens Dauid à Deo dicebat: *Exaltare*

Eccl.38.

Exod.5.

Psal.91.

altare qui iudicas terram, redde retributionem superbis. redde retributionem peccatoribus qui voce blasphema exclamant, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob* Rationem verò superbiæ, fastus, & arrogantiæ eorum reddens idem psalmista ait: *Non est respectus morti eorum, neque firmamentum in plaga eorum, ideo tenuit eos superbia, & dixerunt quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Misericordiæ igitur diuinæ opus est, cum afflictionibus premimur, cum corpus nostrum infirmitatibus fatigatur, vt spiritus ad sanam mentem reuersus saluetur. Per tribulationes *credidit regulus ipse & domus tota.*

Psal. 72.

Plerique inquirentes cur Deus iustus etiam tribulationes & infirmitates inferat, duas reddiderũt rationes. Prima est vt eos humiliet, vt benè testatur Apostolus, qui variis gratiarum donis cumulatus de se dicebat: *Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphiset.* Secunda est vt maiorem sibi beatitudinis comparent coronam. Nam dum per tribulationes & infirmitates anguntur, patientiæ meritum adaugent, sicque sibi coronã præparant digniorẽ: D. August. attentius secum cõsiderans responsionis factæ Rebeccę verba: *Maior seruiet minori.* quomodo id verũ esse possit inquirit, cũ Esau sẽper testante scriptura imperauerit Iacob. Sibi autem sic respondet: *Maior seruiet minori, non obediendo, sed vexando quemadmodum ignis deseruit auro.* Quod optimè nostro conuenit proposito. Nam tribulationes Spiritus adiutrices deseruiunt corpori non obediendo sed vexando vt inde purius solidiusque effectum fœlici potiatur requie, salutem consequatur, & viuat in æternum. His tribulationibus adactus regulus credidit, filius febri acutissima vexatus, sospitati fuit restitutus.

2. Cor. 12.

Gen. 25. Aug. in Genes.

Fœlix admodum atque fortuna febris, quæ tantũ secum pertrahit emolumenti! Fortunatus ardor! Ardor atque ignis Absalon Ioab principem rebellẽ atque contumacem humiliauit, & acutissimæ febris incen-

2. Reg. 4.

incendium Principem nostrũ citato cursu ad Christum currere compellit. Incendium sanè terque quaterque beatum! febris fausta fructus innumeros pariens ægrotanti. Nam per Dominum meruit curari: & reliquit eum febris.

Quæ quidem febris mihi de ea aliquid dicendi ansam præbet, materiamque suggerit copiosam. Diuersa etenim genera febrium à Galeno relata diuersos peccatorum status significant. Prima febris quã Quotidianam vocant medici, Gulam figurat, morbosque gulosorum demonstrat, qui salute omissa solum in hæc verba prorumpunt: *Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.* Vel per hanc significantur peccata venialia, quia de eis dictum est: *septies in die cadit iustus. i. multoties.* Quæ quidem peccata D. Aug. comparat guttulis aquæ. Nam sicut illæ congregatæ virtutem ignis temperant, sic hæc iterata atque coagulata ardorem extinguunt charitatis.

Galen. li. 1. & 2. de differẽtijs
Isaiæ 56.
Prou. 24.
Peccata venialia aquæ guttulis comparata.
Aug. l. 50. hom.

Secunda febris quæ Erratica dicitur certoque caret tempore; Inuidiam figurat. Inuidus enim nõ sẽper, sed solum prosperitatis, atque fœlicitatis tempore inuidet: idque quotiescumque vel famæ proximi, vel bonorum multiplicationem intelligit. Ideoque Inuidi Heliæ comparantur, de quo dicitur in scriptura; *Non poterat videre lucernam Domini antequã extingueretur.* Lucerna homo iustus est, vt de S. Ioanne dictum est: *erat lucerna ardens & lucens,* Iusti autẽ famam bonam inuidus tolerare non potest. *Inuidus inuidia comburitur intus & extra.*

1. Reg. 3.

Tertia febris quæ Tertiana nuncupatur quæque dato interuallo, certisque temporibus hominẽ torquet; Acediæ præsefert imaginem, qua febre torquetur, qui die vno bonum operari proponit, altero autem iterum ad priora conuertitur facinora. Et sicut ista sanguinis extractione facilè curatur; sic hæc voluptatum resecatione curari poterit.

Quarta febris quæ continua est Auaritiam significat, & hæc vsurarijs communis & frequens est, Hæc perniciosissima febris est, quæque in certissimũ perducat exitium hominem ea laborantem. Tria etenim homini ad vitã necessaria rescindit, sine quibus nec ad modicum vita sustentari potest. tollit cibum, somnum & requiem. Adeò vt de illis dici possit illud Tantali qui in medijs fluctibus siti moriebatur. & ideò de illis ait Sapiens: *Non satiabitur pane, & in tristitia erit super mensam suam.* & iterum: *Cuncti dies eius* (supple auari) *pleni sunt laboribus & ærumnis.* quod Propheta etiam benè prædixit: *Præ sollicitudine quiescere non poterunt. Saturitas enim diuitum non finit eos dormire.*

Eccl. 14. Eccl. 2. Hiere. 19. Eccl. 9.

Quinta febris quæ & Quartana dicitur, Superbiã apprimè demonstrat. Et sicut ista periculosa est sæpeque vitam corpori adimit; sic & hæc & persæpè animæ vitam tollit. Non vacat ista capitis conuulsionibus, nec caret hæc capitis doloribus. Caloribus impleta est ista, at ambitionum atque vanitatum ardoribus est hæc repleta. Vnde benè psalmista ait: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

Psal. 73.

Sexta & postrema febris quæ Ethica dicitur Libidinem designat. Nam vti ista ossa medullamque corporis desiccat, sic hæc & corporis & animæ vires corrumpit, virtutes corrodit, bonaque omnia destruit & debilitat. Vnde benè de ea dictum est: *Ignis vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Hic ignis est qui ciuitates pulcherrimas cõsumpsit. De ea loquens D. Ambrosius sic ait: *Febre flagrantior est libido.* Hoc infirmitatis genere percussus Dauid exclamabat: *Miserere mei quoniam infirmus sum, sana animam meam quia peccaui tibi.* ô quam perniciosæ sunt istæ febres! quam perniciosa tormenta peccatorum! In hanc me rapuit materiam febris Principis adolescentuli, sed reliquit eum febris. Restat modò vt fructum Euangelij colligamus. Videamus quomodo tribulationes & aduersitates à Deo segregatos

Iob. 31. Gen. 19. D. Ambr. in 4. Luc. Psal. 6.

& alie

& alienos in viam salutis reducant. Consideremus insuper quæ Parentis veri quantaque esse debeat solicitudo, non in sola corporis nutritione, sed maximè in Spirituali educatione. Insuper aduertamus non differendam esse vitę anteactæ emendationem in vltimam vsque horam. Nam *serò medicina paratur cum mala per longas conualuere moras*. Denique ingratitudinem fugiamus, beneficiorumque acceptorum munifici simus retributores.

Tu verò Domine qui Principem hodiernum in extremo vitæ periculo constitutum pristinæ restituis sospitati; Animarum nostrarum cura infirmitates, restaura vulnera, & nos spirituali restitue valetudini, vt perfectè sanati in interiori homine tecum sempiternis perfruamur bonis. Amen.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Simile est regnum cœlorum homini Regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18.

FIGVRA.



Vm attentius mecum ipse reuoluo verba hæc Apocalypsis: *& vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit omnis terra & cœlum, & locus non inuentus est eis*, non absimile esse quod in hodierno geritur euangelio, reperio, sub excellenti attamen contectum parabola. Rex enim præcellenti sedēs in solio rationem cum seruis suis ponit, & eum qui reddere non valebat, carceribus mancipatum cum tota familia vendit, vt debitum recipiat. Alia pleraque his similia proponun- Apoc. 20.

tur, quæ venturi Iudicij sæuitiam demonstrāt. Vobis ea proponam, dūmodo Sancti Spiritus gratia adfuerit, quā nobis per Virginis intercessionem conciliabimus, cui supplices offeremus cœlicum illud: *Aue Maria.*

Duo mundi poli. Quemadmodū Philosophi vniuersam totius orbis machinam duobus polis inniti dixerunt, quorum alterum Arcticum, alterum Antarcticum appellarunt: ita Theologi Diuinam essentiam in duos diuisere polos, quorum vnum iustitiam, alterum misericordiā nuncuparūt. Hæc autē duo in Deo esse Dauid indicat, inquiens: *Omnes viæ tuæ misericordia & veritas.* Et infra: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Non ait potentiam, maiestatem, sapientiam tuam tibi cantabo, sed misericordiam & Iudiciū, quia hæc duo tibi connaturalia sunt atq; essentialia. His etenim & cælestia gubernas, & inferioribus prouides affluenter: In huius signum vidit Apostolus Angelum ponentem pedem vnum supra mare, alterum super terrā: Angelus ille omniū Patrū iudicio Christus est, cuius gemini pedes misericordia & iudicium sunt. Ideò de eo ait Euāgelista. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Geminos hos pedes misericordiam inquam & iudicium figurabant duo vbera sponsæ de quibus sponsa loquens aiebat: *meliora sunt vbera tua vino.* Et iterum: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.* Apposite autem vberibus comparantur: Nam sicut lacte vberino educatur paruulus, sic misericordia & iudicio nobis paruulis in omnibus prouidet Deus. Hoc aduertens Isaias inquiebat: *Ad vbera portabimini.* Et Sapiens ait: *vbera eius inebrient te.* In Arca fœderis semper erant, & panes & virga, quorum alterum misericordiam, alterum iudicium significabat. Vt instrueremur in Ecclesia vera fœderis arca, Christi fideles duplici directorio esse tegendos per misericordiam & Iudicium. Cherubin geminata parēs faciē, altera quidem hominis, alia variata leonis, dupli-

Psal. 24.
Psal. 100.
Deus omnia in misericordia & iustitia administrat.
Apoc. 10.
Matt. vlt.
Cantic. &
Isaiæ 66.
Prouer. 5.
Exod. 25.
Deus iustus & pater misericordiæ.

duplicem hunc in Deo statum figurabat. Nam bonis se humanum præbet Deus; at quandoque & cruentum & færócem deprauatis sese ostendit hominibus. Ideò benè psalmista: *Misericors & miserator, & iustus Dominus.* Psal.111.

S. Iannes in Apocalypsi horribilem mihi specie prima fronte præbet Angelum, *qui habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* quem cum à capite vsque ad calces examinaui, cum Christi figuram fuisse reperio. Gerit etenim manu vna stellas misericordiæ; altera corporis parte prodit gladius acutus Iustitiæ. Hoc & AEgyptij pulchrè admodum in Regum coronatione obseruabant; Regi enim equo insidenti sceptrum offerebant, cuius infima pars caput erat equi marini, suprema autem in caput Cyconiæ erumpebat. equus ille quia natura crudelis Iustitiam significabat; Cyconia verò quia amicabilis misericordiam figurabat. Quæ quidem duo regibus maximè conueniunt, quibus & iudicium & potestas omnis data est. Apoc.1. Pulchra consuetudo AEgyptiorum in coronatione sui Regis.

Mirandum illud spectrum, quod adeo Danielem exterruit, ita describitur, *facies eius sicut facies fulguris & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius & quæ deorsum sunt vsque ad pedes quasi species æris candentis: Et ecce vir indutus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.* Quid hæc sibi volunt, facies fulgure, oculi flamma & furore, brachia ære armantur, & tamen linteo vestitur? nunquid eum ferreus potius thorax quam lineus habitus decebat? quæ coniunctio zonæ aureæ cum fulminante vultu? Mystica sunt ea omnia & iustitiam Dei instar fulminis coruscantem, & misericordiam instar vestis lineæ ambentem, & zonæ aureæ cingentem designant. Dan.10.

Thronus Salomonis duabus sustentabatur manibus, *Duæ manus hinc atq; illinc tenentes sedile,* Diuina quoq; natura & essentia, duabus alijs firmatur colũnis, duabus alijs tenetur manibus, quarum altera est Iusti- 3.Reg.10.

eum parabolarum & similitudinum gladio inuoluit. Sic enim loquitur: Simile est regnum cœlorum &c. Per hanc igitur parabolam Vniuersalis Ecclesiæ status exprimitur. Hæc enim Iesu Christi amplissimum regnum est duabus prouincijs distinctum. Quarum altera cœlestis est illa Hierusalem, in qua beati corporali exonerati sarcina, gaudijs perfruuntur optatis. Non ad instar mortalium, quorum gaudia tristi sēper & infœlici terminantur exitu; sed sine solicitudine, ab omni prorsus cura vacui, lætātur & exultant. Gaudebant filij Israel ob arcæ recuperationem, sed gaudiorum extrema luctus occupauit, cūm mors Ozæ interueniens lætitiam in luctum commutauit. Ideoque nobis infœlicitate repletis, illud adaptari potest, quod Achab in obsidione Samariæ inimico suo Benadab dicebat: *Non glorietur accinctus, æquè vt discinctus.* quādo enim tempore armis accinctis contra inimicos pugnamus, victoria certa non est, neque exultandum; sed Sanctis qui modò deuictis hostibus acquisierunt regna, lætari datur, exultare, & de hostibus triumphare. Secunda huiusce regni Prouincia, Ecclesia militans est, sic dicta, quia in ea continua nobis est aduersus potestates infernales concertatio; Ideoque monet Apostolus, vt arma sumamus. Quod antea figuratum fuerat in Achab, qui monet Regem Iosaphat vt auxiliaria sibi arma ministraret. Quod etiam luculenter probatur per illud Isaiæ, qui de filio Dei veniente in hunc mundum aiebat: *Iste est quem mittet Pater æternus in sagittam electam & gladium acutum.* Notate mysterium. Licet enim cœlestium esset rex & terrestrium gubernator, cum tamen, ad instar armati mittit Pater, mittit vt sagittam & gladium. Mittit in hanc prouinciam, quæ Regno cœlesti assimilatur, vel quia per eam eò peruenitur, vel quia in ea superni regni possessio comparatur. Hæc parabola duo declarat. Primum ostendit nos esse peccatores, deinde alijs condonandas

Ecclesia est regnū Christi.

Mundus nulla habet verá gaudia.

2. Reg. 26.

3. Reg. 20.

Descriptio Ecclesiæ militātis.

3. Reg. 22.

Isaiæ. 49.

Duo capita huius parabolæ.

das & remittendas esse offensas demonstrat. Quoniam autem homo quæ sui sunt in seipso difficile inspicere potest, ideo Deus quod in nobis est sub aliena persona occultatum, vel depositum ostendit. Hinc Pramasius pictor famosissimus qui & operibus suis immortalitatem conciliauit solebat ex seruis aliquem cruci affigere, vt sic eius tormenta & dolores intuens, cruciatus Promethei naturalibus coloribus exprimeret: Eandem quoque ob causam Barbari quidam referente Plutarcho seruos suos publicè inebriabant vt eorum liberi turpissimos illorum mores conspicati, vitij illius fœditatē detestarentur: Intellectus enim humanus melius capit quæ alieno versantur in corpore, quam quæ in suo delitescunt. Vt igitur suā Deus demonstraret hominibus iustitiam, iudiciumque venturum cordibus nostris imprimeret, hoc sub insigni parabola detexit. Cæci enim sunt filij hominum non agnoscentes quæ suæ salutem animæ concernunt. Talem se Dauid agnoscebat, cum aiebat: *Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Hos vt ei aperiret, Nathan Propheta, cum emblematica conuenit locutione. Hos etiā vt nobis aperiat Dominus parabolice loquēs ait: *Simile est regnū cœlorū homini Regi.*

2. Reg. 12. Dauid seipsum parabola inductus agnouit.

Rex ille rationem ponens cum seruis suis is ipse est quem D. Ioannes in Apocalypsi hoc titulo insignitum vidit: *Rex regum & Dominus Dominantium.* Omnes autē quotquot sunt homines eius ditioni subduntur, & serui sunt. Imo maiori multo quā Angeli; licet enim hi magno illi Deo optimo ratione creationis subdantur; nos tamen ei titulo creationis & Redemptionis fidele obsequium præstare tenemur. Hic ille rex est cum quo rationem debemus ponere, quique examinatis omnibus actionibus nostris iustè redditurus est vnicuique iuxta opera sua. Regi autem summoperè Iustitia conuenit, sine ea enim neque reges regnant, neque potentes iusta decernunt. Et huc pertinet quod à Plutarcho scitè narratur, de

Apoc. 19. Homo magis tenetur seruire Deo quam Angelis.

matro-

matrona quadam Macedonica, quæ importunius iustitiam sibi decerni popoſcerit. Cũ enim Rex ipſo temporis articulo ſe excuſaret, diceretque ſibi iã nõ vacare vt litibus illis intenderet, quod diſtineretur alijs negotijs: mulier impatiens moræ & offenſa, reſpondet Regi impudenti quadam audacia: Cur itaque Regis habeã te loco, niſi iuſtitię agnoſcã te vindicẽ? Volens innuere nimirũ, Regnũ ſubſiſtere nequaquã citra iuſtitiæ vigorẽ poſſe. Ideò Dauid eã ſibi neceſſariã agnoſcens aiebat. *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis*. Iuſtitiam diuinam poſtulat, humana. n. iuſtitia crudelitati ſẽper permixta eſt. Homo parua iudicãs, parua crudeliter cõdẽnat, at Deus maxima remittẽs, etiã peccata dimittit. Dauid eum qui ouẽ vicini occiderat morti adiudicat: Deus autẽ Dauidi homicidium perpetratum condonat. Rex iſte Euangelicus decẽ millia talentorũ remittit ſeruo, at ipſe debitum centum denariorũ exigit à cõſeruo. *2. Reg. 12.*

Rex iſte iudicans homo dicitur, quia iudicio ſemper humanitas admiſcenda eſt, ſemper miſericordia intermiſcẽda. Ideò enim poſtquam Iudices extollẽs dixit pſalmographus: *ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*; ſubiungit: *Vos autem ſicut homines moriemini.* *Iuſtitia nunquam abſque miſericordia exercenda.*

Natura. n. prius Iudices morti adiudicauit, quã ipſi Iudices reũ eidem priuationi adiudicauerint. Quod optimè Socrates à Iudicibus Athenienſibus condẽnatus explanauit dicens: *Et illos natura*. Ponit igitur rationẽ Rex cũ ſeruis ſuis; Sed quęnam exquirit? quęnam opera exigit? & bona & mala, teſte Apoſtolo, qui appoſitè illud indicat: *Omnes* (inquiens) *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* *Pſal. 81.* *Deo vitæ totius reddenda eſt ratio.* *1. Cor. 5.*

Quod etiam confirmat Sapiens hoc eloquio: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in Iudicium pro omni errato, ſiue bonum fuerit, ſiue malum*. O rigorem inſupportabilem! Nunquid malarum ſufficit ratio actionum? anne etiam bonorum operũ rationem exiget Deus? Hoc quaſi impatiens tolerabat Iob qui dicebat: *Eccl. 12.* *Iob 17.*

Non

Rom. 2. *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Iudicabit ergò Deus & bona & mala quæ commisimus opera. *Iudicabit* & insuper *occulta hominum.* Ideo dicebat Dauid: *ab occultis meis munda me,* ne fortè veniens ad Iudicium etiam occultissima quæque cordis aperiat Deus. Differt in hoc Iustitia Dei & Iudicium, ab hominum iudicio: Iudicat enim de euidentibus & claris homo; at Deus etiam de occultissimis cordis nostri cogitationibus exigit ratione. Quod inde bene patet, quia cum Deus peccatum Dauidis, occultum licet, repræhēdere vellet, ait per Nathan: *Tu hoc fecisti in abscondito; ego autem in conspectu solis.* Diuinam tunc Iustitiam agnoscens reus ipse de se dicebat: *Tibi soli peccaui & malum coram te feci.* Ponit rationem Deus, cum seruis, & bona & mala opera exigendo. Hanc autem exactionem figurauit Rex noster *qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Rationem exigit non per interpositam personam, sed ipsemet; & in sua præsentia fieri computū imperat, quod Prudentiæ summæ est. Noluit hic Rex rationum suarum cognitionem Magistris rationum cōmittere; noluit regni Thesaurarios cognitores esse; Arithmeticę & pecuniarum peritis hanc prouinciam demandauit; nulli suas vices commisit; sed ipse debitores suos audijt, rationes inspexit. Eodem modo Assuerus potēs ille Persarum Monarcha, *Iussit sibi afferri historias & annales priorum temporum quæ illo præsente l egerentur.* Solus enim Principis oculus negotia regni vt sua rectè iudicat, cæterorum suspecti sunt: Si enim hāc patientiam sibi Reges imperarent, vt ipsimet regni cōputus inspicerent, omnium ordinum & totius Reipublicæ melior esset conditio; Ideoque hic Princeps nulli fidens, voluit *Ponere rationem cum seruis suis.* Sed à quibus rationem exigit? à seruis. ô quanti sunt hodie Iudices, rationem à latrunculis exigentes, & vindictam de eis sumentes: qui tamen prædones, publicosque malefactores immunes abire permittunt. Simile

[Margin notes: Psal. 18. — 2. Reg. 12. — Psal. 50. — *Principū est per se rationes cognoscere* — *Dat veniam coruis vexat censura columbas.*]

Similes sunt isti Sauli; qui spreto Amalechitarum exercitu, latrunculos insequebatur dicens: *Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos.* Iudicium hoc telis aranearum assimilat Anacharsis. Quemadmodũ enim per eas grandiores muscæ pertranseunt, minoribus per eas comprehensis, ita latrunculos interficit Iudicium hoc, publicos verò malefactores illæsos dimittit. Huius farinæ erat Rex noster qui cum seruis suis rationem ponit. Ponit pariter Deus cum seruis suis rationem, sed cum regibus, cum Principibus atque nobilitate insignibus viris, qui & omnes altissimi serui sunt. Talem se declarabat Dauid: *ab alienis* (inquiens) *parce seruo tuo.* & iterum: *Ego sum seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Hos iudicabit Deus, quia *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* *Omnes* inquit, quia neque reque regibus neque Principibus lex ista parcit.

Apophthegma Philosophi Anacharsidis.

Reges etiā serui Dei sunt, quanquā supremæ sunt potestatis in mundo.

1. Cor. 5.

Actus iustitiæ legitimus est, vt instituatur hoc cō claue rationum: neque enim tantum seruos obedire fas est, verum etiam debent vtiles esse Dominis suis, & laborare, vt ipsorum domus & fortunæ augeantur. Vnde Pierius Valerianus narrat, consuetudinem veterum fuisse, quoties nouum recepissent aliquem seruum in familiam suam, ipso ingressu spargere nuces, ficus, dactylos, aliaque fructuū genera, itemque legumina, & monetæ quasdam species, super caput eius, vt intelligerent per eiusmodi cæremonias debere se dominis suis commodare, eorumque seruire domui, tanquam de cornu copiæ. Sic Iacob fidelis erat in domo Laban, & Ioseph in familia Putipharis, vterque promouens ac prosperare faciens dominorum suorum negotia.

Seruos decet vtilitati studere dominorum suorum.

Gen. 30. & 39.

Cum verò serui omnes debitores sint, miror cur vnius dumtaxat meminerit Euangelista: ait enim. *Oblatum est ei vnus qui debebat decem millia talenta.* Verùm, phrasi Hebraica hoc pro more habet, vt singulari vtatur pro plurali, vt lucidè claret in isto psalmi loco: *Dominus prospexit super filios hominum vt videat si est in-*

est intelligens aut requirens eum, omnes declinauerunt simul & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Vbi apposite vsus est S. Sanctus vocabulo *declinauerunt*, vt ostendat peccatores ita à virtutibus declinare per casus peccatorum; sicut grāmatici omnia declinant, per casus proprios. Superbi quidem per superbiam declinant in nominatiuo, de eis enim psaltes: *Vocauerunt nomina sua in terris suis.* Parentes autem diuitias per fas & nefas filijs procurantes, in Genetiuo declinant. Alij verò qui muneribus filias in impudicitiam protrahunt in datiuo declinant. Qualis erat Vagao Holofernis eunuchus qui pudicæ Iudithæ aiebat: *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, & honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iocunditate.* Quam & alliciens Holofernes his verbis corrumpere satagebat: *Et tu in domo Nabuchodonosor magna eris & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.* Alij in accusatiuo declinant qui maledica lingua proximorum vitam infammant, quique innoxios iniustè accusant, quales erant Susannæ accusatores. Qualis etiam erat Semei qui Regi Dauid insultabat exclamans: *Egredere, egredere vir sanguinum & vir belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit tibi Dominus regnum in manu Absalon filij tui. & ecce premunt te mala tua quia vir sanguinum es.* Declinant in vocatiuo, qui vitia virtutes esse dicunt, & mala opera bona esse censet. tales erant hebræi qui Idolis tribuebant diuinitatem. Sunt & nonnulli qui in ablatiuo declinant. Hi sunt qui in furtis atque alienarum rerum direptione vitam ducunt. Talis erat Heliodorus. Tales & plures alij quibus illa grammaticæ regula conuenientissimè potest adaptari. *Est ablatiuus nonnullis solus in vsu, obice, sponte, diu, noctu, natu, impete, iussu.* Qui omnes casus perniciosissimi sunt. Attamen *omnes declinauerunt*: Declinauerat singulariter hic *qui debebat decem millia talenta.*

[Marginalia: Psal.13. — Insignis cōceptio. Grāmatica mundana. — Psal.48. — Iudith.12. — Iudith.11. — Dan.13. & 14. — 2.Reg.16. — Exod.32.]

Duo

Duo hic notatu digna reperio. Primum est, munificentia atque bonitas regis, qui tantum seruo cōcesserat thesaurum. Secundum mala eiusdem serui vita atque thesauri custodia, quam peruersè expenderat. Per hunc seruum debitorem intelligunt peccatorem in mortali peccato constitutum Sancti Patres. Debitor enim diuinæ iustitiæ efficitur, & maculæ turpitudinique maximè anima subiacet, vt benè exponunt Scotus, & D. Thom. quam opinionem accedit psalmista dicens: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Vbi Cassiodorus duo intelligit iniquitatum genera; *Omissionis & Commissionis*, quæ tamen ambo æternæ gehennæ remanent mancipia. Rectè autem huic debitori peccator assimilatur, nam peccatum mortale, & numerum & quantitatem excedit debiti, ideoque *debitum infinitum* nominatur. Finitum numerum debebat seruus, decem nempè millia talenta. Finitam summam debebat conseruus, centum supple denarios. Et hoc & illud debitum mysterio non carent. Hinc enim facilè colligitur quantò maior sit debitū diuinum quam humanum. Tantò enim superat humanum, quantò in numero superant decem talenta, centum denarios. Ideò Dauid copiositatem debiti perpendens aiebat: *Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Tibi soli* inquit, licet tamen in Berzabee & Vriā maximè deliquisset. Dei omnes sumus debitores, teste enim Apostolo, *omnes peccauerunt & egent gloria.* & iterum. *Et in multis offendimus nos.* Ideoque veniam postulantes diebus singulis exclamamus: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. debita* inquit, quia peccata sunt in Deum & proximum commissa. *debita*, quia innumera sunt quæ quotidie perpetramus, vt ex confessione manassē liquet: *Peccaui* (inquientis) *super numerum arenæ maris.* Quod si infinita sūt q̄ nos in exitiū pertrahūt peccata, quomodo fieri potest vt peccator in ijs volutat⁹, requiesc-

Scot. in 4. dist. 14.
D. Tho. 1. 2. q. 86. a. 2.
Psal. 124.
Peccatum mortale debitum est infinitum.
Debiti diuini & humani differētia.
Psal. 50.
Rom. 3.
Iacob. 3.
Matt. 6.
2. Paral. vltimo.

requiescat, somnium capiat, epuletur & gaudeat? Nunquid venalem se considerat? Antiquitus moris erat vt creditores pro debito exoluendo venderētur. Hoc patet 4. Reg. 4. vbi mulier vidua, Prophetæ dicebat: *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi*. Hoc & fecit Rex noster; dicitur enim in Euangelio: *Iussit eum venundari dominus, & vxorē, & filios & omnia*. Vnde patet peccatorem remanere Deo debitorē & in corpore & in anima. In anima tamen præcipuè quia in ea voluntatis sedes est, peccatū autem non est nisi voluntarium. Vxor caro est, filij sunt appetitus quęque ab illis dependent, & hæc omnia cum anima iubentur venundari.

Homo peccator venditioni exponitur. Venundare est venditioni exponere, exponitur autem homo venditioni, cum peccatorum sordibus subijcitur. Vt benè docet Paulus in persona peccatoris inquiens: *Ego carnalis venundatus sum sub peccato*. & Scriptura ait loquens de populo peruerso: *Recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, vt facerent malum*. Et alibi propheta ait: *Ecce enim in iniquitatibus venditi estis & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram*. Quod autem & Scriptura & Prophetæ indicauerat, hoc pariter parabola demonstrat. *Iussit eum Dominus venundari*. Sed quare vxor & filij venales pariter exponuntur? sanè quia in culpa participauerant. Frequenter fit etenim vt parentes filijs prouidentes, debitis sese onerent & ære alieno obstringantur, sicque miserrimum sortiātur exitum. Legimus de quodam opulento mercatore, qui morti vicinus, aduocato notario qui volūtatis suæ dispositionem scriberet, inter cætera dixit: *Corpus meum terræ detur ex qua sumptum fuit, Anima verò dæmonibus tradatur quia eorum est*: Stupentibus præ horrore omnibus atque fatuitatem & amentiam accusantibus, denuò repetijt, idemque terque quaterque inculcauit. Demum cœteris id facere recusantibus rabie plenus inquit: *Anima mea dæmonibus detur, insuper anima vxoris meæ, & animæ filiorum meorum, &*

Rom. 7.
1. Mach. 1.
Isaiæ. 50.
In histor. de Viris illust. Ord. Cisterc.
Stupendū exemplū.

animæ

anima confessoris mei. mea quidē inquit, quia aliena rapui & retinui; vxoris, quia; ad id me incitauit; filiorū, quia, vt eis darē, surripui; Confessoris quia debitè me non absoluit, & hæc loquens animam efflauit. Stupendum sanè exemplum. Nemo igitur miretur si vxor & filij debitoris venundentur. Iustum est enim, Iratum autem Domini vultum miseriamque sibi vicinam non sustinens seruus prouolutus ad genua Domini rogat: *Patientiam habe mecum & omnia reddam tibi.* ô miseriam infortunati serui! Vnde enim tantos poteris cumulare thesauros, vt infinitum pænè debitum valeas persoluere? Benè tamen in sensu mystico ait: omnia. 1. quia si Deus post lapsum in gratiam suam nos receperit, etiam in satisfactionem minima quæque, cyphum aquæ frigidæ recipiet. 2. quia cum omnia homini deseruiant, homine se diuinæ voluntati subdente, omnia eidem subiicere videtur. 3. quia qui verè pœnitens est, omnia quæcumque operatur, cedunt in satisfactionem & remissionem peccatorū. 4. Audacter promittit omnia se redditurum, quia in pœnitentiæ Sacramento confertur meritum passionis Christi, quæ cum infinitum habeat effectum omne debitum superat, licet etiam infinitum. Ideoque confidenter ait: *omnia reddam tibi.*

Quomodo soluat homo debitum omne Deo.

Omnia se pollicetur redditurum: & nos in confessione omnia reddere debemus, neque vel vnicum reseruare delictum. Ita enim fit vt remissionem plenariam impetremus. Dauid post confessionem, eam sibi tribui flagitabat: *Et omnes iniquitates meas dele.* Omnia se promittit redditurum. Et nos Deo omnia, hoc est corpus & animā & interiora omnia reddere debemus. Sic se in sacrificium offerebat psalmista: *Cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.* Omnia promittit se redditurum, qua promissione non solū petitionis finem consecutus est, sed & totalē debiti meruit dimissionē. Sed impium est quod ipse beneficio accepto, misericordiam consecutus, beneficij atque misericordiæ immemor, conseruum

Mystica consideratio in promissione huius serui.

Omnia Deo reddenda.

Psal. 83.

Crudelitas huius serui, & ingratitudo.

angit,premit, & centum denariorum debitum crudeliter exigit. Sed tantam ingratitudinem non tulit qui misericorditer vniuersum dimiserat debitum. Vocatum enim ad se acriter redarguens ait: *Serue nequam nonne ego tui misertus sum?* Nequam vocat eum non quia debitum solummodo exigebat, sed quia inhumanè conueniens fratrem & conseruum suffocans illud exigebat. Peccauit mortaliter crudeliter exigendo; peccauit propria authoritate eum incarcerando: peccauit cogendo ad solutionem eum cui non suppetebant media: peccauit, quia fratris misertus non est & quia in eo charitas non erat: *qui enim viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas est in eo?* peccauit insuper per ingratitudinem. Nam qui remissionem maximi debiti erat assecutus, debebat pariter & fratri debitū exiguum remittere. ô vitium & Deo & hominibus abhorrendum. *Lex & natura, cœlum & omnia iura: Damnant ingratum, tristantur eum fore natum.* Hæc sola ingratitudo est, quæ seruum gratum, inuisum atque ingratum reddit, & ob hoc Nequam appellatur. Nequam ob crudelitatem & inhumanitatem quæ bestijs potius conuenit quam hominibus. Hominem enim humanum esse decet. Ideò Iehu visam Iezabel sibi quamuis inimicam, iubet sepeliri: *Sepelite eam* (inquiens) *quia filia regis est*. Et nos inimicis nostris quāuis peruersis benefacere debemus, quiá per creationem altissimi filij sunt. Esau licet peruersus, fratrē suum Iacob, interficere noluit ob honorem & respectum Patris, sed ira imperāte, furiosos cohibetur impulsus dicens: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Quod si forte te remorari nō potest timor Dei & fraternæ charitatis amor, saltē *Memento nouissimorū tuorum, & desine inimicari.* Qui enim inimicitias in corde conseruat, hic fraterni amoris homicida est. Promiserat olim Deus Zachariæ corda illa carnalia emolliēda esse his verbis: *In die illa (idest in lege gratiæ) erunt, lebetes in domo Domini (id est in Ecclesia) quasi phialæ coram altari.* lebetes corda sunt hominum,

Iustè Dominus seruum reprehendit, & nequā vocat.

1. Ioan. 3.

Ingratitudo vitiū maximum est.

4. Reg. 9.
Inimicis benefacere oportet.

Gen. 27.

Eccl. 28.

Zachar. 14

minum, quæ in phialas commutanda sunt, per amorem fraternum. Sed olla hæc, antiqua atque graue olens est, hic Seruus nequã, cor habet crudelitatis fœcibus inquinatum, ideoque meruit audire: *Serue nequam nonne oportuit & te misereri conserui tui?* Iustum attamen atque consentaneum est vt qui eodem inquinatus est delicto, etiã consocij misereatur delinquentis, At quã frequentes sunt immisericordes! Olim Deus præceperat cõmunes esse vineas: *Ingressus vineam proximi tui, comedes vuas quantum tibi placuerit, foras autẽ ne efferas tecũ.* Nũc verò nõ solũ occluduntur, sed etiã tormẽta & supplicia delinquentibus imponuntur. Quod tamen Deo displicet supra modũ, Sicut.n. Ioseph fratribus se vltra faciẽ suã ostensurũ negauerat nisi adducto Beniamin sacra testãte pagina: *Alioqui non videbitis faciẽ meam nisi fratrẽ vestrũ minimum adduxeritis vobiscũ*: sic nec Deum videbimus nisi fratrẽ minimũ, hoc est pauperẽ nobiscũ susceperimus, eiq; in necessitate auxiliatrices manus dederimus. Sed nõ præbet, qui vexat, qui torquet & exigit suma cũ inhumanitate debitũ. Nõ est maior inhumanitas, crudelitas atque sæuitia maior quã hominis: *Homo homini lupus.* Ideoq; cũ in parabola Zizaniorũ de seminatore loqueretur Dominus dixit: *Inimicus homo hoc fecit.* quæ verba Patres exponunt de Diabolo. Nabuchodonosor humanitatẽ maiorẽ in bestijs aduertens quã in hominibus Dan. in lacũ dimissum lacu obserato sygillis signauit, *ne quid fieret contra Danielẽ.* agnoscẽs maiorẽ esse in homine irato sæuitiã, quam in bestijs pacatis crudelitatẽ. Hominũ crudelitatem optimè referebat manus scribẽs cõtra parietẽ. Nã dominus eum à vitijs deterrere volẽs nõ Leonis aut vrsi faciẽ ostendit, sed hominis dũtaxat manũ. Hãc verebatur Dauid qui optione data inflagris eligẽdis dicebat: *coarctor nimis: sed melius est quod incidam in manus Domini, quoniam multæ sunt misericordiæ eius.* . Hominis manum reuerabatur, nec enim voluit bellum acceptare. hominem iratum verebatur, ideoq; instanter rogabat: *Eripe me Domine ab ho-*

Sui similis misereri oportet.

Allegoria.

Homo homini lupus *Matth.13.*

Dan.8. *Maior sæuitia in homine quam bestijs.* *Dan.5.* 2.Reg.24

mine malo. Malus erat, seruus crudelis, ideoque meruit incarcerari. & hoc prædicit Christus dicens: *sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis, vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Hinc igitur concludendo peccati grauitas pensanda est, siquidem debito multorum millium talentorum comparatur. Status peccatoris considerandus est, siquidem venalis semper manet. Misericordia insuper Dei aduertenda est. Denique videndum est quantum Deo sit grata & accepta in proximos impensa charitas.

Immisericordes etenim odisti Domine, & in eis Iustitiam iudiciumque tuum fulminas. Serui tui sumus, Rex es tu, dimitte nobis peccata nostra vt vicissim alijs remittentes, grati effecti, gloriæ tuæ, tuique regni simus participes. Amen.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. **Matth. 22.**

FIGVRA.

Exod. 28.



Nter excellentia summi Pontificis ornamenta illud non minimum erat quo Deus eum exornari imperauerat his verbis: *Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris. Sanctum Domino.* Neque inter gratiarū diuinarum ornamenta illud minimum est, quo voluit nō solum suum nos gerere nomen, sed & suā frontibus nostris cælauit imaginem. Vt hac insignitus imagine homo totum se Dei esse aduertat. Huius præsentis operis materia est; Quam Spiritus Sancti ope adiuti ordiemur. Offeramus igitur cœlicum,

licum , *Aue Maria.*

Inquisita dudum per Philosophos, hominis essentiali proprietate , Intellectum atque cognitionem adinuenerunt. Inquisitionis autem huius causa erat, quia animalia cœtera proprietati cuidam inhærentia in ea maximè delectantur. Quintilianus sic censet: *Sicut aues*(inquit)*ad volandum, equi ad cursum , ad sæuitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mētis agitatio, atque solertia, vnde origo animi cœlestis creditur.* Hoc longè antea censerat commentator Auerrois , qui scientiam , perfectionem primam animæ esse dicebat . Hoc & Aug. sensisse videtur: ita ait enim: *Fecit Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret.* Nec discrepasse videtur Aristoteles, qui metaphysicā ab eadē opinione orditur inquiens: *Omnes natura homines scire desiderant.* Sicut autem bonum est obiectum voluntatis, ita Verum intelligentiæ. Indeque fit vt in homine, omne desiderium tendat in veritatis cognitionem. Quod testatur Lactantius Firmianus sic inquiens: *Naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit.* Et ratio est . Quia quemadmodum potentia inquirit obiectum in quo tota sua posita est perfectio; sic Intellectus humanus in veritatem rapitur in qua vniuersa totalisque eius perfectio versatur. Hoc pulchrè admodum indicat Cicero his verbis: *Insatiabilis quædam cupiditas inest mentibus nostris veri videndi.* Quam quidem veritatem sibi tribui atque concedi flagitabat psalmista , qui sæpius dicebat: *Dirige me in veritate tua.* & iterum : *Emitte lucem tuam & veritatem tuam* . Lugens autem infortunium eorum qui ea carebant aiebat: *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, sepulchrum patens est guttur eorum.* Necessaria attamen homini perfecto est veritas. Ideò enim Dominus constituens Iudices super populū Israel dicebat Moysi: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deū, in quibus sit veritas.* Hāc [illegible]ali Pontificis insculptam esse voluit Dom[illegible]ente hoc sacra scriptura: *Pones autem in rationali*

Intellectus proprius est homini.
L.1. de Orat. institutione.
comment.
Auerro. in 2. de Anima.
S. Aug. in Enchirid.
Arist. in Metaph.
Veritas obiectum est Intelligentiæ.
Lactan. Firm. l.3. diuinarū institutionum.
2. de Anima & 1. Ethic.
Cicero l.1. officior.
Psal. 24. & 42.
Psal. 5.
Exod 18.
Exod. 28.

tionali Iudicij, Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. Vt ostendat eam summoperè homini esse necessariam. Hanc enim qui habet perfectus est, Ob eam siquidem laudibus scripturæ exornatur Tobias, de quo ait sacra pagina: *In captiuitate positus viam veritatis non deseruit.* (*Tob. 1.*)

Perfectionis Euangelicæ atque diuini luminis scrutator D. Ioannes inter cœtera quę diuinitatis refert arcana, hæc non minimum est, cum dicit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, plenum gratiæ & veritatis.* (*Ioan. 1.*) Christum autem tentaturi Pharisæi & scribæ, eum ab hac virtute extollunt dicentes: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c.* Quæ verba sensumque Euangelij expositurus agere decreui de eorum hypocrisi, atque simulata adulatione, necnon de responsione Christi.

Cum Augustus Cæsar in descriptione vniuersi orbis tributa sibi reddi imperasset, huic sese nouitati opponentes quidam id se facturos negauerunt, qui ob id perierunt vt testatur Iosephus inquiens: *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis (idest descriptionis) & auertit populum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot consenserunt dispersi sunt.* (*l. 18. antiq. Act. 5.*) Erat igitur adhuc tunc temporis seditio inter eos, alijs iniustum alijs iustum esse censentibus. (*Seditio inter Iudæos de tributo Cæsari dando.*) Concilio itaque Pharisæi inito, statuerunt huius dissensionis solutionem à Domino postulare, & ob id; *mittunt ei discipulos suos cum Herodianis,* quorum præcipua primaque intentio erat, *vt caperent eum in sermone.* Et reuera sæpissimè homines capiuntur in sermone, quique se perfectos arbitrabantur ex sermone imperfecti esse deprehenduntur. *Qui non offendit in verbo* (inquit Iacobus) *hic perfectus est vir.* (*Iacob. 3.*) in hanc imperfectionem pertrahere conabatur perditus Sathan virum patientissimum Iob. (*Iob. 13.*) Nam bonis omnibus priuato atque corpore omnino saucio, sola lingua integra relicta est, qua Deo malediceret. Verum fraudulentiam aduertens Iob è contra benedicebat: dicebatque:

que: *Adhæsit os meũ carni meæ, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Nec abs re natura, duobus labijs linguam inclusit, & quasi incarcerauit, sed vt tempore suo loqueretur & suo quandoque tempore taceret. Plinius duas linguæ venas tribuit, quarum vna in cerebrum tendit, altera ad cor deflectit, inde ostendens aliud non esse loquendum quam quod cor sentiat, neque semper loquendum, sed solum cũ ratio verba expostulat. Et vt hoc rectè fiat seruanda est sedulò sapientis monitio exhortantis: *Verbis tuis facies stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè labores in lingua, & cadas in conspectu inimicorum.* Frenos inquit in plurali, quia necessarios est diuinus amor, Timor sanctus, Pudor ciuilis, modestia Christiana. Discretio in loquendo, silentium in mensa, fides in secretis. Ea igitur corporis particula sedulò seruanda est, de qua loquens aiebat psalmographus: *Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Quique insuper omnibus sui regni atque corporis compitis adhibens vigilias, etiam linguæ particularem expostulabat custodiam, dicebatque: *pone Domine custodiam ori meo.* Quam postea adeptus, pactum quasi secum feriens dicebat: *Dixi custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea.* Periculum ab ea prouenien[s], prouidens Salomon dicebat: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis & lingua mea non perdat me?* Purum hominem arbitrantur Christum esse, qui in eodem membro capi possit, ideoque venientes dicunt ei: *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Blãdiuntur & applaudunt, scientes quia nihil adeò efficax est ad alliciendum atque corrũpendũ quã adulatio. Veritatẽ attamen benè prædicãt, in eo, quod suæ disputationis cõstituũt iudicẽ. Iudex. n. verax esse debet. Ideò Sacerdos antiquitus Iudicio interfuturus, in pectori inscriptũ gestabat. *Doctrina & veritas.*

Venæ duæ sunt in lingua.

Eccl. 28.

Varia frena linguæ.

Psal. 18.

Psal. 140.

Diligentia Dauidis in custodienda lingua.

Psal. 31.

Exod. 28.

Et hi

Et hi adulatores iudicem à veritate laudāt. Ah quātum mali hominibus afferunt adulatores! Nā quos gladio non interficiunt, hos linguæ aculeo pungentes interimere conantur. Similes tubicinis, qui licet non dimicent, tamen cæteros ad certamen acrius concitant & inducunt. Hos igitur adulatores fugere conuenit. Nos verò simus ad instar locustarum quæ oleo aspersæ intereunt, aceto autem loræ reuiuiscūt, nam cum adulatorum vox applaudit Superbiæ moriamur, cum verò deprimit, humilitatis pallio circumtecti reuiuiscamus. His alludens Propheta regius aiebat: *Corripiet me iustus & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. O damnosam perniciosamque adulationem! Cygnum reprobauit Deus quia in hora mortis sonorosè admodum canit: sed videant ne reprobentur à Domino, qui Principibus, peccatis vicinis (quæ sunt mors animæ) applaudunt, atque fallaci ore blandiuntur. Dum oues pascua in campis carpentes, petulantius gestiunt, & exultant, circumcursitando, tempestatis futuræ signum esse, dicit Plinius: At pariter virtutum stragem venturam dico, post blandientium adulationes. In morte Iacob fleuit AEgyptus septuaginta diebus propter Ioseph, qui in summo dignitatis honore erat, at in morte Ioseph non est qui fleuerit, neque qui eum planxerit, ô maximam adulationis speciē! Noluit Deus vt in antiquis sacrificijs mel sibi offerretur, inde significans, velle se, vt ab operibus nostris omnis adulatio exularet: quam D. Augustinus gladio persecutoris perniciosiorem esse affirmauit his verbis: *plus nocet lingua adulatoris quam manus persecutoris*. Hoc & Sapiens benè cognouerat cum dicebat: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*. Ideò benè assimilat adulatoris linguam nouaculæ psalmista dicens: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum*. Nam sicut nouacula absque dolore crines abscindit, & sine vllo doloris sensu, ita adulatoris lingua insensibiliter

Adulatores tubicini comparantur.
Proprietas admirabilis locustæ.
Psal. 140
Leuit. 11.
Adulatores cygno similes cū morti appropinquant.
Plin. l. 8. c. vlt.
Gen. 50.
Adulationis species notabilis.
Leuit. 12.
Aug. enarrat. in Psal. 69.
Prou. 27.
Adulatoris lingua similatur nouaculo.
Psal. 51.

penè

penè, dum applaudit, virtutum omnium germina tollit. Ideo Iulius Cęsar dicere cõsueuerat velle se ad instar vrsi curari, qui dum capite laborat, accedens apes eorum exceptis aculeis sanguine effuso sanus euadit: inde significans nihil ita tumorem capitis, atque adulatorum fraudulentiam tollere, sicut verba quæ in caput nostrum redundant, & quę sanguinem superbiæ extrahunt. Oleum formicis atque muscis vitam adimit: At adulatio in Principibus idem efficit. Diogenes & Antisthenes malle se aiebant à volucribus coruisque deuorari, quam voce blandientium & adulatorum collaudari. Ideò idem verbum *Coruus* græco idiomate adulatorem significat. In hoc pernicioso vitio enutriti erant Pharisæi qui blanda voce inquiunt: *Magister scimus quia verax es.* Perniciosa licet in omnibus sit adulatio, est tamen perniciosissima in Sacri eloquii prædicatoribus. D. Greg. inquirens cur sponsus in canticis pulchritudinem sponsæ extollens, incipiat eam à dentibus collaudare, dicit hanc esse rationem: quia cum dentes sint instrumenta quibus perfectæ loquutionis verba formentur; iustum est vt in ea id quod pulcherrimũ est primò laudet & extollat. Sicut autem in ea præ cæteris, dentium dispositionem collaudat & prædicat, sic laude dignus est Prædicator, qui non mundanam carpit beneuolentiam, sed vitia reprehendẽs suorum bonam demonstrat dentium dispositionẽ. Illi autem tanta perfectione ornato, congruit illud quod sequitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ veniunt de lauacro.* Nam dum vitia reprehendens virtutes laudat, optimi Prædicatoris perfectique doctoris officio fungitur. Non ad instar Pharisęorum qui blanda voce aiebant: *Magister scimus quia verax es &c.* O adulationem! ô peruersam Pharisæorum simulationem! Ecce sub ouis vellere, sub simulata laudis enunciatione, maximam contegunt fallaciam, peruersamque reddunt laudis vocem. Ficum aridam solaque folia gestantem maledicto afflixit Christus, quia

Iul. Cęs. ad instar vrsi curari volebat ab apibus.

Plinij obseruat. egregia.

Apophteg. de Diogene & Antisthene.

Adulatio perniciosissima Prædicatoribus & religiosis.

Greg. Nyss.

Cant. 1.

quia cũ folia gestet aspera, dulcissimos fert fruct⁹; cauendumque sanè est ne ijs maledicat, qui cum in exterioribus simulatam præseferant asperitatem, delicatum tamen interius atque voluptatibus inhiantem gerunt animum. Similemque Pharisæorum animis, qui fraudulenta voce inquiunt: *Magister scimus quia verax es &c.* Ore loquuntur, at longè abest à corde talis enunciatio veritatis. De quibus ait Propheta: *Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Matth. 11.

Hypocrisis Pharisæorum.

S. Policronius in Iob.

De Tygride exẽplũ.

Polycronius exponens hæc verba Iob: *Tygris periijt eò quòd non habeat prædam*, (quorum loco alij ponunt), *mirmicolon perijt*, hoc est, *formica leo* dicit: Elyphas dedisse viro patientissimo nomen hoc ad designandam hypocrisim, qua tamen carebat. Nam sicut hoc animal ex parte anteriori Leonem repræsentat, & ex posteriori in formicæ speciem huius animalis corpus deflectit: Ita in hypocrita, quod anterius est & oculis hominum patet hoc magnum synceŕumque videtur, at verò in oculis Dei eorum opera exigua sunt, & ad instar formicæ.

Secretum memorabile.

Si in cauernam serpentis dexteram manum immiseris non tibi nocebit, quod si sinistram, cum cor inficere veneno gestiat, ibique vena cordis lateat haud detractabit, sed punget eam, & inficiet. Ideoqś ait Sapiens: *Cor sapientis in dextera illius, & cor stulti in sinistra illius.* Debent enim verba cordi respondere, neque debet lingua alienum à corde sentire. Hanc ob causam Deus in sacrificijs pectus cum armo sibi offerri imperarat, quia cum pectus cor repræsentet; armis verò opera, exigit à nobis Deus cum operibus cordis coniunctionem. Vnde Sponsus sponsam alloquens aiebat: *pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum.*

Eccl. 10.

Leuit. 9.

Cant. 8.

Qui aliena à corde opera Deo offert, hic annihilat, & ingrata efficit: Similemque se præbet Cynocephalo

cephalo

cephalo (quod animal hypocrisis figuram gerit) qui lunam adorans in rabiem agitur & maximè iracundus est. Talem se facit hypoctita qui ore Deum confitetur, & fraudulenta deceptionis venena in corde portat. *Aliud in pectore gestat*. Tales sunt Pharisæi qui corde venenato, ore tamen mellito inquiunt : *Magister scimus quia verax es*. Triplicem in eo prædicant veritatem. Veritatem vitæ, his verbis *quia verax es* : Veritatem doctrinæ istis; *& viam Dei in veritate doces*: Veritatē Iustitiæ, sequentibus: *Non est tibi cura de aliquo*. *Hiero-glyph. de Cynoceph.* *Hypocrisis*

Qui triplicem hanc veritatem possidet meritò laudari potest. Veritatem faris, Pharisæe, dum ementitam in Christo fingens veritatem, non simulatam sed veram prædicas veritatem. *Scimus* (inquis) *quia viam Dei in veritate doces*, & benè. Aristoteles viam naturæ docuit, Mahometa Dæmonum viam monstrauit, At verò Christus viam Dei in veritate docuit; quam quidem præmonuerat Moyses, at figuris obuelatam, *Omnia enim in figuris contingebant eis*, Christus autem in veritate docet: *Narrauerunt iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*. Cœteris omnibus coaptari potest illud, *Omnis homo mendax*; At Christo soli illud accommodatur *scimus quia verax es*. Iam nouus Zorobabel veritatem enunciauit. Hic veritatis præco est, testante paterna voce : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui ipsum audite*. Scimus inquiunt, & benè scimus per legem edocti. Messias enim falsus Propheta non erit, ideoque *scimus quia verax es*. Scimus, quia de teipso prædicas: *Ego sum via veritas & vita*, non ergò solummodo verax, sed veritas ipsa. Hac blanda enunciatione peracta, in fraudulentam prorumpunt interrogationem. *Licetne sensum dare Cæsari* ? O quanta in his verbis latet hypocrisis! Conscientiam simulant, non vt offensam Dei vitent, sed vt Christo neganti id licere, retia tendant. *Solus Christus viam Dei docuit* *Psal. 118.* *3. Esdr. 3.* *Solus Christus verax inter homines.*

Quot

lis. *Situs*; in variatione somni, nunc somno indulgẽdo, nunc vigilijs insistendo; In morbi vehementia; in febris ardoribus, in mortis angustijs. *Habere*; in mille calamitatibus, in capitis vertiginibus, in cordis palpitationibus, in membrorũ trepidationibus, & in alijs multis similibus reperitur. Ecce denarium mũdanum! *obtulerunt ei denarium.* Denarius longè præstantior ad imaginem Dei factus, Anima est, vel quia sensibus quinque interioribus, totidemque exterioribus constat; vel quia ad decem præcepta decalogi tenetur, vel quia cum nouem Angelorum ordinibus, denarium numerum adimplet. Denarius sanè regalis, Principis apprimè imaginem portans. Hoc in fabricatione declarauit artifex cum dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cuius sententiæ variæ sunt expositiones. Prima est Origenis arbitrantis per imaginem hanc, intelligẽdum esse filium Dei, quem D. Paulus vocat, *Imaginẽ Dei inuisibilis*, & *figuram substantiæ Patris*. Et inferre vult hominem esse factum similem filio Dei, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. vbi dicit: *Deum electos prædestinasse conformes fieri imagini filij sui*. Quam opinionem refutat Diuus Augustin. libr. 7. de Trinit. cap. 6.

Situs. *Habere.* *Anima denarius est.* *Diuersæ opiniones de creatione mũdi ad imag. Dei.* *Gen. 1.* *1. Opinio.* *Coloss. 1.* *Hebr. 1.*

Secunda opinio est glossæ, quæ citatur in catena Lyppomani supra Genesim, & hæc est. Quia inquit ab æterno præordinatum erat vt filius Dei carnem humanam sumeret, per vnionem hypostaticam; ideò ad similitudinem illius carnis assumendæ, factus fuit homo. Sed hæc opinio non constat, cum contrarium verum esse ex scripturis videamus. Non enim ad similitudinem verbi incarnandi factus fuit homo, sed ad similitudinem hominis. Verbum assumpsit carnem, vt benè notat Apostolus, inquiens: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* & iterum: *Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* *2. Opinio.* *Rom. 8.* *Philipp. 2.*

Tertia opinio est Eugubini *in Cosmopœia*, & Olea- *3. Opinio.*

ſtri in hæc verba, quia dicunt Deum ſumpſiſſe carnē vt familiarius cum homine agere poſſet, ideoque dixiſſe: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Verum temeraria eſt hæc opinio, cum viſiones factæ ad inſtar hominum à Deo, miniſterio Angelorum perfectæ ſint voluntatis Diuinæ, myſteriorumque diuinorum arcana pandentium. Fecit igitur Deus hominem ad imaginem ſuam, vt cum Theologis ſentiam, ei in infimas res tantum præbēdo dominium, quantum in ſupernas gerit imperiū. Vel quia ſicut Deus replet omnia; ſic corpus vniuerſū replet anima: vel quia in omnes dominatur creaturas. Ideò enim dictum eſt: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Vel denuò anima ad ſimilitudinem Dei facta dicitur, quia immortalis eſt, vel quia ſeipſam cognoſcens generat in ſeipſa verbum intelligibile, amoris productiuum. Quod cum etiam in perſonis diuinis reperiatur, optimè ad diuinam imaginem homo vel anima formata eſſe dicitur. Inſuper dico cum D. Ioanne Damaſceno, ideò animam eſſe ad ſimilitudinem Dei factam, *quia intellectualis, quia liberi arbitrij, quia per ſe poteſtatiua eſt.*

Quomodo homo creatus ad imag. Dei.

Pſal. 8.

l. 2. ortho. Fidei. pag. 12.

Dico denique, ideò formatam ad imaginem Dei animā dici, quia naturæ perfectionē ſupereminentē tangit, eamque quæ Deo maximè vicina eſt. Nam cum in rerum natura quædam ſint quæ ſolum eſſe habeant, alia quæ vitam coniunctam, alia quæ ſenſum, illa quæ rationis capacia ſunt, diuinæ eſſentiæ magis appropinquant; ita tamen, vt ab illius perfectione multis gradibus diſtinguantur. Et ſic homo intelligibilis eſt. Hæc autem intelligibilitas ſex in ſe includit proprietates: Prima eſt, eſſe indiuidium, 2. eſſe immortale, 3. eſſe Intellectiuum. 4. eſſe liberum, 5. eſſe beatificum, 6. Eſſe dominatiuum cœterorum animalium.

Reſolutio auctoris.

4. Genera generalia in rebus naturæ.

Intelligibilitas ſex in ſe comprehendit proprietates.

Vel rurſum dicò hominem ad imaginem Dei factum, quia ſicut in Deo omnia continentur *eminenter & cauſaliter*, ſic in homine quodammodo etiam

Anima hominis omnia cōtinet.

omnia

omnia continētur. participat in essentia cum lapidibus, vitam communem habet cum plantis, sensum participat cum bestijs, at rationis particeps cum Deo efficitur, sicque in omnibus communicans omnia in se continere dicitur. Ideò benè Aristoteles inquit: *Animam nostram esse quodammodo omnia.* O cœlestem & diuinam imaginem creatoris sui portantem effigiem! Ecce statua Nabuchodonosoris creatoris apprimè referens figuram. Hæc, hæc, drachma est quam inquirit Dominus; *Accendit lucernam, euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam.* Inquirit eam, figuram respicit, & rogat, *cuius est hæc Imago?* *li. 3. de Anima.* *Dam.* *Luc. 15.*

Scriptura sacra triplicis meminit Imaginis. Prima est, Imago Dei de qua habetur Genes. 2. & Sap. 2. Secunda est Imago mortis, de qua Hieremias ait: *Qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis.* Tertia est Imago Diaboli, quæ homini nociua est, & de ea dicitur Apoc. 13. *Vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij* & alibi: *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua & cætera.* Primam, creauit Deus; secundam tulit peccatum, in tertiam mutauit Diabolus. Prima est, supra naturam, secunda suæ naturæ conformis; tertia contra naturam. Prima eam cœlo dat, secunda vermibus, tertia inferno tribuit. Imago Dei hominem nobilitat; nam sicut Ioseph curru sublimis, regijsque torquibus insignitus, ab AEgyptijs honorabatur; ita homo diuina imagine indutus clarus efficitur. Imago mortis, hominem humiliat. ideò AEgyptij in conuiuijs atque delitijs mortis imaginem apponebant, vt qui in delicijs extolli possent, in contemplatione mortis humiliarentur. Imago verò diaboli horribilis est, tetra, monstruosa, turpis, infamis, & maiorem quam dici possit secum deferens fœtorem. *Triplex Imago in Scriptura sacra.* *Hierm. 2.* *Apoc. 13. & 14.* *Imago Dei nobilitat hominem.* *Gen. 41.* *Imago Mortis hominem humiliat.* *Plutar. in conuiuio Sapient.* *Imago Diaboli horribilis est.*

Hæc eſt imago beſtiæ illius Apocalypticæ quæ ſeptem capita & decem cornua vibrabat, quæ imaginem ſuam portantibus ruinam & omnis generis infortunium conciliauit. O funeſtam imaginem! ô infauſtos baiulos! Sed proch dolor, quam multi hodie Chriſtiani illa Dei imagine deperdita impudenter diaboli præferunt; & cor ſuum quod Spiritus ſancti templum erat in Synagogam diaboli conuertunt. Non ita, abſit, demolienda hæc imago eſt; Anima enim poſtquam à peccatorum nexibus abſoluta fuerit, Imaginem Dæmonis cuius antea templũ fuerit, demoliri debet, ad inſtar filiorum Iſraël, qui mortua Athalia, *ingreſſi ſunt templum Baal & deſtruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt validè.* Reuertatur tunc anima ad ſemetipſam & turpitudinem peccati reſpiciens inquirat: *cuius eſt hæc imago?* Duplicem in te ô anima Chriſtiana geſtat Dei imaginem. Priorem in creatione recepiſti: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* poſteriorem in ſacro baptiſmatis fonte aſſumpſiſti. Vtraque verò, eſſe te Dei docet & demonſtrat. In te hanc ſtatuit imaginem vt artificis præſtantia cerneretur. Nã ſicut pictor imagini à ſe factæ nomen apponit vt immortale nomen acquirat; ita Deus, naturæ præſtantiſſimo opere peracto, animaque formata, vt artificis atque creatoris excellentia videretur, ſua eam imagine inueſtire voluit. Vt autem nos in noſtri adducat cognitionem, ſæpè rogat, *Cuius eſt hæc imago?* Tu Religiosè cappa cucullóque indutum dum te cernis, putas, *cuius eſt hæc imago?* Dei ſanè, non mundi. *Qui enim mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Reddite igitur quæ ſunt Dei Deo.*

4. Reg. 2. *Anima peccatrix templum eſt Baal.* *Gen. 1.* **Duplex imago Dei in homine. Similitudo.** **Omnium ordinum pulchra cõſideratio**

Refert Valerius Maximus Scipionem quendam, ob mores à paterna virtute, nobilitate, eiuſque heroicis factis degenere, cognomento ignobilem, Scipionis Africani paternam effigiem gemmiæ annuli cuiuſdam inſculptam geſtare ſolitum: cum autem in Senatu animi eius abiectio & tanti herois filio indi-

Valer. Max. lib. 3 c. 5.

gna

gna referrentur Senatusconsulto cautum est, vtpote maximi Imperatoris monumento indignum, annulo spoliandum, maiorum enim decora degeneres eius mores & imbellis vita plurimum infamabant. O quantum gloriamur nos Christianos? quam alte Christiani nominis dignitatem extollimus: Dei filios nos iactuamus & quod eius imaginem menti nostræ inscriptam gestemus, gloriamur? Sed quid ea nobis imago proderit quam tot spurcitijs fœdamus, quam pessima vita conspurcamus. Quis eorum numerum inibit, qui vt indigni hac imagine indigni sunt; quibus illud Prophetæ horrendum est, *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges*; ideoque sedulo procurandum est, vt *Sicut portauimus imaginem terreni portemus & cælestis.* Psal. 72. 1. Cor. 12.

Hinc forte apud Romanos mos ille inoleuerat, vt loco monilium & torquium, eorum Ephebi bullas quasdam in quibus maiores depingebantur ex collo gestarent, vt earum intuitu ad imitandum facta eorum heroica incitarentur. Haud aliter cœlestis noster Parens ab ipsis incunabulis suam imaginem nobis inseruit, vt factis exprimeremus quem vultu præferimus. Ideoque Isaias ait, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ vos peperit.* quasi diceret, Is indignus diuina est imagine, qui eam peccatorum luto contaminat, qui opera aliena à Patris operibus facit, qui imaginem paternam mala vita coinquinat. Ideòque Dominus Iudæos reprehendens aiebat: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, quasi diceret, nihil prodest nepotibus auorum nomina in fronte gestare, nisi etiam animo eorundem virtutes exprimant: quid mihi malo boni parentis filium esse proderit? Pier. l. 4. Hierogl. *Filij parentum virtutes imitari debent.* Ioan. 8.

Canticorum primo vbi dicitur, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, alia translatione ex hebræorum fontibus deducta, ita legitur, *Imagines masculinas faciemus tibi cum stigmatibus argenteis.* haud secus ac diceret, Amica mea pretiosissimas in- Cant. 1.

netralia, vt videat abominationes pessimas, vt cum Ezechiele loquatur: *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum.* ó miraculum! eo loco nihil præter bestiarum figuras & idolorum simulachra conspici, in quo quondam sola Dei imago colebatur: Si quis abominationes illas inspicere aueat, cordis sui penetralia inspiciat, animæ secretiora rimetur, oculos aperiat, rationem consulat & deprehendet vitiorum abominationes & idola ibidem latitare; ibi inquā passiones, inuidias, sensualitates, vanitates & idololatrias regnare, vbi Christi imago ab initio plantata conspicitur: *cuius est hæc imago?* Non dicit, *cuius sunt imagines?* solum enim vnum Deum credimus cuius imaginem gestamus, vnam fidem colimus quæ Ecclesiæ vnitatem docet; & sicut stellæ vnicum solem, ita nos vnicum regem veneramur. *cuius est hæc imago?* Æternus ille Pictor binas tantum imagines efformauit, sed tanta perfectione vt summi artificij essent documenta. Prior æterni Verbi filij sui, sed ditissima, sed pulcherrima *Imago Dei inuisibilis, & figura substantiæ Patris*: posterior est de qua legimus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Exigua imago si cum totius vniuersi tabula comparetur, adeò tamen pulchra vt cœlum ea ornari desideret, & Dei oculos recreet: Imago est quam Angeli honorant, Dæmones formidant, & reliquæ creaturæ in huius vniuersi Templo adorant: Imago sanè cui depingendæ cœlestis ille Appelles omnia genera viuorum colorum insumpsit, nam cum gemmis habet esse, cum plantis viuere, cum brutis sentire, cum Angelis intelligere. *Cuius est hæc imago?* Ad conspectū Imaginis prototypus agnoscitur, ita homine viso Deus qui eius originale est cognoscitur; & licet in reliquis creaturis Dei aliquod vestigiū sit in homine, tamē perfecta ei

Ezech. 8.

Ex imagine hominis cognosci potest Deus.

imago relucet: & ob hanc causam crediderim Deum toties humana forma apparuisse, vt Danieli, *Ecce vir vnus vestitus lineis & renes eius accincti auro obrizo*: & Ioanni, *In medio septem candelabrorum aureorum simi-lem filio hominis vestitum podere & præcinctum mamillas zona aurea*: & hinc Christus dixisse videtur: *Philippe qui videt me videt & Patrem meum*. q. d. tam vt Deus quam vt homo Patrem meum æternum exhibeo, ita vt me intuens eum videat, nam secundum vtramque naturam eius imago sum. *Cuius est hæc Imago?*

Turrian. lib. 4. de dogmat. charactérib.

Cultus Imaginum ex hoc loco deducitur.

Magnus ille Athanasius relatus à Franc. Turriano ex hoc loco honorem & cultum imaginum colligit; Non enim reprehendit hic Christus Iudæos q̃ Cęsaris imaginē scripsissēt, licet id legeveritū esset; sed potius honorari & in amoris symbolū principi pro tributo pendi. Ex quo colligas quod sicut honor imaginis Cæsaris Cæsaris est qui in sua imagine honoratur, ita honor imaginum Christi & Sanctorū Christi est, & qui Sãctis cultus impeditur ad Dei honorem & gloriã terminatur, iuxta illud Prophetæ *Mirabilis (& honorabilis) Deus in Sanctis suis*, adeò vt honor Sãctorum Dei sit, qui cum ei debeatur redēddus est, ita nobis euangelicā maxima præscribente: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

En honorem & obedientiam quæ Regibus præstare tenemur: Duo enim in hoc vitæ statu maximè necessaria sũt: Timor scilicet & Honor, iuxta illud Principis Apostolorum: *Deum timete, Regem honorificate*. Ex scripturis exempla habemus; Iesus Cæsari, Neroni Petrus, Pharaoni Iosepho, Nabuchodonosori Daniel obedit: & alibi, Rex Sedecias acriter reprehenditur quod Regi Babilonis tributum nō persoluisset: & alio loco honorem hunc & obedientiã etiam comminando Deus præcipit, dicens, *Gens autem & regnum quod non seruierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & qui non curuauerit collum sub iugo Regis babylonis, in gladio & in fame & in peste visitabo super gen-*

tem;

tem; quod præceptum hoc euangelio renouat Christus *Redddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*

Non iubent omnia dari Cæsari, sed solum quæ Cæsaris sunt; alia enim Deo, alia Cæsari debentur, & *Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet*: Neque enim ipse Deus omnia omnino à nobis exigit, non vult nos propriæ vitæ carnifices, ne vnquam de temporalibus cogitemus haud prohibet, corporis curã subinde fieri concedit, vetat corpus ita exagitari vt respirandi spatijs priuetur; solum enim postulat vt perfectè suis mandatis obediamus; cuius pulchram in Gabaonitis figuram habemus.

Cum Israëlita Iericho subuertissent & in cineres redegissent, maximam fortitudinis famam sibi cõpararunt, qua exciti Gabaonitæ qui in proximo habitabant consilium inierunt quomodo furorem populi Israëlitici declinarent, & belli aleam ne iacere cogerentur honorificam legationem mittere, & cũ tanto imperatore, qualis Iosue erat, fœdus ferire decreuerunt: quia autem verebantur iniquius responsum se relaturos si noti accessissent, simularunt se extraneos, vt in regionibus longè dissitis à possessione hebræorum habitare; adeoque fama victoriarum Iosue allectos gentis totius amicitiam pacemque quærere. Icto itaque fœdere, quod pulchro stratagemate impetrauerant, pax vtrinque iurata est: post pauculos verò dies cum Iosue, totusque exercitus intelligerent in vicino eos habitare, seque deceptos animaduerterent, in concilium militare conuenerũt, deliberantes num pax iurata infringenda, ipsiq; fallaces absque misericordia perimendi, in quo tandẽ decretum est ob iuramẽtum socijs parcendum quoad vitam; ob fallaciam tamen, quam commiserant in seruitutem redigendos. Et iuxta hoc decretum, seruata vita, in exercitu habitu seruorum tanquam mancipia seruierunt. Gabaonitæ isti figura fuerunt sensuum exteriorum, & veterem illum hominem sensualitatis & appetitus proprij repræsentabant; Se-

Gabaonitæ sunt typus sensuum exteriorũ.

nem inquam malitiosum & nequam, qui semper aduersus spiritum decertat,& inimicus est Iosue,qui signum est noui hominis desiderantis seruire Deo, & proponentis proprio appetitui renuntiare, ac cõtra Chananęos,qui sunt diaboli omnesque eius confœderati,& socij victoriam obtinere:contingit autẽ, vt proprij sensus de quibus Christus ait, *Inimici hominis domestici eius*, suam ruinam timentes, cum nouo homine pacem inire studeant,vt autem eam facilius impetrent,fraude & stratagemate quodam vtuntur, simulant sibi nihil cõmercij esse cum Chananæis, protestantur quod nõ sint inimici spiritus, quod nõ sint dæmonum confœderati, neque vllam cum illis societatẽ inierint;deceptus homo credit eos vera loqui,& tandem fraudem detegit; licet enim eos non Chananæos,tamen Gabaonitas inuenit; & si non sint dæmones,saltem sub eorum dominio viuunt,& cõmerciũ cum iisdem habent,hominẽmque perdere nituntur. Aduertens hæc Iosue, quamuis eos inimicos iudicet,ob iuramentum tamen datum,& ob affinitatem contractam vita,eos non spoliat vita,nimia abstinentia aut insolita vitæ austeritate eos destruẽs, sed in obsequium rationis captiuans suo eos cogit parere imperio, & suis legibus subijcit:Semper tamẽ eos ita tractans vt instar seruorum alat & officia seruilia exigat. *Reddite* itaque *quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.*

Matt.10.

Agedum ergo anima Christiana, eia omnes Catholici Auditores,Reddite Cæsari quæ Cęsaris sunt, Principi obedientiam pendite, mundo trbiutũ quod debetis exsoluite, corpori quã æquũ est curã impendite, eiusque necessitatibus subuenite,sed interim Deo reddite quæ Dei sunt, sed quid est quod Dei nõ est? *Quid habes,quod non accepisti*? Dauid postquam omnia quæ ad ædificationem Templi præparauerat enumerasset ait,*Tua Domine sunt omnia,& quæ de manu tua accepimus hæc dedimus tibi*, idem ego aio de omnibus

1.Cor.4.

2.Paral. 29.

mnibus illis quæ ad ædificiũ ſpirituale conferimus; à Deo enim ſunt viuacitas ſpiritus, fortitudo corporis, motiones voluntatis, denique omne noſtrum eſſe à Deo eſt & ad Deum redit, atque ita impletur Axioma, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. O omnipotens æterne Deus, æquum eſt & rationi conſonum, hoc debitum, lex, fides, ipſaque natura ad exſoluendum nos ſtimulant: Scimus à natura, Scriptura & ratione Cæſari deberi honorem, obſequium, fidelitatem, tributa, & ſubſidia: Tibi deberi cor, animam, intellectum, omneſque hominis meliores affectus. Anima noſtra tibi debetur, tua enim imagine inſignita eſt, eſt aurum tuo ſigno & inſcriptione conſpicuum, & Maieſtati veſtræ debitum: Si tamen fortè fortuna hæc Regia imago obliterata fuerit, fac eam denuò per pœnitentiam, veramque confeſſionem & contritionem mentibus noſtris imprimamus; his enim malleis imago hæc recudenda eſt: Deinique cor noſtrum tua imagine inſigni, gratiaque reple, vt tandem aliquando te ſuum prototypum in æterna beatitudine feliciter regnantem gaudijs æternis repletum intueri beatificè queat: Quod faxit omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMI-

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Eccce Princeps unus accessit & adorauit eum dicens, Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam & viuet. Matthæ 9. Lucæ 8.

FIGVRA.

Malach. 4.



Alachias Propheta loquens de Aduentu Messiæ dicit: *Et ecce orietur vobis timentibus nomen meum, Sol Iustitiæ & Sanitas in pennis eius.* Duo miracula hodierni series Euangelij refert, non ab hac figura multum aliena. Orietur inquit Sol Iustitiæ, ecce Christi aduentus in mundum; & sanitas in vestimentis eius, hoc præclarè adimpletum fuit in Euangelio, dum mulier solo vestimenti tactu à sanguinis profluuio fuit liberata. Sanitas in vestimentis Christi est, quia & præsentia, & contactu infirmos quosque pristinæ reddit sospitati, vt ex sequentibus clarius patebit. Offeramus virgini cœlicum *Aue Maria.*

S. Bern. sup. Cant. Mellifluus Doctor D. Bernardus tribulationum in semetipso considerans attentiusque perpendens fœlicitatem dicere solebat: *Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, in aduersis eminet.* Et iustè quidem, fuêre siquidem aduersitates tribulationumque procellæ quæ viri patientissimi Iob virtutem alioquin occultam demonstrarunt. Excellentissimum est quod addit D. August. inquiens: *In fornace ardet palea, & purgatur aurum, illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuitur, fornax mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus.* (S. Aug. super Psal. 60.)

Illud

Illud idem alijs licet verbis optimè exponit eiusdem author sententiæ dicens: *Sicut sub eodem igne aurum rutilat & palea fumat; & sub eadē tribulo, stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur, ita vna tribulatio irruens bonos probat, purgat & eligit; malos reprobat, exterminat; & annihilat.* Tribulationes has diuinitus immissas flagellum vocat, eiusque proprietates exponens ait: *Flagellum* (hoc est tribulatio) *interius & exterius glorificat, peccatorem compellit poenitentem, erudit ignorantem, custodit currentem, protegit infirmantem, excitat torpentē; humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viuentem.* Huic me adiungens sententiæ dico tribulationem illud esse salubre pharmacum quo animæ morbi pelluntur, quo salus à supremo medico Deo, restituitur; quo ab omni animæ inquinamento liberamur. Hoc benè indicauit D. Augustinus dicens: *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non ad pœnam &c.* Tribulationes, diuinæ misericordiæ pedissequæ sunt, quæ nos à Deo segregatos in verā diuinæ voluntatis semitam reducunt. Eæ sunt quæ nos inobedientes atque superbientes humiliant; & ad obedientiam reuocant. His enim ad hunc effectū vtitur Deus. Et sicut Ioab Absaloni obtemperare neglexit nisi tribulationibus atque calamitatibus grauatus, sic nos inobedientes atque à diuinis mandatis alienatos per tribulationes reuocat Deus, & ad se per eas, redire compellit. Præcipuè cum in corpore proprio eas sustinemus. Dum enim tribulationes alienas intelligimus, eas contemnimus, quia ad nos nihil attinent, verùm dum eas proprio in corpore patimur, tunc à vita perdita ad saniorem vitam reuocamur. Hoc benè aduertit Iob qui ait: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te, idcirco me reprehendo, & ago pænitentiam in fauilla & cinere.* Hoc est, in alienis tribulationibus audiui te, nunc autem cū eas in me experior, oculus meus videt te. Balthazar Rex Babyloniæ tribulationes regni sui contempsit, neque

S. August. sup. Psal.

S. Aug. in Psal. 21.

2. Reg. 24

Iob. 42.

Dan. 5.

Dan. 5. neque Deum cognouit, nisi cum noua superuenictã tribulatio corpus regium circundedit atque in regem ipsum insurrexit.

S. Chrys. l. de Adamo & Sodomitis. Tribulatio est, qua quasi quodam ære nobis cælum comparamus, *Tribulatio patientiam operatur &c.* Vnde D. Ioannes Chrysostomus grauissimè reprehendit eos qui tribulationes impatienti animo tolerant, quoniam eas Deus immittit, vt supernorũ gaudiorum nos efficiat participes. His enim exagitati, *S. Chrys. hom. 4. de pœnitētia.* mundanis valedicentes oblectationibus, Deũ exaggeratorem sequimur, & cum eo pacis fœdera cõponimus, vt tribulationum molestias moderet, qui infligit. Et hæc ratio est cur Deus vitã à molestijs immunẽ nõ concesserit, vt dũ per has premimur, ad eũ qui premit recurramus. Sed dolẽdũ sanè est, quod cũ *1. Reg. 3.* à Deo tã sæpè simus vocati, ad mũdi vanitates nihilominus declinemus. Similes Samueli, qui à Deo vocat⁹, ad magistrũ suũ Prophetã declinabat. Tribulationes Dei esse voces dubiũ nõ est, sed dũ per eas diuexamur, in mũdi tugurio sanitatis medicamẽta in- *1. Reg. 16.* quirimus. Hoc benè in Saule ostẽdit factũ esse scriptura. Hic. n. dũ à spiritu maligno vexabatur, nõ diuina quæsiuit remedia, sed ad mũdũ sese conuertens, Mundana cytharedorũ inquirebat oblectamẽta. De similibus mundi Idololatris dicebat Propheta: *Ascẽ-* *Isaiæ 15.* *domus Dibon ad excelsa in plãctũ*, & infra : *In triuijs eius accincti sunt sacco super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus descẽdit in fletũ.* Quod verissimũ in mũdo cõperimus. Cõsulimus etenim mũdũ & præter tristitiã nihil reportamus. Deus solus cõsolationũ sicut & tribulationum largitor est. Ad eũ tribulationibus oppressi festino gradu recurrimus, vt benè in Euange- *Concionis propositio.* lica lectione demonstratur: *Ecce enim Princeps vnus* (in tribulatione propter filiæ mortem positus) *accessit ad Iesum & adorabat eum dicens: Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum super eam & viuet.* Vnde ex prosecutione, miraculosa filiæ suscitatio, atque mulieris fluxu sanguinis laborantis sanatio patebit.

patebit. Accessit igitur Princeps vnus, Princeps non proauorum stemmatibus clarus, sed in Synagoga præcipuus atque primas tenens. Qui tribulationem sentiens accedit, vixque appulerat cum ecce adorabat eum. *Vnus,* (inquit Euangelista) *Princeps accessit;* quia inter popularis turbæ frequentiam rarus erat nobilis qui Deum sequeretur. Rarus est & iustus qui in mundana corona reperiatur. Nam de Iob dicitur: *Erat vir magnus* (hoc est virtutibus) *inter omnes Orientales.* Mirum attamen est videre eum qui dignitatum fastigijs præcellebat cæteros, cæteros etiam in adoratione anteire. Et hoc quidem prolis cogit amor, qui licet magnus sit, tamen sibi æqualem immò maiorem reperit amorem. Magnus enim amor Patris in filium, at ipsiipsius amor, etiam paternum superat amorem. Ideo enim Isaac magis diligebat Esau quia sibi alimenta grata ministrabat. Hic amor est qui vxoribus Iacob exire volentibus hæc verba subministrauit: *Nunquid residui habemus quicquam in facultatibus & hæreditate domus Patris nostri.* Sed & hic amor est qui tantam Principi tribuit deuotionem. Nunquid Amor, an fortè tribulatio? Vtrumque dixisse non pigebit. Amor enim incitat & in prolis cõpassionem compellit, at verò tribulatio in Dei venerationem impellit. Vnde benè dicere poterat tribulatus hic Princeps cum Dauide, *Bonum mihi quia humiliasti me.* Hic in adorationem Christi, tribulationũ vi impellitur; at sunt & qui eadem tribulationum afflictione in desperationem aguntur. Bonis.n. cõsolatoria tribulatio est, at iniustos cõprimit, & affligit. *Virga tua* (inquit psalmista) *& baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Dæmones autem tribulationem sustinere non valentes exclamant: *vt quid venisti ante tempus torquere nos?* Adeò vt ad instar Ægyptiarum aquarũ sese habeant, quæ Ægyptijs sanguinolentæ erant & insipidæ, filijs verò Israël dulces & acceptæ.

Princeps iste Synagogæ Iudaicæ decanus erat.

Iustorum paucitas magna.

Amor particularis mirè efficax.

Gen. 25.

Gen. 31.

Princeps vt Deum adoret, afflictionibus vrgetur.

Exod. 7.

Hi varij tribulationũ exitus optimè in virga Moysi figurati sunt. Sicuti enim hæc in manu legislatoris existens

Exod. 4. existens virga erat, & in terrã proiecta, in venenatũ conuertebatur serpentem: sic tribulatio in manu iusti posita consolatoria virga est, qua etiam malorum pelagus diuidatur, at in terrenos homines dilapsa, subitò in venenatam aspidem colubrumque infectũ conuertitur. Iustis itaque prosunt tribulationes, at iniustos excruciant, & male perdunt. Solebat olim

Deut. 5. ab antiquis Sacerdotibus mulieribus de adulterio suspectis aqua tribui, quæ potata; si mulier innoxia erat bonum operabatur, si verò noxia erat, ventris tormina causabat & mortem certissimam inferebat. Idem in tribulationibus reperire est. Hæ siquidem aquæ sunt, de quibus psalmista ait: *intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. i. tribulationes*, quæ quidem epotæ à iustis virtutum adaugent merita, ab iniustis verò sumptæ certissimum operantur exitium. Non eas tibi ô Christiane immittit Deus vt te diuexet, sed vt te superet & ad salutis viam reducat.

Tribulationes nobis Deus immittit ad salutẽ.

Filium suum Absalon insequebatur Dauid, non vt perderet, sed vt ad filialem obedientiam reuocaret. Non perditionem peccatorum inquirit Deus, sed salutem pacemque eorum. Ideò in persona Dei loquens Hieremias dicebat: *Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Nam dum tribulationes immittit Deus, animas qui vi attrahi debent, per eas adducit, & differentiam inter varia hominum genera ostendit. Sunt enim qui solo amore in Deum feruntur, sunt & alij qui in eum nonnisi flagris adducuntur. Et hæc variata hominum genera benè per Hebræas & AEgyptias mulieres figurantur, *quæ quidem hebreæ non sunt sicut AEgyptiæ mulieres* (vt scriptura legimus) *ipsæ enim obstetricandi scientiam habent, & priusquam veniamus ad eas pariunt.* Mundanorum animæ AEgyptiæ mulieres sunt quæ obstetricibus semper indigent. Quarum obstetrices, tribulationes sunt. Ecce Princeps noster tribulationibus adiuuantibus, insigne nobis parit exemplum, insignem ostendit animi conuersionem, *Et adorabat eum.* Vix ad eius pedes

2. Reg. 12.
Deus bellum gerit pacificum.
Ierem. 29
Exod. 1.

cor-

corruit cum voce lugubri in eam irrumpit lamentationem: *Filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam & viuet.* Quibus verbis tria insinuat. 1. Filiam vnicam se habere, 2. eam duodecim annorum esse. 3 morti vicinam esse vt censent Lucas & Marc. dicentes: *quoniam filia mea in extremis est,* & *quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hac moriebatur,* sed iuxta Mattheum iam mortuam esse declarat. *Filia mea modo defuncta est.* Vnde mortis necessitas benè considerari potest, quæ neque iuuentuti, neque senectuti parcit. Iuuentus etenim mortis imperio subiecta est, sicut & senectus. Sicut enim vasa fictilia siue noua siue vetera fracturæ obnoxia sunt, atque quassaturæ si in terram decidant exposita, sic & quęuis ætas & iuuenilis & senilis morti subdita est. Et sicut vas il'ud siue nouum siue antiquum fuerit, primò corrumpitur quod prius in terram ceciderit; ita is primò moritur, siue iuuenis siue decrepitus, quem fatale mortis spiculum percusserit. Ideò benè scriptura de hominum fragilitate loquens ait: *tanquam vas figuli confringes eos.* & iterum: *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Mirum igitur esse non debet si mors moræ impatiens in iuuenili ætate debitum naturæ exigit. Nam quemadmodum iniustus censeretur is qui pecuniam mutuam reddere exigenti detrectaret: sic & iniustus reputabitur is q̃ accõmodatam vitam etiam in iuuentute restituere non volet. Cum tamen mors eam nobis etiam nolentibus auferat. Cuius memoria tantò nostris plus inesse debet mentibus, quantò plus profectus nostris parit animabus.

Oratio principis super mortes filiæ suæ. *Marc. 5.* *Luc. 8.* *Matt. 6.* *Mundus officinæ figuli comparatus.* *Psal. 2.* *2. Cor 4.* *Bella similitudo.*

Sicut enim apes gregatim exeuntes & in aërem cateruatim concertantes pauxillo terræ sedantur, sic animi emotiones, superbæque mentis elationes, mortis & cinerum recordatione flectuntur. Flectebatur præpotens Princeps recordatione mortis filię, quæ *modo defuncta est.* Filia Principis mortua erat in corpore, & Pater pro ea deprecatur, verùm multæ

Elegans similitudo ab apibus ducta. *Multarũ filiarum*

 sunt

Vt ad veram fidem reuocaret sequi dignatus est. Secundo, quia Sacerdotum Princeps erat, ideoque vt debitum Sacerdotibus honorem impenderet, sua præsentia cohonestare dignatus est. *hunc principem, eò quòd sacerdos esset.*

Vt hunc honorem Sacerdotibus habendum esse demõstraret Dominus, in lege pręceperat vt domus quam Sacerdos ingressurus erat optimè mundaretur: *Præcipietque vt efferant vniuersa priusquam ingrediatur.* Nam si Angelis & ipsi Deo honor debetur, hic & Sacerdotibus tribuendus est qui non solum Angeli sed & Dij in scriptura appellantur. Ideoque hunc Sacerdotem Dominus tanto dignatur honore, vt sequi eum velit. *Et cum ingrederetur domum Iairi,* quam tibicines & alij musici impleuerant, eos omnes eiecit, indecorum esse arbitrans luctui misceri gaudia. Nã vt ait Sapiens: *Musica in luctu importuna narratio.* Hæc domus musicalibus repleta instrumentis, mundi imago est: Nam in mundo licet quotidie vita priuentur amici, sunt nihilominus qui mortis imminentis præsentiam parui facientes exultant & gaudẽt, millæ voluptatum atque deliciarum filis irretiti. Sunt in mũdo, qui patiente Domino & in cruce moriẽte aleis ludunt & exultant: Sunt & in mundo qui pueris in fornace Babylonica positis concentum musicum citharatum atque lyrarum harmoniam appetuut. Musici ad hanc domum conuenerũt vel vt antiquorum in exitu prælium tripudiantium atque exultantiũ facta, imitarentur; vel vt iusta nuptiarum quas morte interueniente non habuerat in vita, in exitu & post mortem rependerent; vel vt per concentum lugubrem adstantes in lamentum & planctum prouocarent. Qua ratione huc cõuenerint parum interest eos tamen vt superfluum quid, eijcit Dominus, & se ad suscitationem filiæ componit. *Et deridebant eum.* Deridet mundus facta Domini, *deridetur iusti simplicitas,* sed *& tu Domine deridebis eos. Omnes* (inquit Dominus) *videntes me deriserunt me.* Deridetur Domini nuditas, paupertas, humilitas, *Leuit.14.* *Honor sacerdotibus debitus.* *Eccles.22.* *Matt. 27.* *Cur musici in morte conuenerunt.* *Populus ludibrijs excipiebat opera Christi.* *Iob.12.* *Psal.58.*

Quare populus irrisérit Christum. Crux,& passio. at *tu Domine deridebis eos*. Derident Dominum,quia viuos vocat mortuos *sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Quomodo viuam dicis,quæ modo mortua est? quomodo somnolentam exponis,quam pater modo defunctam luget? Quomodo inquis,puella non est mortua sed dormit? Verba hæc non capit turba,ideoque Domini actiones irridet.

Gen. 21. Sara intellecta per Angelum prolis conceptione, non solum risit nouum arbitrata, sed etiam inquit: *Omnis qui videbit me corridebit mihi*. Sic Mundani dum arcana Dei non percipiunt,stultè admodum & insipiēter irrident. huc illud pertinet: Cùm fur quidā noctu impudentius ludificaretur vigilias nocturnaque studia Demosthenis Oratoris: ille sapienter respondens, *Scio*, inquit, *me tibi molestum esse*, *quia noctu lucernam accendo*. *Demosthenis apophteg.* Fures enim nihil oderunt peius nocturno tempore quam lumen. impij iustorum vigilias,orationes,& lumen in hac vitæ caliginosa nube accensum, dum imitari non valent,extinguere conantur. Obfuscare conantur noui miraculi claritatē Iudæi irrisionibus suis,& dum impossibile vnum arbitrantur miraculum,geminatum videre coguntur. Nam cum ad suscitationem filiæ Principis progrederetur Dominus, *ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit retrò*. *Ambr. li. de Salom. cap. 5. l. 7. Eccl. hist. c. 14.* Hanc mulierem alij fuisse dicunt S. Veronicam; alij Martham, alij à Cæsarea Philippi oriundam, & hæc postrema certior est; quam opinionem tradunt Euseb. & Sozomenus, lib. 5. c. 21. Quæ mulier sanata, vt recuperatæ valetudinis beneficium æternæ memoriæ commendaret, erigendam ante vestibulum domus suæ statuam ex ære curauit, quæ insculptam habebat imaginem Christi, cuius ad pedes quidam flosculus paulatim crescebat, tangebatque tunicæ ipsius fimbriam. *Statua in Christi honorem erecta ab hæmorrhoissa.* Inerat que illi tantum efficaciæ, vt sanitatem conferret omni morbo. Verùm cum tandem Iulianus Apostata hac statua euersa, in eius locum suam collocari imperasset, cælum eiusmodi vindicans ini-

qui-

quitatem, emisso horrendum in modum fulmine, ipsam disiecit. *Et ecce mulier quæ sãguinis fluxũ patiebatur.*

Misera mulier hæc grauissimè laborabat, tũ propter morbi vehementiam, tum propter morbi durationem, tum propter mala quæ sustinuerat ad sanitatis recuperationem; tum denique propter bonorũ dissipationem, quæ in procuranda valetudine frustra expenderat. His itaque varijs afflicta languoribus in seipsa dicebat: *si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius salua ero.*

Hæmorrhoissa misere afflicta.

Insudat hic Caluinus qui Sacrarum reliquiarum vsum negare volens, superstitionis hanc mulierem accusat, quam licet tactu vestimenti sanatam concedat; in reliquijs similem tamen virtutem esse falso negat. Laudatur mulier à fidei magnitudine, & eam accusat spiritu diabolico Caluinus de superstitione & indiscretione. Qui licet insaniat, non tamen debitum sacris reliquijs honorem subtrahemus. Quidni enim si vmbra Petri potuit sanare infirmos, Martyrum, Confessorum, & virginum ossa id facere poterunt? Si defuncti Elisæi ossa suscitare solo tactu mortui hominis corpus potuerunt; quidni Apostolorum ossa id exequi poterunt? S. Hieronymus refert D. Antonium pluris fecisse tunicam Sancti Hilarionis, quam diuitias & opes cuiusuis Cræsi. Nec mirũ, cum citiorem conferant reliquiæ sacræ sanitatem, quam etiam vniuersa medicorum pharmaca. Expẽderat hæc mulier vniuersam substantiam in medicos, ideoque misera facta erat, *nam miserè viuit, qui medice viuit.* Et vt benè in græcis sententijs reperio. πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν hoc est, Multorum medicorum visitatio me perdidit. Vnde Pausanias rogatus à medico cur nunquam ægrotaret, respondit: *quia te medico non vtor.* Qui rursus interroganti cur eum crudelitatis accusaret quem nunquã expertus esset subiecit, Nec si expertus fuissem te accusarem nam non essem. Inde innuens medicos plerumque causam esse mortis ægrotorum. Necessarij

Error Caluini.

Act. 19.

4. Reg. 13.

Hier. in vita S. Antonij.

Pausaniæ apophteg.

Medicorũ ignorantia maturat mortem ægrotorum.

Eccl.38. tamen quandoque ſunt, Ideoque honorari eos iubet Sapiens, inquiens: *Honora medicum propter neceßitatem* & alibi loquens de medicina inquit: *Vir ſapiens non abhorrebit eam.* Neceſſarios quandoque iudico, at etiam animaduerſione dignos eſſe denuncio cum ſubſtantiam ægrotorum exſugunt, nec valetudini reſtituunt Sicut hæc mulier ſua bona expenderat, nec tamen ſanitati erat reſtituta. Fœlix ſanè huius mulieris infœlicitas! Quæ optimè cum Themiſtocle dicere poteſt *perieramus filij, niſi periiſſemus*, Nam niſi bona fortunæ periiſſent, nunquam ad verum medicum veniſſet, ſicque miſerè periiſſet. Inquirit itaque ſanitatem, circumcurſitat vndequaque medicum inquirens in omnes turbas irruit, & ipſam et propriæ ſoſpitatis ſollicita, nulli parcit labori. Non ita fit in filia Principis cuius ſanitatem inquirit Parens. Et hoc appoſitè vt doceantur virgines non huc illucq; per populorum frequentias circumcurſitare, varijs ſe negotijs implicando, ſed vt domi recluſæ morentur. Ideoque Hebræi puellas nominauerunt vocabulo *Alma* quod ſonat *recluſa*, quia virginis proprium eſt caſtum gerentis animum in ædibus ſemper commorari.

Plut. in vita Themiſtoclis. tom. 1. & tom 2. in apophth. græc.

Virgines ne excurrant.

Cant. 8. Poſtquam Sponſus de ſororis connubio ſollicitus inquiſiuiſſet *quid faciemus ſorori noſtræ in die quo alloquenda eſt*, (*loqui* hic ſumitur pro *nubere*) protinus ſubiunxit, *Si murus eſt, ædificemus propugnacula argentea*, vt oſtendat filiam maximè decere in ædibus atque inter domeſticos parietes commorationem. Neque vt quidam author benè docet, pluſquam ter virgo ab ædibus exire debet, ſemel in baptiſmo, ſecundò, in nuptiali coniugio; tertiò in ſepultura & morte. Et ideò amicam ad ſolitudinem prouocans ſponſus, & eius clauſuram extollens, aiebat: *Amica mea, columba mea in foraminibus petræ.*

Virginem nonniſi ter domo egredi fas eſt.

Cant. 2.

Pſal. 127. Cuiꝰ etiã ſolitudinis pręſtãtiã nõ ignoraſſe videtur pſalmiſta dum ait: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tua.* Non ait in plateis aut ciuitatis compitis,

pitis, sed in lateribus domus tuæ. Hanc solitudinem etiam didicerat Sara quę eius adeò sedula custos erat vt non solum à populari frequentia sese subtraheret, sed nec cum hospitibus conuersaretur. Vnde Angeli hospitio ab Abrahamo excepti solitudinem matronæ admirantes, interrogabant: *Vbi est Sara vxor tua?* Hanc solitudinem edocere voluisse videtur Deus Hebræas, cū in exitu de AEgypto imperauit vt quælibet non vbique, sed solum à vicino vasa aurea & argétea cōmodaret. Decet etenim matronā, vt maxima deambulatio in vicinia sit. Lōgius autē progredi indecorū est. Ab hac solitudine laudatur Iudith. Ab hac etiā laudabitur quæcūq; iuuencula, rectè solitudinis rationē obseruans. Periculū non est in decrepitis muliereulis, quæ iā grandæua ætate, canos gerunt capillos. Qualis erat mulier nostra quæ sanitatē inquirens omnia lustrat cōpita vt Christū inueniat. Substantiam suā omnem dissipauerat in procuratione sanitatis, nec tamē inuenerat. Idē mundanis quotidie euenit, nam dum inter thesauros requiem inquirūt, in curarum atque molestiarū pelagus se lapsos esse aduertunt. Mundus omnem extorquet substantiam, diuites euacuans & eorum exsugens opes, pauperes verò eijciens, & mittēs foras. Vnde Diogenes die quodam interrogatus quomodo se gereret Dionysius Tyrannus erga sui imperij inhabitatores, respōdit: Diuitū exsugit opes, vacuos autē eijcit foras. Testis mihi sit diues epulo, *qui dissipauit omne substantiam suam.* Sit ex altera parte testis Lazarus *cui nemo dabat.* Verùm ad altiora conscendamus. Cum attentius huiusce mulieris statum perpendo, peccatoris mihi in mentem occurrit imago. Nam qui peccatum peccato adiungit, hic profectò sanguinis profluuio laborat; estque morbus hic Spiritualis penè incurabilis, sicut & fluxus sanguinis corporalis.

Gen. 18.

Exod. 12.

Iudith. 6.

Mundus diuites pauperes facit.

Luc. 15.

In hæmorrhoissa magni peccatores repræsentati.

Hoc olim ostēdere nitebatur Augustus Cæsar qui Galbę gibboso dicēti *Corrige si quid peccaui Auguste*, pul

 chrè

Insigne Aug. apophteg. chrè admodum & apposité respondit: *ego te monere possum Galba, corrigere non possum.* Idem inueteratis peccatoribus dici potest. Moneri enim se sustinent, at corrigere & emendare negligunt, Impossibileque est eos ad pristinam redire salutis viam nisi ab omnipotentis manu subleuentur.

Hæmorrhoissa veteris legis figura. Beda in Exod. c.3. Hæc fœmina quæ in pharmacis (sine profectu tamen) omnia sua bona expendit, legis antiquæ figurā optimè præsetulit. Siquidem lex antiqua omnia Sacramenta, fidem omnem, mysteria omnia exponebat vt sanitatem redderet peccatori, nec tamen vel vnicum vitium perfectè curare valebat. Sic Beda opinatur exponens tertium caput Exodi. Insuper hæc fœmina ex longitudine morbi considerata, peccatorem in peccatorum sordibus religatum apprimè refert. Et hic spiritualis morbus incurabilis est atque Deo maximè ingratus. Hæc obduratio in peccatis, abominatio quarta est quam Dominus Ezechieli ostendit, de qua sic loquitur: *Et ecce in ostio templi Domini viri dorsa habentes contra templum & altare Domini, & ecce applicant ramum ad nares suas.* *Ezech. 8.*

Amos 1. Rupertus non esse dissimilem visionem censet quam Amos refert inquiens: *Super tribus sceleribus Moab, & Edom, Israel, Iuda &c. & super quartum non conuertam.* quia primum peccatum in appetitu est per consensum. 2. in opere executum. 3. in frequenti cōmissione deductum, denique cum in eo delectatur homo ab eo conuerti vix potest. *Consuetudo enim fit alia natura.* Dum autem in eo senuerit videndum est ne ira Dei adueniat dissipans vniuersam peccatoris molem. Angelus percutiens non signatos nota Tau, cæpisse dicitur à senioribus, & Deus iudicaturus non signatos virtutibus, etiam à senioribus incipiet. In ijs enim præcipuè languores incurabiles sūt, & morbi insanabiles, vt in hac muliere videre est. Quæ diu tamen morbi vehementia diuexata medicum inueniens, quod fide crediderat, opere experta est. Nā vix fimbriam vestimenti Saluatoris tetigerat, cum *Ezech. 9.*

virtute

virtute supernaturali operante salua facta est. Vnde Dominus virtutem à se exisse sentiens inquit: *Quis me tetigit?* Non ignorans rogat, sed vt opera Dei manifestentur hominibus. *Et salua facta est mulier ex illa hora.* Successiue per medicinam tribuitur sanitas; at solo contactu vestimenti, etiam incurabilis pellitur ægritudo. Nunc liceat cum Dauide vniuersum orbẽ in laudem Dei conuocare. Liceat inquam mihi dicere populis: *Narrate omnia mirabilia eius.* liceat dicere: *venite & audite qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Liceat mihi cum Raphaële populos in laudem Dei prouocare, dicendo: *Vos autem Benedicite Deum cœli & narrate omnia mirabilia eius. Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.*

Sanatio hæmorrhoissæ prodigiosa.

Psal. 104.

Tob. 12.

Videte igitur & ex hoc Euangelio colligite honorem non solum corporis sed animæ Deo debitũ, siquidem Princeps Euangelicus accedens adorauit, & adorans accessit. Mortis insuper ineuitabilitatem & incertitudinem, siquidem filiam in pleno ætatis flore rapuerat. Pudorem insuper peccatori necessarium ex pudore mulieris aduertite. Potentiam denique omnipotentis in operibus & miraculis perpetrandis aduertite, quæ miracula eò magis prædicanda sunt, quo à potentiori authore processerunt & maiora sunt.

Sed quis in hac parte deficeret? Insensibilia laudes tibi debitas rependunt, nunquid homo eas referre detrectabit? Ad eas obligamur, nam conueniens est vt creatura suum collaudet creatorem. Verum hic ô bone Iesu animæ sunt fluxu sanguinis laborantes, hic animæ filiæ summi Principis mortuæ sunt quas curari necesse est. Da igitur alijs vitam, alijs pristinam restituè sospitatem, vt in laudibus tuis proficientes & in spirituali alimento enutriti, & reuiuiscentes gaudijs fruamur sempiternis. Amen.

DOMI-

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco Sancto. Matth. 24.

FIGVRA.

Apoc. 12.



Postolus & Euangelista Ioannes Apocalyp. 12. horribile visu spectaculum vidit: *Ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem; & in capitibus eius, diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Furialis hæc bellua omnem suæ crudelitatis rabiem in vnicam mulierem dirigebat. Indubitatum est veram fuisse Antichristi figuram, qui in fine mundi & venturus est, & Ecclesiam persequuturus, prout Euangelicum eloquium testatur. Erit draco veneno plenus, cornua decem & capita decem cum sceptrorum infinita multitudine gerens, eò quod ad affligendos iustos mille tormenta adinuenier, & ad peruertendos, coronas & regna polliciturus est. Cauda cœli stellas trahet, quia numerosam animarum cælo destinatarum cohortem subuertet: Monstrum illud adeò rabidum erit, vt toti mundo pauorem sit incussurum. Eius truculentissimæ persecutiones in vnam mulierem, Ecclesiam videlicet, grassabuntur. Malitiam eius totam vobis explicabo. Sed Deus cœpta nostra benedicat, eademque gloriosa Virgo secundet. Ea propter communi deuotione ei offeramus, *Aue Maria.*

Scriptura horrendis

Persecutiones queis fideles omnes in mundi fine aggredietur Antichristus, adeò furibundæ, adeò sangui-

sanguinolentæ erunt, vt scriptura ad eas exaggerandas,& nobis intimandas,nomina terribilia, Barbara, & toti mundo inaudita eis tribuat, & hoc sub nomine Antichristi. Primo vocatur malus Iob. 21. *In die perditionis seruatur malus, & ad diem furoris adducetur.* Quæ verba D. Gregorius in moral. Antichristo applicat: Vbi notandum Prophetam Iob magnum iudicij diem duobus epithetis mirabiliter insigniuisse. Vocat diem furoris, quia tunc omnes in ira, bello,& armis:diē perditionis, quia omnia perdita. Non fluent amplius aquæ, desinet influentia cœlestis,elementorum pugna cessabit, non aëra percurrent aues, arborum, florumque decor marcescet, homines non viuent amplius; breuiter multa paucis,vt denique perstringam erit ruina, & perditio generalis.

nominibus Antichristum de scribit. *Iob. 21.* *Greg. in Moralib.*

Secundo. Antichristus vocatur Impius Isaiæ 11. *Et spiritu suorum interficet impium.* i. Antichristum. vt Glossa exponit. Et verè hoc nomen aptissimè ei appropriatur;Erit namque deuotionis grando, totius religionis flagellum, pietatis & sanctitatis strages. Virtutes proscribet, admittet vitia; expellet iustos, impios extollet:violabit iustitiam, iniquitati dabit triumphum; cœlo terram præponet, in veritatem insurget,mendacioque dabit vigorem. O impium! Campanilia & altaria demolietur; in Sacerdotes bella geret, abolebit sacrificia, prophanabit sancta, multisque modis Ecclesiam persequetur.

Antichristus impius. *Isaia. 11.*

Tertio. Vocatur iniquus. D. Paulus. *Iniquus reuelabitur, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,& destruet illustratione aduentus sui.* Hoc nomine vocatur quia veluti sceleratus & infelix omni æquitati & iustitiæ cōtradicet,& nullas agnoscet leges præter passiones tyrannicas, diabolicam voluntatem,crudelitatem extremā. Dei præcepta,statuta naturæ,humanas & ciuiles leges, Principum decreta, mundi consuetudines violabit:Ei passio lex erit;mandatum voluntas,decretum libertas,consuetudo immanitas.

Antichristus dicitur iniquus. *2. Thess. 2*

Quarto.

Dan. 8. Quartò. vocatur *Rex impudens facie* Daniel. 8. *Consurget Rex impudens facie , & intelligens propositiones.* Quæ verba exponit Lyranus insignis scripturarum interpres de Antichristo, qui fronte perdita, omniq; pudore destitutus , in omnia sese vitiorum genera inclinabit . Regis quidem nomine sublimatur, sed perditi atque impudentis qualitate denigratur. Ideoque in Apocalypsi bestia nominatur *& admirata est vniuersa terra post bestiam.* Nam humanitatis nihil in se habebit, verum bestiæ ad instar omnium peccatorum fœcibus inquinabitur. Apoc. 13.

Quinto homo peccati appellatur 2. Theff. 2

Quinto. Vocatur: *Homo peccati. Ne quis* (inquit Apostolus) *vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati. Homo peccati*, sonat, quasi *Homo peccator*, quia Hebræi vtuntur genitiuo substantiui loco adiectiui, vt in aliis scripturæ locis claret: *Viri diuitiarum* pro, *Viri diuites: Deus Iustitiæ*, pro *Deus Iustus* Et benè homo peccati nominatur, quia quo plus in Christo abundauit plenitudo gratiæ, eò plus in Antichristo superabundabit, plenitudo nequitiæ.

Sexto dicitur filius perditionis.

Sexto dicitur ab Apostolo, *filius perditionis*, dicente: *veniet filius perditionis, qui dicitur Antichristus, & putans quod sit Deus, exaltabit cornua sua nimis.* & confirmat S. Methodius in l. de primis & nouissimis temporibus tantoperè ab Hieronimo præfatione in Danielem commendatus. Quia in hominum perditionem nascetur . Qui ideò Salamandræ comparatur, quæ cum serpentes omnes veneno mutuo sibi inuicem non noceant, contactu aquæ si ab aliis serpentibus fuerit epota, alios inficit & ad mortē perducit. Sic Antichristus suam & peccatorum aliorum perniciem operabitur, ideoque perditionis filius rectè nuncupatur.

Antichristus Propheta falsus. Matt. 24.

Denique, Hic Antichristus nomen sortitur à doctrinæ falsitate ; nam græcum Antichristus latinis sonat, *Contra Christū.* Aliud nomen ei indidit Daniel, cap. 11. Regem septentrionis cum appellans. Et de eo

loquitur

loquitur Euangelista cum ait: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto &c.*

Quæ verba non à se loquitur Euangelista, sed à Domino prolata fuisse refert. Nam cum Apostoli admirantes structuram templi Domino dixissent; *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ*, respõdit Dominus. *Non remanebit lapis super lapidem.* & hæc omnia fient, *cum videritis abominationem desolationis.* *Compẽdiũ Euãgelij.*

Quorum verborum variam varij interpretationẽ adferunt. D. Hieron Hilarius, Eusebius cum aliis intelligunt per abominationem Antichristum. Chrysost. Euthymius & alij plerique exponunt de statua Cai Cæsaris quam aquilæ suprapositam in templo per adulationem erexisse fertur. Philo alterius statuę meminit quam Petronius in templum vt adoraretur inuehere à Caligula iussus erat. Hugo Cardinalis interpretatur de statua AElij Adriani quam Romanis triumphantium more in templo Salomonis tanquam digniori loco reposuerunt, quæ inter magnificæ illius AEdis rudera ad tempora S. Hieronimi vsque perdurauit. D. Ambrosius censet exponendam esse hanc abominationem de capite porcino, quod Romani in despectum Iudæorum templo imposuerant, quia eis abominabile erat & inuisum. *Varia opiniones.*

Probabilior tamen opinio est quam tenent. Origenes, Aug. D. Thom. Caietanus & penè omnes alij, & exponunt hanc abominationem fuisse in obsidione vrbis Hierusalem cum *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi* superueniens, etiã proles & infantulos lactentes in escas parentibus pro inopia cibariorum, obiecit. Refert Iosephus in ea obsidione tam peste quam bello ac fame correptos esse vndecies cẽtena millia hominum, nonaginta millia fuisse captiuos, qui exinde vagabundi per vniuersum orbem discurrerunt. Et hanc iustam Dei vindictam ob necẽ *Probabilior opinio.* *Miseria Iudæorũ sub Vespasiano.* *Ioseph. de Bello Iudaico.*

filij

Psal. 58. filij sui Domini nostri Iesu Christi iustè inflictam prædixisse videtur Psaltes regius cum ait: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas illos, nequando obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine.* Nunquid hæc tribulatio magna est. Ita sanè, adeoque magna vt Dominus de ea loquens dixerit: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Solet scriptura inhumanitatē exponere volens, varijs calamitatum generibus vti; 4. Reg. 8. quemadmodum & Prophetæ vsi sunt; Nam Elisæus Duci Hazaël Regis Benadab, mala euentura præsciēs cum lamentis & suspirijs dicebat: *Scio quæ facturus es filijs Israel mala, ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnātes diuides.* Sic Amos Ammonitarū crudelitatem referens aiebat: Amos 1. *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* Ob hanc causam vt censet Origenes, Dominus Romani exercitus crudelitatem exponens dixit, *Væ prægnantibus &c.* Theophilactus opinatur à Ioseph. l. 7 de Bello Iudaico c. 8. Christo maledictas eo tempore vterum gestantes nam earum filialibus contigit vt inaudita feritate quæ pepererant filiorum viscera depascerentur. Beda cum Chrysost. Hieronymo & Euthymio censet id dictum fuisse à Domino quia matres pondere filiorum aggrauatæ, mortis periculum effugere non valerent. *Tunc enim erit tribulatio magna.* Tribulationem atque inæstimabilem hanc afflictionem huiusce ciuitatis præuidens Dominus, Luc. 19. *fleuit super illam*, dolore, atque compassionis animo commotus, Hoc benè præfiguratum fuit in Dauid, qui sciens ruinam Sicelegi, *cum populo leuauit vocem & planxit donec deficerent in eo lachrymæ.* Matathias considerans proximā 1. Mach. 2. suæ gentis ruinam aiebat: *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis Sanctæ, cum datur in manibus inimicorum: sancta in manu extraneorum facta sunt; templum eius eius sicut homo ignobilis:*

nobilis. Et ecce Dominus deflet afflictionem venturam Hierusalem. Afflictionem sanè inęstimabilem. Hinc enim templa violabantur, mænia destruebantur, Sacerdotes interficiebantur, altaria prophanabantur, virgines non in pretio sed in lucro ponebãtur, denique omnis religio vacillabat, peribat tota vrbs, vniuersa quæ in ea erant periclitabantur. *Quis talia fando temperet à lachrymis*: Erat tribulatio talis, qualis non fuit ab initio mundi.

Mira crudelitas tempore obsidionis Hierosolimitanæ excitia.

Virg. 2. Æneid.

Hic aliquid de Aduentu iudicis in fine mundi dicere conuenit. Ea etenim verba, licet ad destructionem Hierusalem accommodentur, Iudicio tamen extremo aptius conueniunt, vt benè docet August. Nam cum Dominus tribulationis magnitudinem, & eius præcedentia signa exposuisset, Apostoli inquisierunt tempus dicentes: *Domine quando hæc erunt & quod signum aduentus tui*: Nec dubitat Hieronymus de Aduentu extremi iudicis ea verba exponenda esse, siquidem in illa die talis erit *tribulatio qualis non fuit ab origine mundi*.

Aug. 20. de ciuitate. c. 5. & epist. ad Esichium.

Tribulationem venturam dicit; quia per eam Iusti expurgandi sunt, ne coinquinatum aliquid in illud regnum admittatur, sed adeò magna erit, vt eã diluuio aquarum comparet sacrum eloquium: *Pro hac orabit* (inquiens) *ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarũ multarum ad eum non approximabunt* & iterum. *Sicut in diebus Noe sic erit aduentus filij hominis*. Hæc est tribulatio, quam exaggerans Propheta ait: *Montium fundamenta comburet. Ignis est, qui ante ipsum* (supple iudicem) *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Ignis qui tunc in summo gradu positus vniuersas orbis partes inflammabit. Et nonnè hæc tribulatio magna? Ita sanè, adeoque magna, vt tempestati eam assimilare Prophetæ non dubitauerint. Ait enim psalmista, *In circuitu eius tempestas valida*, & iterum; *ita persequeris illos in tempestate tua*. & Danielis 11. *Et quasi tempestas veniet contra illum*. Nahum 1. *Domi-*

Purgatio iustorum ante diem Iudicij.

Dies iudicij comparatur diluuio.

Psal. 31.

Matth 24.

Ignis præcedens Iudicium.

Psal. 49. & 82.

Dan. 11.

2. *Dominus in tempestate, & turbine via eius, & nebula, puluis pedum eius.* Tempestas verenda sanè, tempestas vbique, in cœlo ob confusionem motus, in aëre ob fulgura & coruscationes, in mari ob ventorum inflationes, in terra ob emotiones atque trepidationes: *tunc erit tribulatio magna.* Et primò quidem ob multitudinem signorum terribilium præcedentium aduentum Iudicis: *Erunt enim signa in Sole, & luna, & stellis.* Secundò ob angustias temporis & necessitatem comparitionis: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Tertiò ob insolitam cuiusque conscientiæ apertionem: *Illuminabit enim abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Denique ob furorem Iudicis, & intolerabilem vultus illius claritatem, quæ tanta erit, vt solo vultu, vniuerso orbi incutiat timorem. *Ab increpatione vultus tui peribunt,* inquit psalmista, & iterum: *Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.*

Circumstantiæ aggrauãtes Iudicium. *1. Cor. 4.* *Psal. 79.* *Nahum. 5.*

Similitudo. Dum Rex quispiam recreationis causa ciuitatem ingreditur, vnicuique datum est in eum intueri, faciem præbet amicam. Dum verò vt rebellem ciuitatem puniat aduenit, furibundam sibi fingit, arma assumit, nemini datur sermonis locus. Sic Dominus, pacis causa veniens in hunc mundum, peccatores reconciliaturus benigna facie nobis apparuit: In secũdo autem aduentu, cum peccatores diuinorumque mandatorum contemptores iudicaturus est, flammeis oculis, voceque tonante conspicietur. Furibundus omnino apparebit, tum propter coloris variationem tum propter oculorum qui antea benigni erant alterationem, tum propter vultus inflammationem. *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.* & iterum: *Diuisi sunt ab ira vultus eius, Montes fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* & alibi: *Sileat à facie eius omnis terra.* Ecce Prophetiæ, nec tamen desunt figuræ.

Iudex iratus adueniet. *Nahum. 5.* *Psal. 54. & 96.* *Ioel. 2.*

Iudicem

Iudicem enim nostrum in habitu & qualitatum perfectione describit Daniel cum inquit: *Et leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus accinctus lineis, & renes eius accincti auro obrizo & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius sicut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens &c.* Quid hæc aliud quam iratum iudicem portendunt? Eiusdem hominis Iudicis inquam nostri qualitates non absimiliter exponit Euangelista, inquiens: *Oculi eius tanquam flamma ignis, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Tantus erit furor Domini nostri iudicantis, vt vndiquaque ignis ab eo respiraturus dicatur: *ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo* Hunc vultum furoris, olim lætabundum, intueri verebatur Iob qui aiebat: *Quis mihi hæc tribuat vt in inferno protegas me, transeat furor tuus?* Iudicauit olim ex cõmutatione vultus Patris sui Laban, Iacob mutationem amicitiæ, dicebatque vxoribus suis: *Video faciem Patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nudius tertius*: Simili modo cum ex hilari vultu in seuerum viderimus eum esse mutatum; quantus sit eius furor facilè colligi poterit. *Dan.10.* *Apoc.1.* *Iob.14.* *Gen.31.*

Secundò furor patebit in gressibus Nam sicut ex modo progressus hominis furorem colligimus, sic ex insolito progrediendi modo, ex inaudita maiestatis concomitatione furorem iudicis facilè perpẽdemus. Ignis præcedet, Angeli comitabuntur, creatura trepidabit, flãmeus totus Iudex apparebit; omnisque aduersus hominem incedet plenus maiestate, loquetur cum seueritate, iudicabit in æquitate; quicquid illo die ei obuiam venerit, in peccatorum capita conuertet Solem, lunam, stellas elementa, imo vniuersam mundi machinam euersurus videbitur. *Furor iudicis ex incessu.*

Tertiò, furor Iudicis ex vociferatione atque vocis mutatione colligetur. *Nam Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prælatór suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit* inquit Propheta. Nec solum clamabit, *Ex vociferatione.* *Isaiæ 42.*

Ioel.3. sed vt ait Propheta; *Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli & terræ.* Hiere.25. Et Hieremias: *Dominus de excelso rugiet, & de sancto suo dabit vocem suam.* Quasi omnes vna voce profiteantur voces omnes humanas simul vnitas nihilum esse respectu vocis Domini. Et ideò Iob vocem Iob.16. illius tonitruo comparans ait: *Quis poterit magnitudinem tonitrui illius intueri* ? Et quis tribulationem Matt.24. magnam futuram inficietur? *Sol obscurabitur; luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Insuper, Psal.64. *turbabuntur gentes & timebunt, qui habitant terminos à* Isai.64. *signis tuis.* Exclamat inde Propheta: *Descendisti, & à facie tua montes fluxerunt, cum feceris mirabilia, non sustinebimus.* Tanta erit eius temporis tribulatio, vt sola recordatio à peccatis nos impedire valeat. Psalmistam audiamus vaticinantem: *Dixit iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltere cornu; quia neque ab Oriente neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est.* Vt passionum suarum motus comprimeret Hieremias hoc vtebatur Hier.15. remedio; *sedebam* (inquit) *solus, quia comminatione replesti me.* Nec absimile est quod docto eloquio nobis Iob.9. indicauit Iob: *Verebar* (inquiens) *omnia opera mea, sciens quia nos parceres delinquenti* Imo Cicero contra Epicurum de diuina prouidentia agens docet, impossibile esse quempiam peccare & Deum non timere, si semel sibi persuaserit in cælo iudicem esse qui bonorũ & malorũ rationes sit exacturus. Videte igitur & scrutamini quantum profectus & vtilitatis pariat tribulationis venturę recordatio, dum ego de Antichristi abominatione aliqua dicere pergo.

Recordatio iudicii refrænat peccatores.

Antichristus ergò abominatio dicitur, quia sibi diuinam vsurpabit potentiam, diuinoq; se dignum honore arbitrabitur. Dicitur autem desolatio, quia iuxta sanctorum patrum expositiones, omnem orbem seditionibus atque tribulationibus replebit. Ex quo Euangelij sensu sic per Patres explicato, manifestè probatur ignorantia, & vt potius dicam, impuden-

Cur Antichristus dicatur abominatio.

pudentia hæreticorum, affirmantium Pontificem summum esse Antichristum. Primò, quia Iudæi sunt Antichristum recepturi, vt prædixit Dominus Christus, inquiens: *si alius venerit in proprio nomine, illum recipietis*, cum igitur Iudæi nunquam Pontificem summum receperint; certum est eum non esse Antichristum. Secundo, Antichristus sibi Messiæ nomen assumet, nullus tamen est summorum Pontificum, qui sibi eam dignitatem vsurpare ausus sit. Tertio, Antichristus thronum suum in templo Salomonis collocabit, nullus verò est Pontificum qui in eo sedit. Quarto. Antichristus sacrificia & oblationes impediet teste D. Hieronymo, quis autem summorum Pontificum aliquem tale quid attentasse, audiuit? Deniq; vnicus cum esse debeat Antichristus, qui fieri potest vt tot de nouo sint creati summi Pontifices? mentitur itaque quisquis vana delusus fide summum Pontificem Antichristum esse arbitratur. Erit insuper Antichristus capitalis & ferus Christi inimicus, omnium sceleratorum dux & caput vt docet Glossa super caput 21. Iobi: imo S. Hyppolitus putat eum fore Diabolum incarnatum. Sed certum est verum hominem futurũ, vt ex Apostolo ad Thessalonicenses 2. colligitur & Hieronymo super 11. Danieli, qui dicit in Babylone quod confusionem sonat nasciturum, eo quod per totum mundum plurimas turbas & meram confusionem sit daturus. Ex Iudæis etiam nascetur Antichristus, & quidem ex tribu Dan. Erit attamen in omni astutia robustissimus, in promissis munificus, in voluptatibus delicatus, *ita vt in errorem adducantur* (si fieri potest) *etiam electi*, vt confirmat Apostolus dicens: *Cuius est aduentus in operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Adeò vt bene ei coaptari possit illud. *Cui nomina mille, mille nocendi artes.*

Calumnia hæreticorum dicentium Papam Antichristum. *Ioan. 5.* *Matt. 24.* *2. Thes. 2.* *Aug. lib. 20. de ciuit. c. 8.*

Huius impii dominatio tribus annis cũ dimidio duratura est, quod ex Apocal. colligitur, scriptum est

 enim;

Apoc.3. enim: *Data est illi potestas facere menses* (id est mala in mensibus) *quadraginta duos*. Et Daniel audisse se iurātem ait: *per virtutem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis &c.* quæ verba explicans subiungit: *dies mille ducentos, & sexaginta.* quæ omnia benè computata, tres annos cum dimidio complet, quo tempore regnaturus est cum tanta impietate, atque inhumanitate, vt dici possit; *tunc erit tribulatio magna qualis non fuit ab origine mundi.*

Dan.12.

Duo genere persecutionum Antichristi.

Quicquid .n. hic peruersus in vita faciet, hoc vel ad vexationem, vel ad deceptionem declinabit. vtrumque in prophetia Iacob reperitur: *Dan coluber tortuosus &c.* Glossa exponens ait: *Antichristus erit vt coluber fallax blanditijs, & deceptionibus, & erit vt cerastes exterminans tormentis.* Cerastes enim est serpens duobus ex ignis cornibus præditus; dum autem prędæ insidiatur totum corpus terra occultat, vt solum bina cornua promineant, quæ speciem vermium aut lumbricorum præferunt; adeoque aues aduolantes mox prodente se ceraste deuorantur. Hic infinitarū blasphemiarum falsæque doctrinæ author erit, in quam vniuersum orbem pertrahere conabitur. In sacrosanctum missæ Sacrificium insurget, vt testatur D. Greg. & vt patet Dan. 7. *Robur datū est ei contra iuge sacrificium, & prosternetur veritas in terram.* Quod & Ioel affirmat. c. 1. Deinde Iudæos circumueniet eos bonis temporalibus ditando, quod vt aptius faciat, templum Salomonis reædificabit, seque cum alijs circumcidi curabit, Apostolicas traditiones, Ecclesiasticasque cæremonias exterminans. Sabbathum obseruari imperabit vt refert Albertus Magnus. Quę omnia olim in Apocalypsi prædicta fuerunt per Euangelistam dicentem: *Vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire tres Spiritus immūdos ad modum ranarum.* Primus spiritus est Diabolicus mille technas, artes, laqueosque quibus decipi antur homines texens. Secundus, spiritus bestiæ est, quia licita esse omnia vitia ore nefando propalabit. Tertius

Antichristus se Iudæorum Messiam iactabit.

Albert. Magnus in comp. Theol. l. 7. c. 7.

Apoc.13.

tius est Spiritus falsitatis & Hypocrisis de quo ait D. Gregorius. *per hypocrisim sanctitatis, eam quam ipse Dominus veraciter habuit singularem sibi inesse Sapientiam mentietur & vitam, & sub æqui specie auditoribus reprobus serpentinum virus infundet.* li.33. Moral.

Daniel eius dolos atque malignas artes prospiciens de eo ait: *habebit os loquens ingentia*, quæ verba exposuisse videtur Dauid cum inquit: *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo.* Insuper hic Impostor multos per signorum varietatem decipiet; nam licet vera miracula operari non possit, vt docet D. Thomas, tamen intermissione Dæmonis, permittente Deo, signa multa operabitur. Ignẽ de sursum aduocabit fulgura coruscabit, tonitrua operabitur, ventos validissimos exurgere faciet, montes transferet, & his similia, iuxta illud psalmistæ: *Deus noster refugium & virtus &c. propterea non timebimus dum turbabitur terra & transferentur montes in cor maris* Denique munificum se præbebit omnibus larga manu beneficia conferendo, nam vt scribit Daniel, *abundabit auro & argento*, quod aurum & argentum credentibus in se conferet, nolentes verò credere diuitijs omnibus expoliabit. Quod etiam benè prædixit Daniel cum ait: *& abundantes & vberes vrbes ingredietur, rapinas, & prædam, & diuitias earum dissipabit*, eas credentibus in se conferendo. Et sic infinitam populorum multitudinem ad se alliciet. quod benè indicasse videtur Iob cum dixit: *Post se omnem hominẽ trahet, ante se innumerabiles.* Quos autem hisce delitijs inescare non valuerit, hos tormentorum varietatis generibus subijciet. quod indicauit Daniel in visione se vidisse cum inquit: *Videbam in visione, noctè, & ecce 4. venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se* Mare mundus est, per bestias autem quatuor signatur diuersitas tormentorum quibus incredulos doctrinæ suæ affliget antichristus. Per variationem inquam bestiarum varietas signatur vitiorum, quibus vniuersum

Dan. 7. Psal. 9. Antichristus prodigia faciet. 2. 2. q. 159. Psal. 45. Munificẽtia & donis plurimos seducet. Dan. 9. Dan. 11. Iob. 21. Reliquos tormentis. Dan. 7. Quatuor præcipua antichristi vitia.

uersum orbem alliciet. Per Leonem quidem, superbia; per vrsum Luxuria, per Leopardum Hypocrisis. Vltima verò bestia quæ cæteris horribilior esse dicitur, horribilia tormentorum genera designat.

Apoc. 13. Eiusdem Antichristi imaginem nobis refert Euāgelista in Apocalypsi, inquiens: *Vidi bestiam ascendētē de mari habentem capita 7. & cornua decem, & bestia quā vidi similis erat Pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis.* Quæ sanè figura optimè Antichristum exprimit instar vrsi furiosum, leonis crudelem & leopardi ferocem, septem peccatorum mortaliū capitibus conspicuum, & decem cornibus transgressionum decalogi insignitum: ex quo facilè colligas omnium vitiorum sentinam vt cloacam eum fore, illudque euangelij verificandum, *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi.* Quanta igitur in illo tempore putas futura est tribulatio? Chrysostomus inquit: *nouissimis diebus, cum damnatus ille homo aduersus Christum surrexit, tanta erit persecutio ecclesiæ, vt nunquam similis fuerit nec futura sit. Et hoc vt in errorem adducantur, si fieri potest & electi.*

l. 32. Mor. c. 26. Hoc cogitandum mortalibus obijciens D. Greg. ait: *Pensemus quæ erit humanæ mentis tentatio illa, quando pius martyr, corpus in tormentis subijciet, & tamen eius tortor, ante eius oculos miracula faciet.* Habebit enim viros eloquentes qui peruersitatę doctrinæ etiam prudentes circumueniant homines. Hos miseros homines diuitijs in suam protrahet doctrinam. Nam si per modicam voluptatem homines in peccata labuntur, quidni diuitijs allecti Antichristum sequantur? Procliuem ad peccatum hominis animum admirans Dauid, aiebat: *vt quid irritauit impius Deum?* ô quanta erit tunc tribulatio!

Eloquētibus prædicatorib. stipabitur.

Psal. 9.

Maxima sanè, nam in bonorum malum conspirabunt Infernus, Mundus, Antichristus, Diabolus; stratagemata, fraudes, dona, tormenta promissa & blanditias adhibebunt. Maxima erit, quia vniuersalis & contra omnes; maxima, quia vltima, cum po-

ſtremi aſſultus ordinariè ſoleant eſſe vehementio-res;maxima denique vt purius electorum patiētiam probet,ſcotiam excoquat,meritum augeat. *Erit itaque tribulatio magna.*

Notandū eſt quod ſcriptura tribulationē fore dicit,non verò perſecutionē.quia tribulatio homines manet quoadusque in hac vita degunt. Vnde de Domino dictū eſt, *Aſcēdit vſq; ad cælos,& deſcēdit vſq; ad abyſſos*,nec prius aſcendit,quam in tribulationū valle moratus fuiſſet,vt nos inſtrueret in tribulationibus poſitos;de ſpe gloriæ,quæ futura eſt.Sicut enim in ſcala Iacob Angeli aſcendebant & deſcendebant; ſic,in cruce huius mundi nobis deſcendendum eſt per tribulationes,opprobria,& contemptus, vt exinde reſurgentes aſcendamus ad gloriam. *Tribulatio eſt vitæ humanæ ſocia.* *Gen.18.*

Vnde appoſitè Eccleſia quindecim pſalmos graduales inſtituit,quibus aſcendamus ad perfectionē, & hi per tribulationem incipiunt, *Ad Dominum cum tribularer clamaui,& exaudiuit me*. Et Paulus per tribulationes ait comparādum eſſe nobis regnum cęlorum,ait enim *per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum*. Ob hanc fortè rationem ait ſponſa in canticis.*deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Vbi nucum,hortum ſuum vocat, vt oſtendat in Eccleſia militante multas eſſe & varias tribulationes ; Nam ſicut nucis cortex amarus eſt, nucleus autem dulcis,ſic tribulationes amaræ ſunt, verum fructus eorum animabus dulcis &ſuauis.Vnde de Chriſtianis dictum eſt per pſalmiſtam : *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſuā,venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* *Pſal. graduales.* *Cant.6.* *Pſal. 126.*

Doctor Incognitus hunc pſalmum de populo Iudaico à captiuitate Babylonica dimittentibus Cyro & Dario Perſarum monarchis redeunte interpretatur : vbi aduerte lachrymas & moleſtias ſemen gaudij appellari ; idem de tribulationibus iuſtorum dicendum eſt ; nam eorum tribulationes, perſecutiones , moleſtiæ, infamiæ , paupertates

ad mundanas oblectationes conuertat. Tertio. *qui in agro est, non reuertatur tollere tunicam suam;* hoc est. Religiosi qui mundo valedixerunt, ad eum vltra non redeant, negotijs mundanis sese immiscendo.

Quarto. *Vae praegnantibus & nutrientibus*, hoc est vae auaris, qui thesauros in sinu suo portant.

Quinto *Orate, ne fuga vestra fiat in hyeme, vel sabbatho*, hoc est, orate peccatores qui obcaecati estis ne in hyeme peccatorum vestrorum obruamini.

Serio itaque haec ruminate Auditores, aduersus Antichristum arma sumite, Christo fideliter adhaerete, futuras tribulationes quasi praesentes vobis exhibete, iudicia diuina apprehendite, in tecto sanctae contemplationis vos continete, nec in terram hanc vt actiuam & potius passiuam vitam agatis descendite; in mundum de quo exiuistis denuò ne redite, senectutem meliori vitae ne destinate, hyeme & senes dum estis importuno tempore vitia cur fugitis? fugite ea dum iuuenes estis, dum tempus & vires ferũt, nolite festum aut sabbatha expectare; tunc enim fugere non licebit, poenitentia tunc locum non habebit, nec labor meritum: in vere & vitae huius die laborandum & fugiendum est.

Omnipotens sempiterne Deus qui extremo iudicij Die iudex noster futurus es, & cui vitae nostrae rationem reddituri sumus miserere nostri, ne memineris peccatorum nostrorum sed esto exorabilis. Et licet futurus sit dies calamitatis & miseriae, quam terribilia signa praecedent, & per Prophetas praedictę abominationes, persecutiones Antichristi in Scriptura enumeratae, tribulationes mundo inauditae & praesenti euangelio expositae antegredientur tu, esto nobis auxilium, protector & adiutor. Eris tunc ipse furore ac cholera plenus, scio benè & signis declaras obscurans solem, in ecclypsim lunam adducens, stellas coelo deijciens, mundumque totum euertens: sed & morem tuum nouimus à summa ira ad maxi-

maximam misericordiam prolaberis: Proprium ti-
bi est semper misereri & parcere, non condemnare,
peccatores saluos facere & non perdere. Quan-
do funestus ille dies, dies desolationis &
tribulationis aduenerit, causam no-
stram amice decerne, & eam in nos
sententiam qua æternæ vitæ adiu-
dicemur, ad quam nos perducat
Pater, Filius, & Spiritus
Sanctus. Amen.

FINIS.

